PRÆLECTIONES CANONICÆ

DE SACRA ORDINATIONE

EJUSDEM AUCTORIS

Prælectiones canonicæ de Missa, cum appendice de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. In-8°, XII-404 pages. . . . . **6 fr.** »

Prælectiones canonicæ de Locis sacris, nimirum de ecclesiis, oratoriis, altaribus, cœmeteriis et sepulturis. In-8°, VIII-400 pages. **6 fr.** »

PRÆLECTIONES JURIS CANONICI

IN SEMINARIO SANCTI SULPITII
ET IN INSTITUTO CATHOLICO PARISIENSI TRADITÆ

PRÆLECTIONES

DE

SACRA ORDINATIONE

AUCTORE

S. MANY

PRESBYTERO SANCTI SULPITII, DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET IN JURE CANONICO
JURIS CANONICI PROFESSORE IN INSTITUTO CATHOLICO PARISIENSI

ALMA COLLEGE
348.74/6
LIBRARY
M 319
Alma, California

PARISIIS

APUD LETOUZEY ET ANÉ, EDITORES

VIA VULGO DICTA *RUE DES SAINTS-PÈRES*, 76 *bis*

1905

APPROBATIO

Opus, cui titulus *Prælectiones Canonicæ de sacra Ordinatione*, auctore S. Many, Juris canonici Professore in Instituto catholico Parisiensi, libenter edi permittimus.

Parisiis, die 23ª junii 1904.

Franciscus Card. RICHARD,
Arch. Parisiensis.

HOC OPUS

SUMMÆ DEI GENITRICI

REGINÆ CLERI

HOC ANNO QUI RECURRIT QUINQUAGESIMUS

A DIE QUO LÆTANTIBUS CÆLIS

ET EXULTANTE TERRA

IMMACULATUS DEFINITUS FUIT VIRGINIS CONCEPTUS

DICABAT AUCTOR

HAC DIE II JULII ANNI MCMIV

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/praelectionesdes0000sman

PROŒMIUM

Editis superiore anno *Prælectionibus de Missa* et *de Locis sacris*, nunc tractatum aggredior de *sacra Ordinatione*, nimirum de ritu sacro, quo, per constitutionem ministrorum, provideatur perpetuitati hujus sacrosancti sacrificii, in locis debitis celebrandi. Duas autem hic novus liber continet partes : unam de *legibus ordinationis*, alteram de *ritibus ordinationis*. Leges respiciunt tum ministrum sacræ ordinationis, tum ejus subjectum, ubi quæ ad Regulares aut religiosos votorum simplicium attinent, non omisi, tum varia ordinationis adjuncta, nimirum tempus et locum, debitam ordinum successionem, litteras dimissoriales et testimoniales, titulum et varia alia ad ordinationem requisita. Quoad ritus, ne sacræ liturgiæ fines indebite ingrederer, eos breviter et historice præsertim attigi, et eo tantum modo et fine, ut ritus accidentales et mere ecclesiasticos a ritibus essentialibus et divinis discernere possem, et inde resolvere quæsita canonica, quæ ad hos ritus spectant, v. g., num et quatenus reparandi aut supplendi sint ordinationum defectus. Ex industria autem omisi de irregularitatibus agere, tum ne in immensum cresceret hujus voluminis moles,

tum quia, cum irregularitates non tantum ordinationem recipiendam respiciant, sed etiam receptam, cujus usum, aliquando per modum pœnæ, impediunt, satius esse putavi, exemplo ductus plurium auctorum, hunc tractatum separatim edere.

PRÆLECTIONES CANONICÆ

DE SACRA ORDINATIONE

TITULUS I

DE LEGIBUS SACRÆ ORDINATIONIS

Leges quæ respiciunt sacram ordinationem præcipue continentur in libris *Decretalium*, in concilio Tridentino, et in constitutionibus Romanorum Pontificum. Plures sunt, in *Decretalibus* Gregorii IX, tituli qui hac de re agunt, nimirum, in lib. I, tit. XI, De TEMPORIBUS ORDINATIONUM; tit. XII, De SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO; tit. XIII, De ORDINATIS AB EPISCOPO, QUI RENUNTIAVIT EPISCOPATUI; tit. XIV, De ÆTATE, ET QUALITATE ET ORDINE PRÆFICIENDORUM (in pluribus saltem capitibus); tit. XV, De SACRA UNCTIONE; tit. XVI, De SACRAMENTIS NON ITERANDIS; omitto titulos de irregularitatibus agentes; his autem titulis *Decretalium* Gregorii IX correspondent tituli similes in aliis collectionibus Corporis Juris. — Concilium item Tridentinum multas leges edidit de sacra ordinatione, præsertim sess. VII, De REFORM.,

capit. 9-13; sess. XIV, De reform., capit. 2-3; sess. XXI, De reform., capit. 1-2; sess. XXII, De reform., cap. 2; sess. XXIII, De reform., capit. 2-14; 16-17. — Tandem plures Romani Pontifices his legibus quasdam alias addiderunt, præcipue Innocentius XII, Benedictus XIV, et alii, de quibus agetur in decursu harum *Prælectionum*. — Has ergo leges, non quidem secundum ordinem quo extant in *Decretalibus*, aut aliis documentis legislativis, sed secundum ordinem logicum scientificæ expositionis, favente Deo, explorare aggredior.

CAPUT I

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE ORDINIBUS ET ORDINATIONE

§ 1. De sacerdotio et diaconatu.

1. — Sacerdotium novæ legis.

1° *Existit, in Novo Testamento, sacerdotium visibile et externum, seu potestas consecrandi corpus et sanguinem Domini, necnon peccata dimittendi, quod non omnibus competit, sed solis rite ordinatis.* — Constat :

a. *Ipsamet institutione Christi.* — Postquam enim Christus Dominus, in ultima cœna, sacrificium et sacramentum corporis et sanguinis sui instituit, addidit : « *Hoc facite* in meam commemorationem ; » ita Luc., XXII, 19. Ita etiam latius Paulus, I Cor., XI, 24-26 : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, *hoc facite* in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine, *hoc facite*, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* » Ergo Christus jussit apostolos facere quod ipse fecerat, quibus proinde dedit potestatem consecrandi corpus et sanguinem

suum. — Item, post resurrectionem suam, dedit Christus apostolis potestatem dimittendi peccata, his verbis : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum sanctum; *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* » Joan., xx, 21-23.

b. *Auctoritate concilii Tridentini.* — Juxta relata Lucæ et Pauli verba, concilium Trid. definivit, can. 2, sess. XXII, De sacrificio missæ : « Si quis dixerit illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum *non instituisse apostolos sacerdotes*, aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes *offerrent corpus et sanguinem suum*, anathema sit. » Item, can. 1, sess. XXIII, De sacramento ordinis : « Si quis dixerit non esse in Novo Testamento *sacerdotium visibile et externum*, vel non esse *potestatem aliquam consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi*, sed officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos qui non prædicant prorsus non esse sacerdotes, anathema sit. » Cf. etiam cap. *Sacrificium*, 1, ejusdem sessionis, De ordine.

2° Hæc potestas consecrandi et proinde hoc sacerdotium institutum fuit a Christo *modo permanenti et perpetuo*, ut constat ex relatis a Paulo verbis : « ... Mortem Domini annuntiabitis, *donec veniat*, » id est, donec rursus veniat judicaturus vivos et mortuos. — Aliunde sacrificium ita conjunctum est sacerdotio, ut sine hoc nec esse nec concipi queat (cf. Hebr., v, 1); atqui sacrificium, quod Christus instituit in ultima cœna, erat perpetuum, ut patet dictis verbis, *Donec veniat;* ergo et sacerdotium. Unde relati canones Tridentini institutionem perpetuam referunt et definiunt.

3° Unde, juxta Christi præceptum, apostoli alios sacerdotes instituerunt; hos autem instituerunt *ritu quodam externo et visibili*, ut nempe instituti sacerdotes a ceteris

fidelibus discerni possent; ritus autem hic fuit *impositio manuum*, ut constat ipsis sacris Litteris. Sic :

a. Legimus, Act., XIII, 3 : « Tunc jejunantes, et *orantes, imponentesque eis manus* (ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς), dimiserunt illos ; » agitur hic de ordinatione Pauli et Barnabæ.

b. Act., XIV, 22 : « Et cum constituissent (in græco habetur χειροτονήσαντες) illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, » etc.

c. I Tim., IV, 14, S. Paulus ait Timotheo : « Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, *cum impositione manuum presbyterii*, μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. » — Iterum monet illum, II Tim., I, 6 : « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te *per impositionem manuum mearum*, διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. » — Unde etiam ait illi : « *Manus* cito nemini *imposueris*, χεῖρας... ἐπιτίθει. » I Tim., V, 22. — Hanc porro manuum impositionem, quæ postea vocata fuit χειροτονία, seu χειροθεσία[1], dicimus *ordinationem*.

4° Igitur prædictum sacerdotium, complectens potestatem consecrandi corpus et sanguinem Domini, et sacramenta administrandi, *non omnibus fidelibus competit, sed solis rite ordinatis*. — Patet manifeste ex dictis; nam Christus solis apostolis hanc potestatem tribuit, illaque impositio manuum, qua prædicta potestas conferebatur, non omnibus dabatur, sed paucis, et caute, juxta monita D. Pauli. — Unde declaravit conc. Trid., cap. *Quoniam*, 4, sess. XXIII, De ordine : « Quod si quis *omnes christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari*

[1] Quanquam hæc duo vocabula non eamdem omnino vim habent; vox enim χειροθεσία aliquando adhibita est ad significandas alias manuum impositiones, v. g., impositionem manuum *in pœnitentiam* vel *in Spiritum sanctum;* cf. Morinum, *De sacris Ecclesiæ ordinationibus*, part. III, exercitatio I, c. II; exercitatio V, c. XII, n. 9 sq.; Antuerpiæ, 1695, part. III, p. 10, 94. — Cf. etiam infra, n. 19.

inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam confundere, etc... » — Existit itaque inter laicos et sacerdotes discrimen essentiale, et quidem jure divino.

3° Erravit ergo graviter et hæretice Calvinus, dum hæc tria affirmavit : 1. Neminem (præter Christum) esse sacerdotem, *ad offerendam placationis hostiam:* — 2. Nullum esse discrimen inter laicos et sacerdotes, ita ut omnes sint æqualiter sacerdotes, ad laudes et gratiarum actiones, ad se suaque offerenda; — 3. Verum presbyterii munus, quod Christus instituit, exclusive consistere in ministerio prædicandi, pascendique fideles[1]. Calvinum secuti sunt multi Protestantes[2].

2. — Sacerdotium majus et minus, seu episcopatus et presbyteratus.

1° *Episcopi presbyteris superiores sunt jure divino.* — Episcopos, ratione *jurisdictionis*, superiores esse presbyteris, indubium est, cum, ut alibi demonstratur, Christus Ecclesiam suam regi jusserit, non a presbyteris, sed ab episcopis; de quo in præsenti non quæritur; agitur hic tantum de superioritate episcoporum *ratione potestatis ordinis*. Dico ergo, *ratione potestatis ordinis*, *episcopos*, *jure divino*, *superiores esse presbyteris*. Soli enim episcopi, exclusis presbyteris, ordinare possunt alios *episcopos*, aut *presbyteros*, aut *diaconos*[3], et hoc ex institutione Christi. — Constat :

[1] *Instit.*, lib. IV, c. XIX, n. 28, Amstelodami, 1667, p. 395; cf. *Inst.*, lib. IV, c. XVIII, n. 2 (p. 383).

[2] Adducunt in sui favorem locum Tertulliani, *De exhortatione castitatis*, c. VII; Migne, *P. L.*, t. II, col. 922. Vide hunc locum discussum et recte expositum apud Perrone, *Prælect. theol., De ordine*, n. 41 sq., ed. Migne, 1852, t. II, p. 450.

[3] Quanquam non nego, relative ad *diaconos*, aliqualem esse difficultatem, de qua infra, n. **59**, 3°.

a. *Locis sacræ Scripturæ*, quorum plura jam relata sunt supra (n. **1**, 3°). Act., XIV, 22, Paulus et Barnabas, qui profecto erant episcopi, ordinant per singulas civitates presbyteros; — II Tim., I, 6, Paulus affirmat se ordinasse Timotheum. — Quando igitur idem Paulus, I Tim., IV, 14, dicit Timotheum recepisse impositionem manuum *presbyterii*, vel hi presbyteri erant etiam episcopi, juxta vim nominis *presbyteri* apud S. Paulum, vel hæc impositio erat mere cæremonialis, ut adhuc hodie servatur; — Act., VI, 6, apostoli ordinant septem primos diaconos. — Ergo, inter hierarchas de quibus agunt sacri scriptores, *præcipui* tantum leguntur imposuisse manus seu ordinavisse.

b. *Documentis priorum sæculorum*. — 1. *Constitutiones Apostolicæ*, quæ referunt disciplinam sæculi IV, et aliquando antiquiorem, postquam jusserunt episcopum ordinari a duobus aut tribus episcopis, presbyterum vero aut diaconum ab uno episcopo, addunt, libro III, c. XX : « Utque *nec presbyter, nec diaconus clericos ex laicis ordinent*, sed *solummodo presbyter quidem doceat, offerat, baptizet, benedicat populo, diaconus* vero *ministret* episcopo ac presbyteris, sed non peragat cetera [1]. » Sic illæ *Constitutiones* sive *negative*, sive etiam *positive* repellunt a qualibet ordinatione facienda quoslibet præter episcopos; — 2. Item *Canones apostolorum*, canonibus 1 et 2, jubent episcopum a duobus aut tribus episcopis, presbyterum vero, diaconum et quemvis alium clericum ab uno episcopo ordinari, et sic *negative* repellunt a qualibet ordinatione facienda quoslibet præter episcopos; — 3. In concilio Alexandrino, in quo agebatur de causa S. Athanasii (circa ann. 339), cum calumniatores Athanasii dicebant Ischyram esse presbyterum, Athanasius aliique episcopi eos confutarunt di-

[1] Migne, *P. G.*, t. I, col. 803; cf. etiam l. VIII, c. XVI, XVII, XXI, XXII (col. 1114 sq.).

centes : « Unde presbyter Ischyras? Quo ordinante? Num Collutho?... Atqui Colluthum *presbyterum obiisse ambasque ejus manus sine auctoritate fuisse*, omnibus notum est et nulli dubium [1]. » Unde ex hoc ipso et solo quod ordinator non fuisset episcopus, conclusum est ordinationem fuisse prorsus invalidam; — 4. S. Epiphanius, *Contra hæreses*, hær. LXXV, n. 4, diserte docet : « Episcoporum ordo *ad gignendos patres præcipue pertinet;* hujus enim est, patrum in Ecclesia propagatio. Alter (ordo nempe presbyterorum), cum *patres non possit*, filios Ecclesiæ, regenerationis lotione, producit, *non tamen patres aut magistros*. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum *manuum imponendarum jus nullum habeat* [2]? » — 5. S. Chrysostomus, *Hom.*, XI, *In I Timoth.*, n. 1, loquens de præstantia episcoporum præ presbyteris, ait : « Sola quippe *ordinatione* superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur [3]; » — 6. Quæ verba Chrysostomi quasi sua fecit Hieronymus, dicens, *Epist.*, CXLVI, *Ad Evangelum*, n. 1 : « Quid enim facit, *excepta ordinatione*, episcopus, quod presbyter non faciat [4]? »

c. *Usu constanti et universali Ecclesiæ*, juxta quem soli episcopi, quibuslibet aliis exclusis, ordinant episcopos, presbyteros, aut diaconos. — Hoc autem patet : 1. Ex *libris Pontificalibus* aut *Ritualibus* totius Ecclesiæ, quorum viginti tres exhibet Martène [5], in quibus, quoad tres dictas ordinationes, ordinator perpetuo perhibetur episco-

[1] Apud Athanasium, *Apologia contra Arianos*, n. 12; Migne, *P. G.*, t. XXV, col. 270.

[2] Migne, *P. G.*, t. XLII, col. 507.

[3] Migne, *P. G.*, t. LXII, col. 553.

[4] Migne, *P. L.*, t. XXII, col. 1194.

[5] *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. I, c. VIII, art. 11, Bassani, 1788, t. II, p. 30-120.

pus, nunquam presbyter aut alius; — 2. Ex aliis *libris* aut *monumentis*, ad Ecclesiam Orientalem pertinentibus, quæ exhibent Renaudot et Morinus [1], in quibus, ex quavis ecclesia aut secta proveniunt, semper episcopus perhibetur consecrator episcoporum, presbyterorum, aut diaconorum; — 3. Ex usu hodierno universali, qui oculis omnium obversatur [2].

d. *Auctoritate concilii Trid.*, quod, juxta præteritam traditionem, definit (can. 7, sess. XXIII, De ordine): « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel *non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem*,... anathema sit. »

Cum ergo, juxta usum Ecclesiæ, nunquam facta fuerit ordinatio, de qua agitur, a simplici presbytero, ne tempore quidem maximæ necessitatis aut persecutionis, et econtra simplex sacerdos semper habitus fuerit ut omnino incapax hujus ordinationis, concludendum est discrimen inter presbyterum et episcopum, ratione potestatis ordinis, non oriri ex mero jure ecclesiastico, quod variationibus et temperamentis subjacet, sed ex jure divino, aut potius, ut accuratius loquar, *ex ipsa vi sacramenti ordinis, instituti a Christo, quod majorem episcopis, minorem presbyteris confert potestatem.*

3. — Diaconatus. — *Præter sacerdotium, existunt etiam jure divino ministri, nempe diaconi, qui sacerdotibus inserviant, et ad divinam ordinis hierarchiam pertineant.* — Hæc propositio est contra Calvinum, qui agno-

[1] Renaudot, *Perpétuité de la foi... sur les sacrements*, lib. V, c. VIII; Migne, t. III, col. 948-953; — Morinus, *De sacris Ecclesiæ ordinationibus*, part. II, Antuerpiæ, 1695, p. 15 sq.

[2] Hunc usum suo tempore recte exponebat Hugo a S. Victore, *De sacramentis*, lib. II, part. II, c. V; Migne, *P. L.*, t. CLXXVI, col. 419.

scit quidem diaconos fuisse ab apostolis institutos, sic referente *Actuum Apostolorum* libro, sed ad ministerium seu officium mere temporale[1]. Quem multi Protestantes secuti sunt. — Constat autem propositio :

1° *Sacræ Scripturæ locis.* — Nam : 1. In prima institutione diaconorum, eliguntur septem viri cum magna cura, et ritu sacro ordinantur, nempe *impositione manuum* et *oratione* (Act., VI, 6), sicut ipsi episcopi et presbyteri; — 2. *Ministeria sacra* exercent; sic Stephanus prædicat verbum Dei (*ibid.*, 9-14); item Philippus prædicat et baptizat (Act., VIII, 37-40); — 3. *Eædem requiruntur dotes in diaconis quæ in ipsis episcopis;* quod videre est I Tim., III, 8-13; — 4. D. Paulus diaconos conjungit episcopis, eisque simul peculiariter inscribit suas epistolas, v. g., Philipp., I, 1. — Hæc autem omnia palam ostendunt diaconos non ad officium mere temporale, sed ad ministerium sacrum electos et ordinatos fuisse. — Nec dicatur, juxta Act., VI, 1-3, eos institutos fuisse ad *ministrandum mensis;* nam : 1. Hæc non fuit nisi occasio eorum institutionis, ut constat toto contextu et locis supra relatis; — 2. His Ecclesiæ initiis, mensæ non erant tantum communes, sed etiam *sacræ*, quia in mensa, post cœnam, consecrabatur et distribuebatur corpus Dominicum; unde ministratio ad altare, jam a primis Ecclesiæ sæculis, fuit unum e præcipuis diaconi officiis : quod jam testantur S. Ignatius, loco statim citando, et S. Justinus, *Apol. I,* n. 65 : « Qui apud nos dicuntur *diaconi*, panem et vinum et aquam, in quibus gratiæ actæ sunt, *unicuique præsentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt*[2]. »

2° *Documentis priorum sæculorum.* — Sic : 1. Clemens Romanus, in epist. ad Corinthios, XLII, 4-5, hæc magni

[1] *Inst.*, lib. IV, c. XIX, n. 32, Amstelodami, 1667, p. 396.
[2] Migne, *P. G.*, t. VI, col. 427.

momenti tradit : « Per regiones igitur et urbes verbum prædicantes (apostoli), primitias eorum, spiritu cum probassent, *constituerunt episcopos et diaconos* eorum qui crediturі erant. Neque hoc quidem novum institutum fuit; multis enim retro sæculis de episcopis et diaconis scriptum est... [1]; » — 2. Diaconos *sacrum* exercuisse ministerium demonstrant hæc verba ex *Doctrina duodecim apostolorum* deprompta : « Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino; ... vobis enim ministrant et ipsi ministerium prophetarum et doctorum [2]. » — 3. S. Polycarpus (*Ad Philipp.*, v, 2) ait : « Similiter diaconi, in conspectu justitiæ ejus (Dei), inculpati esse debent sicut *ministri Dei et Christi, non hominum;* ne calumniatores sint, ne bilingues, nec avari, etc. [3]; » — 4. S. Ignatius (*Ad Trallianos,* II, 3; III, 1) hæc pulchra habet : « Oportet autem et diaconos, qui sunt *ministri mysteriorum Jesu Christi,* omni modo omnibus placere. *Non enim ciborum et potuum diaconi sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri...* Cuncti similiter *revereantur diaconos ut Jesum Christum*, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum. *Sine his Ecclesia non vocatur* [4]. » Similia habet in epistolis ad Magnesios, VI, 1; ad Philadelph., IV, 1; VII, 1; ad Smyrnæos, VIII, 1; XII, 2, etc. — Quæ omnia tam perspicua sunt, ut etiam plures Protestantes affirment diaconatum semper pro uno ex tribus sacris et hierarchicis Ecclesiæ ordinibus habitum fuisse, v. g., Bingham [5].

[1] Ed. Funk, Tubingæ, 1881, p. 113.

[2] « Χειροτονήσατε οὖν ἑαυτοῖς ἐπισκόπους καὶ διακόνους ἀξίους τοῦ Κυρίου, ... ὑμῖν γὰρ λειτουργοῦσι καὶ αὐτοὶ τὴν λειτουργίαν τῶν προφητῶν καὶ διδασκάλων. » *Doctrina,* etc., c. XV, n. 1, ed. Funk, Tubingæ, 1887, p. 42.

[3] *Opera Patrum,* etc., ed. Funk, p. 271.

[4] *Ibid.,* p. 205.

[5] *Origines Eccl.,* lib. II, c. XX, § 1, Halæ, 1751, t. I, p. 306 sq. —

3° *Auctoritate conc. Trid.*, quod, can. 6, sess. XXIII, De ordine, definit : « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica *non esse hierarchiam divina ordinatione institutam*, quæ constat ex episcopis, presbyteris et *ministris*, anathema sit. » Porro, per hæc verba, et *ministris*, intelliguntur saltem *diaconi*, quorum nomen græcum διάκονος idem sonat ac latine *minister*.

4. — Sacerdotium et diaconatus sunt sacramenta, id est, ritus ille, qui vocatur *ordinatio*, χειροτονία, et quo confertur sacerdotibus et diaconis potestas ordinis, est etiam *sacramentum* novæ legis, et proinde producit *ex opere operato* gratiam sanctificantem.

1° De *sacerdotio* clarissima res est; ut enim aliquis ritus sit sacramentum, tria requiruntur, nimirum : signum sensibile; institutio divina, et quidem permanens; productio gratiæ. — Porro *ordinatio* seu χειροτονία has tres dotes præ se fert :

a. Constat *signo sensibili*, nempe impositione manuum cum verbis relativis.

b. Insuper *instituta fuit modo permanenti a Christo*, qui, ut supra, n. **1**, 1°, 2°, vidimus, instituit sacerdotium novæ legis perpetuum.

c. Tandem illo ritu produci gratiam constat ex relatis supra, n. **1**, 3°, verbis S. Pauli ad Timotheum : « Noli negligere *gratiam*,... ut resuscites *gratiam* Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. » Licet enim vox græca a S. Paulo adhibita, nempe χάρισμα, sæpe significet gratiam *gratis datam*, aliquando tamen significat gratiam proprie dictam, seu *gratum facientem*, v. g.,

Plures alios refert Perrone, *De ordine*, n. 59, ed. cit., p. 456. — Ita etiam hodie Wordsworth, *The Ministry of Grace*, c. II, London, 1903, p. 143 sq., 158 sq.

Rom., v, 15-17, ubi χάρισμα et χάρις promiscue usurpantur ad significandam gratiam proprie dictam, et etiam I Cor., xii, 31, ubi vox χάρισμα significat charitatem; cf. *ibid.*, xiii, 1; porro S. Paulum etiam in duobus supra relatis locis epistolarum ad Timotheum adhibuisse vocem χάρισμα in sensu *gratiæ proprie dictæ* (non excluso tamen altero sensu, *gratiæ gratis datæ*, nempe potestatis sacerdotalis), vehementer suadet contextus, præsertim II Tim., i, 6-7; vult enim Paulus Timotheum *resuscitare*, ἀναζωπυρεῖν, gratiam quæ est in ipso per impositionem manuum; porro hæc metaphora, sumpta de igne qui folle excitatur, recte applicatur gratiæ proprie dictæ, non vero potestati sacerdotali, quæ nulli imminutioni aut tepori obnoxia est; insuper statim addit Paulus, quasi evolvens quid contineat illud χάρισμα : « Non enim dedit nobis Deus *spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis* et sobrietatis, » quibus profecto verbis significatur gratia *gratum faciens* in ordine collata. Unde Patres etiam antiquiores multa habent de *sanctitate* sacerdotii et diaconatus, v. g., S. Ignatius, epistola ad Trallianos, cujus verba relata habes supra, n. **3**, 2° cf. etiam alia Ignatii loca ibidem citata); unde etiam jam sæculo iv Patres, præfata Pauli verba de gratia proprie dicta interpretati, dicunt aut supponunt hanc gratiam in ordine conferri; sic : 1. S. Joannes Chrysostomus, homilia i, *in epist. II ad Timotheum*, n. 2, referens verba S. Pauli, ait : « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum, id est, *gratiam Spiritus*, τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, quam accepisti ut præsis Ecclesiæ, ut signa edas et cultum omnem exhibeas; penes nos enim est illam vel *extinguere* vel accendere[1]; » quæ profecto verba nequeunt intelligi de sola potestate sacerdotali, quæ extingui nequit; — 2. S. Gre-

[1] Migne, *P. G.*, t. lxii, col. 603.

gorius Nyssenus, Oratio *in baptismum Christi*, loquens de ordinatione sacerdotali, ait : « Eadem verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi separatum ; cum enim, heri ac tempore superiori, unus e multitudine ac plebe fuerit, repente fit præceptor, præses, doctor pietatis et mysteriorum occultorum præsul, eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus sit, sed, quod ad speciem externam attinet, idem sit qui erat, *invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens*, ἀοράτῳ τινὶ δυνάμει καὶ χάριτι τὴν ἀόρατον ψυχὴν μεταμορφωθεὶς πρὸς τὸ βέλτιον[1] ; » — 3. Innocentius I, epistola XXIV, *Ad Alexandrum*, n. 4, aperte docet in ordinatione conferri *plenitudinem Spiritus Sancti*, quem negat dari ab episcopis Arianis : « Nec dare ejus (Spiritus) plenitudinem possunt quæ maxime in ordinationibus operatur[2] ; » — 4. Theodoretus, *Historia religiosa*, cap. XV, narrans ordinationem presbyteralem Acepsimæ, ait : « Hic, genibus flexis, gratiam, τὴν χάριν, expectabat, ille (pontifex) manum imponens Spiritui famulabatur[3] ; » — 5. S. Augustinus in eodem prorsus gradu ponit ordinem et sacramentum baptismi ; vide ejus verba relata infra, n. **18.**

Unde nostram propositionem definivit tanquam de fide conc. Tridentinum, canonibus 3 et 4, sess. XXIII, De ordine. — Num autem episcopatus sit *sacramentum distinctum a presbyteratu*, dicitur infra, n. **6.**

2° De *diaconatu* res etiam est certa, licet olim a quibusdam[4] negata. — Constat enim ordinationem diaconatus

[1] Migne, *P. G.*, t. XLVI, col. 581.
[2] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 550.
[3] Migne, *P. G.*, t. LXXXII, col. 1415.
[4] V. g., Durandus, in *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, q. 2, n. 6-9, Lugduni,

esse signum sensibile, quod ex facto ipso patet, et permanenter institutam fuisse a Christo, ut ex dictis colligitur. Huic demum ritui divinitus instituto annexam fuisse gratiam demonstrari potest; nam : 1. Valde improbabile est Christum, qui gratiam ritui ordinationis sacerdotalis annexuit, ritum ordinationis diaconalis gratia vacuum reliquisse; — 2. Suadetur Scriptura sacra etiam diaconatum producere gratiam; nam, post relatam, Act., VI, 6, ordinationem diaconorum, statim dicitur, vers. 8 : « Stephanus autem, *plenus gratia et fortitudine*, faciebat prodigia et signa magna in populo... Et non poterant resistere sapientiæ, et *Spiritui qui loquebatur;* » — 3. Hæc probabilitas augetur per relata (supra, n. 3) verba Clementis, Polycarpi, Ignatii, qui semper episcopis et presbyteris adjungunt diaconos; — 4. Hæc tandem probabilitas ad ipsam certitudinem evehitur ex definitionibus conc. Tridentini; hoc enim concilium, can. 4, sess. XXIII, De ordine, sic definit : « Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere *Accipe Spiritum Sanctum*, aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit; » atqui, etiam in ordinatione diaconi, ut patet ex Pontificali Romano, dicit episcopus futuro diacono : *Accipe Spiritum Sanctum ad robur*, etc.; — 5. Nec objicias hæc verba : *Accipe Spiritum Sanctum*, esse recentioris institutionis; nam respondeo : Hæc quidem verba sunt recentioris institutionis, nec antiquiora videntur esse sæculo XIII, juxta peritos [1]; sed in ipsa antiqua

1622, p. 810; — ita etiam Cajetanus, apud Vasquez, *In Part. III D. Thomæ*, disp. CCXXXVIII, c. 1, Lugduni, 1631, t. III, p. 524.

[1] V. g., Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. I, c. VIII, art. 9, n. 2, cit. ed., t. II, p. 21. Dico præfata verba : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., esse recentioris institutionis, non vero ipsamnet *impositionem manuum* super unumquemque ordinandum, quæ legitur in omnibus libris *Pontifi-*

forma ordinationis diaconalis, nempe in ipsa *præfatione* seu *oratione*, quam episcopus pronuntiat in ordinando diacono, inveniuntur verba æquivalentia, hæc nempe quæ adhuc hodie leguntur : « *Emitte in eos*, quæsumus, Domine, *Spiritum Sanctum*, quo in opus ministerii tui, etc. » Unde unanimiter hodie conveniunt doctores in affirmando diaconatum esse sacramentum [1].

3° Hoc autem sacramentum ordinationis sacerdotalis et diaconalis duos effectus producit, nempe *gratiam sanctificantem*, et *characterem*, uti constat ex proxime relato can. 4, sess. XXIII, conc. Trid. — Juxta autem probabiliorem opinionem, character ille non est aliud ac ipsa *potestas* ordinis, animæ intime et indelebiliter inhærens. De quo adeantur theologi.

5. - Controversiæ circa relationes inter episcopatum et presbyteratum.

1° *Principalis controversia.* — Quæritur utrum character seu potestas episcopalis, quæ confertur per ordinationem seu consecrationem episcopalem, complectatur tantum ex se *potestatem episcopalem stricte dictam* (nempe ordinandi et confirmandi), an potius præterea complectatur *totam potestatem presbyteralem*, ita ut si quis *non presbyter* recipiat consecrationem episcopalem, efficiatur simul presbyter et episcopus. — Hæc autem controversia doctrinalis pendet ab hac controversia historica, utrum nempe diaconi fuerint aliquando ordinati episcopi, *omisso presbyteratu*.

A. *Prior opinio.* — Multi tenent *Romæ per plura sæcula diaconos consecratos fuisse episcopos, omissa ordinatione presbyterali;* unde concludunt aut supponunt characterem epi-

calibus; unde ista singularis *impositio manuum* fiebat silentio, sicut fieri videmus in ordinatione presbyteri.

[1] Cf. Hallier, qui hac de re egregie tractat, *loc. cit.*, § 3, p. 416.

scopali, per consecrationem episcopalem impresso, contineri omnem potestatem episcopalem et presbyteralem. Sic Mabillon, Martène, Baluze, D. Ceillier, D. Chardon, Fleury, Antonius Pagi, Franciscus Pagi, Ellies Dupin, Bingham, et hodie D. Parisot, O. S. B. [1]. — En præcipua argumenta hujus historicæ assertionis :

1. Libellus octavus *Ordinis Romani*, editus a Mabillon, tradit modum quo presbyter vel diaconus, electus in episcopum a clero et civitate, consecretur episcopus a Romano Pontifice : « Alia vero die, quod est dominica, procedit domnus Apostolicus in ecclesia... ; dumque introductus fuerit (electus), vocet eum domnus Apostolicus : Cleros et plebs consentiens civitatis talis cum adjacentibus parrochiis suis, elegerunt sibi illum talem *diaconum* vel *presbyterum episcopum consecrari*. Oremus itaque pro eodem viro, ut Deus et Dominus Noster Jesus Christus... Deinde schola incipit *Kyrie eleison* cum letania. Prostratus domnus Apostolicus cum sacerdotibus et ipso electo in terra ante altare, completa letania, surgent, *et tunc benedicent eum;* et, *benedictione expleta,* dat osculum domnus Apostolicus [2]. »

[1] Mabillon, *Commentarius prævius ad Ordinem Romanum,* n. 16, 18, in *Musæo Italico,* t. II, p. CVIII-CIX, CXIX-CXXI (vel Migne, *P. L.,* t. LXXVIII, col. 912, 919); — Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. I, c. VIII, art. 3, n. 10, Bassani, 1788, t. II, p. 9; — Baluze, *Vitæ Paparum Avenionensium, nota in vitam I Gregorii XI,* Parisiis, 1693, t. I, p. 1059; — D. Ceillier, *Auteurs sacrés et eccl.,* Paris, 1737, t. VI, *S. Optat,* c. XVII, art. 2, n. 5, p. 668; — D. Chardon, *Histoire des sacrements; de l'Ordre,* part. I, c. V, Paris, 1745, t. V, p. 92-98; — Fleury, *Hist. eccl.,* liv. IX, n. 34 (circa finem), Paris, 1720, t. II, p. 594; — Antonius Pagi, *Critica Baronii,* ad an. 604, n. 4-6, Antuerpiæ, 1705, t. II, p. 722; — Franciscus Pagi, *Breviarium,* in *Sabinianum,* n. 2-5, et in *Constantinum,* n. 1, Venetiis, 1730, t. I, p. 289, 448; — Ellies Dupin, in *Præfatione,* ad Optati *Opera,* § 2, circa finem (Lutetiæ Parisiorum, 1700); — Bingham, *Orig. eccles.,* lib. II, c. X, § 5, Halæ, 1751, t. I, p. 152; — Parisot, *Les ordinations per saltum,* in periodico *Revue de l'Orient chrétien,* an. 1900, t. V, p. 335-369.

[2] *Musæum italicum,* t. II, p. 88, vel apud Migne, *P. L.,* t. LXXVIII, col. 1003.

Cum ergo, ait Mabillon, eadem sit consecratio seu benedictio, sive electus fuerit diaconus, sive presbyter, sequitur diaconum solitum fuisse consecrari episcopum *per saltum*, id est, omisso ordine presbyterali, « fortasse, addit, quia, ut sentit Hieronymus epistola LXXXV, *in episcopo et presbyter continetur*[1]. »

2. Quod libellus octavus tradit de electo consecrando a R. Pontifice, tradit libellus nonus, item editus a Mabillon, de ipso electo in Romanum Pontificem, in episcopum consecrando : « Summus namque Pontifex, quando benedicitur, eligitur unus de cardinalibus,... presbyter aut diaconus... Surgens vero ascendit ad altare, et prosternit se in orationem, et omnis clerus cum eo. Postea erigitur ab episcopis, et statuitur inter sedem et altare; et [2] tenent evangelium super caput vel cervicem ipsius. Et accedit unus episcopus, et dat orationem super eum, et recedit; et alter similiter. Accedit tertius, et consecrat illum. Archidiaconus autem imponit ei pallium[3]. » Hinc idem quod supra concludit Mabillon[4].

3. Photius exprobrat Romanis quod diaconus, omisso presbyteri ordine, in episcopum per saltum consecretur : « Item si quis apud nos, presbyterii consecrationem præteriens (τὴν τοῦ πρεσβυτέρου παρελθὼν χειροτονίαν), episcopi honore diaconum affecerit, utpote qui maxime deliquerit, condemnatur; quibusdam vero [5] *pari ducitur loco, e presbytero provehere episcopum, et e diacono, medium transilientibus ordinem, ad episcopi abripere dignitatem*[6]. » Hic

[1] *Ibid.*, in *Commentario*, n. 16 (p. CVIII), vel apud Migne, *ibid.*, col. 912.

[2] Hic proprie incipit consecratio episcopalis, sive electus fuerit diaconus aut presbyter.

[3] *Musæum, loc. cit.*, p. 92, vel apud Migne, *ibid.*, col. 1006.

[4] *Ibid.*, in *Commentario*, n. 18 (p. CXVIII), vel apud Migne, *ibid.*, col. 919.

[5] Nempe *Romanis*.

[6] *Epist.*, lib. I, epist. II, *ad Nicolaum papam;* Migne, *P. G.*, t. CII, col. 606.

agitur, ut patet, de ipsa *ordinatione* presbyteri omissa, et non tantum de *officio* presbyteri omisso, ut quidam dixerunt. Quod repetunt imperatores Michael et Basilius in epistola ad regem Bulgarorum, nuper ad fidem conversorum [1]. — Hinc istam reprehensionem Nicolaus notam facit episcopis Galliæ, ut illos incitet ad eam confutandam : « Quin et reprehendere satagunt, quia penes nos clerici barbas radere suas non abnuunt, et quia *diaconus, non suscepto presbyteratus officio, apud nos, episcopus ordinatur* [2]. » Hanc reprehensionem non vocat Nicolaus falsam aut calumniosam, ut plures alias vocat in eadem epistola. — Hanc ergo objurgationem rejicit quidem ut falsam Ratrammus, monachus Corbeiensis, in opere *Contra Græcorum opposita libri quatuor* [3], sed fatetur veram. Æneas, episcopus Parisiensis, in *Libro adversus Græcos*, c. CCX, illamque confutat dicendo præcipue, post S. Hieronymum, *in episcopo et presbyterum contineri* [4]. Quod valde movit Mabillonium [5], aliosque.

4. His tribus argumentis addit quartum Mabillon, exempla nempe eorum, qui, electi in Romanos Pontifices, susceperunt *consecrationem episcopalem, omisso presbyteratu*. Sic : *a*. Constantinus antipapa (an. 767), cujus accurate describuntur, in *Libro pontificali*, ordinationes in *clericum*, in *subdiaconum*, in *diaconum*, demum in *episcopum*, omisso presbyteratu; unde, paulo post, idem *Liber pontificalis* de Georgio episcopo qui ordinavit Constantinum.

[1] Apud Jager, *Histoire de Photius*, Paris, 1844, p. 159.

[2] Nicolai I epist. CLII, *ad Hincmarum et alios Galliæ episcopos;* Migne, *P. L.*, t. CXIX, col. 1155.

[3] Lib. IV, c. VIII, initio; Migne, *P. L.*, t. CXXI, col. 334. — Item episcopi Germaniæ scribunt penes ipsos hoc numquam fieri (Migne, *P. L.*, t. CXIX, col. 1212).

[4] Migne, *P. L.*, t. CXXI, col. 759-762; cf. col. 689; — S. Hieronymus, epist. CXLVI, *ad Evangelum;* Migne, *P. L.*, t. XXII, col. 1195.

[5] In cit. *Commentario*, n. 16, p. CVIII.

ait : « Georgius, qui eum *diaconem et pontificem consecravit* [1]; » — *b.* Valentinus (an. 827), qui, ex archidiacono electus in R. Pontificem, absque alia qualibet ordinatione, pontifex creatus est, ut narrat *Liber pontificalis* [2]; — *c.* Item S. Nicolaus (an. 858), qui ex diacono electus, absque alia ordinatione, creatus est pontifex, ex eodem *Libro pontificali* [3]. — His exemplis, a Mabillon allatis [4], duo addi possunt : unum ex S. Optato, in libro I, *De schismate Donatistarum*, n. 19, juxta quem Cæcilianus, *diaconus* Carthaginensis, *ordinatus est episcopus* a Felice Aptungitano; cum autem impugnaretur consecratio Cæciliani, tanquam facta a Felice *traditore*, addit S. Optatus : « Iterum a Cæciliano mandatum est ut si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, et ipsi *tanquam adhuc diaconum ordinarent Cæcilianum* [5]. » Aliud exemplum est Joannis, discipuli S. Galli, qui, cum esset diaconus, episcopus consecratus est, omissa presbyterali ordinatione, ut narrat Walafridus Strabo, *Vita S. Galli, abbatis*, lib. I, c. XXV [6].

5. Addi potest etiam testimonium *Libri diurni* [7], qui, supponens, ut fieri solebat, *diaconum* vel *presbyterum* Romanæ Ecclesiæ electum fuisse in Romanum episcopum [8], exponit, *pro utroque casu*, consecrationem episcopalem electi, omissa penitus mentione de presbyterali ordinatione; fere autem exscribit *Liber diurnus* cit. libellum IX.

[1] *Liber pontificalis*, in *Stephanum III*, n. 4, 6, ed. Duchesne, t. I, p. 468-469.

[2] *Ibid.*, in *Valentinum*, n. 6-7, ed. Duchesne, t. II, p. 72.

[3] *Ibid.*, in *Nicolaum*, n. 4, 6-7, *ibid.*, p. 151-152.

[4] In cit. *Commentario*, n. 18, p. CXIX.

[5] Migne, *P. L.*, t. XI, col. 921. — Alia quidem exempla addit Bingham, *loc. cit.*, sed facile exponi possunt in sensu communis opinionis theologorum.

[6] Migne, *P. L.*, t. CXIV, col. 998.

[7] *Liber diurnus*, c. II, tit. VIII; Migne, *P. L.*, t. CV, col. 38-39.

[8] *Ibid.*, tit. I-VII.

Hoc ergo semel admisso facto historico, quod perduravit usque ad sæculum XI[1], in ipsamet Ecclesia Romana, necessario sequitur omnium ibi animis insitam fuisse persuasionem, quod nempe consecratio episcopalis contineat in se utramque potestatem, episcopalem nempe et presbyteralem, ideoque posse conferri valide etiam clerico *non presbytero*. Quis autem hunc usum et persuasionem juri divino contrarios esse dicere audeat?

B. *Altera opinio.* — Fere autem omnes theologi et canonistæ rejiciunt præfatam opinionem, dicuntque *episcopatui necessario et essentialiter prærequiri presbyteratum* : in sensu magis infra evolvendo, ubi de *ceteris controversiis*. Quoad factum historicum supra expositum, multi illud non memorant; qui autem memorant, illud confutare et negare satagunt; inter quos præcipue Merlin, Juenin, Tournely, Hallier, et rerum liturgicarum peritus Catalanus[2]. Quidam etiam viri historici hanc theologorum opinionem sequuntur, facto historico non aut vix discusso; inter quos Morinus, Garnier, Thomassin[3]. — En præcipua argumenta hujus opinionis :

1. Duæ leges in tota Ecclesia, sed præsertim Romæ, vigebant: juxta quarum priorem, recipi non poterant ordines nisi *gradatim*, non vero *per saltum;* quod verum

[1] Cf. Mabillon, in dicto *Commentario*, n. 18, p. CXX, et Fr. Pagi, *loc. cit.*, in *Sabinianum*.

[2] Merlin, *Sur les paroles et les formes des sacrements*, c. XXVI (apud Migne, *Theologiæ cursus*, t. XXI, col. 265-286); — Juenin, *De Sacramentis*, diss. VIII, q. VIII, cap. IV, Lugduni, 1696, p. 862; — Tournely, *De sacramento ordinis*, q. VI, *De subjecto episcopatus*, Parisiis, 1729, p. 467-471; — Hallier, *De sacris ordinationibus*, part. II, sect. I, c. I, art. 2, n. 10 sq., cit. edit. Migne, t. XXIV, p. 680; — Catalanus, *In pontificale rom.*, in tit. *De consecratione electi in episcopum*, § 7, n. 3, Parisiis, 1850, t. I, p. 301.

[3] Morinus, *De sacris ordinationibus*, part. III, exercit. XI, c. II, n. 1; Antuerpiæ, 1695, p. 155; — Garnier, *Ad Librum diurnum dissertationes*, diss. II, § 2 (Migne, *P. L.*, t. CV, col. 131; cf. col. 39); — Thomassin, *Discipline de l'Église*, part. I, liv. II, c. XXXVI, ed. 1864, t. I, p. 539-540.

erat præcipue de tribus ordinibus hierarchicis, nempe de diaconatu, presbyteratu et episcopatu, ita ut diaconatus semper præsupponeretur presbyteratui et presbyteratus episcopatui. Vi alterius legis, quam vocamus de *interstitiis*, clericus non solum recipere debebat ordines unum post alium, nullo omisso, ut dictum est; sed etiam tenebatur in unoquoque recepto ordine remanere per aliquod tempus, ad exercenda officia hujus ordinis, antequam ordinem superiorem reciperet. — Hæ duæ leges certissimis documentis demonstrantur, infra, in cap. VII, relatis.

2. Unde antiqua traditio erat ut *non nisi presbyter ordinaretur in episcopum*. Itaque, cum, tempore S. Athanasii, Ariani mercedem iniquitatis dare volentes Ischyræ, qui Athanasium accusaverat, hunc Ischyram, licet non presbyterum [1], episcopum ordinavissent, fautores S. Athanasii constanter exprobraverunt Ischyræ, quod, *nondum presbyter, ordinatus fuisset episcopus:* sic Patres concilii Hierosolymitani, in epistola *ad Alexandrinos:* « Attamen virum *qui presbyter non esset*, in hujusmodi vico *episcopum contra antiquam traditionem* statuere decreverunt [2]; » quod paulo infra repetunt. Ita etiam pluries Patres concilii Sardicensis, in epistola *ad totius orbis episcopos:* « Denique, sycophantiæ istius præmium, Ischyræ *honorem episcopatus* dedere, *homini qui ne presbyter quidem fuit*, » et paulo infra : « Et tamen hunc, *qui presbyter non esset*, velut *episcopum* secum adduxerunt [3]. »

3. Quoad argumenta in favorem prioris opinionis allata, pleraque non sunt nisi *negativa;* sic omissio ordinationis presbyteralis in *Libellis* VIII et IX et in *Libro diurno;*

[1] Fuerat quidem ordinatus presbyter, sed a *presbytero;* unde invalida prorsus erat ejus ordinatio, ut supra dictum est, n. 2.

[2] Hanc epistolam refert S. Athanasius, in *Apologia contra Arianos*, n. 85; Migne, *P. G.*, t. XXV, col. 399.

[3] Theodoretus, *H. E.*, lib. II, c. VI; Migne, *P. G.*, t. LXXXII, col. 1006.

quoad exprobrationem Photianam, est mera calumnia, ut dicit Ratramnus, *loc. cit.*: quoad *exempla*, non præbent etiam nisi argumentum negativum; scriptores qui ea nobis tradiderunt, non sibi proponebant texere totam seriem rituum liturgicorum, in quibus pars fuerat pontifex ille de quo loquebantur.

C. *Conclusio.* — Non facile est falsum demonstrare prædictum factum historicum; pleraque quidem argumenta sunt negativa, sed nemo nescit aliquando argumenta *negativa* fieri *positiva*, quando nempe id quod tacetur, debuisset affirmari, si fuisset verum; ceterum hæc materia potius ad historicos quam ad theologos pertinet. Unde, licet quis dicat prædictum factum non videri *certo demonstratum*, attamen, propter auctoritatem tot tantorumque virorum, Mabillon, Martène, et aliorum, et propter minime spernenda argumenta ab iis allata, mihi magis arridet prior opinio. Juxta quam etiam opinionem melius explicatur et exponitur institutio Christi in ultima cœna; Christus enim, unico actu suæ voluntatis et vi horum verborum : *Hoc facite... donec veniam*, instituit in perpetuum summum sacerdotium primosque Novi Testamenti summos sacerdotes, cum plenitudine sacerdotii, complectentis tres potestates, episcopalem, presbyteralem et diaconalem, ut supra dictum est. Initio quidem apostoli, ad instar Christi, *totum sacerdotium*, per impositionem manuum et relativam orationem, contulerunt, v. g., Paulo et Barnabæ (Act., XIII, 3); quod fecit etiam Paulus, constituens per singulas civitates hos quos vocat modo *episcopos*, modo *presbyteros*, qui probabilius erant insigniti charactere episcopali. Labentibus autem annis, apostoli vel eorum successores, ex præsumpta vel forsan expressa licentia Christi, potestatem presbyteralem separatim conferunt[1], sicut jam apostoli potestatem diaco-

[1] Quod hic dico, apostolos nempe vel eorum successores, decursu tem-

nalem separatim contulerant; remanet nihilominus integer ritus, a Christo institutus, quo, per impositionem manuum et relativa verba, confertur, etiam laicis, plenum sacerdotium cum tribus supra dictis potestatibus. — Quidquid id est, remanet libera inter catholicos controversia, ita ut dicere liceat, cum Benedicto XIV : « Cum *nemo prohibeat disceptare*, num episcopatus sit ordo a presbyteratu distinctus, an character in episcopali consecratione impressus differat, vel potius sit ampliatio quædam characteris in collatione presbyteralis ordinis impressi, itidemque an vetustioribus temporibus a diaconatu factus sit transitus ad episcopatum, ordine presbyterali non antea suscepto [1]. »

6. — 2° *Aliæ controversiæ circa relationes inter episcopatum et presbyteratum.* — Theologi et canonistæ, rejecto dicto facto historico et priore opinione, abeunt in tres sententias circa relationes inter episcopatum et presbyteratum.

A. *Prima opinio.* — Multi tenent episcopatum, seu consecrationem episcopalem, et presbyteratum, esse duos ordines et duo sacramenta plane distincta, quorum unumquodque producit suum distinctum characterem. Ita, præter

porum, separatim contulisse potestatem presbyteralem, non contrarium est canoni Tridentino (can. 6, sess. XXIII, De sacramento ordinis) : « Si quis dixerit in ecclesia catholica non esse hierarchiam *divina ordinatione* institutam, quæ constat ex *episcopis, presbyteris* et *ministris*, anathema sit; » hæc enim locutio *ordinatione divina* non significat *Christum ipsum jussisse* ut essent in sua Ecclesia *presbyteri ab episcopis distincti*, etc.; ista enim locutio apposite adhibita est a Patribus concilii Trid., ut vitaretur alia locutio, *a Christo institutam;* magis nempe patet prior locutio, cum, ut dicebant quidam in concilio : « Et cetera in universo orbe a divina prodeant ordinatione. » (*Acta authentica conc. Trid.*, ed. Theiner, t. II, p. 624.)

[1] Benedictus XIV, epist. *In postremo*, 20 oct. 1756, § 17, in fine; *Bull. Bened.*, t. IV, n. 63.

omnes canonistas, multi theologi, præsertim recentiores, v. g., Bellarminus, Perrone, Hurter, etc.[1]. — Quorum præcipua ratio est quod, ex una parte, consecratio episcopalis sacramentum est, quod certissimum videtur (omnia enim argumenta quæ demonstrant *ordinem* seu *sacerdotium* esse sacramentum, præcipue militant de consecratione episcopali), ex altera autem parte, consecratio episcopalis habet propriam materiam, propriam formam, distinctas a materia et forma presbyteratus, et distinctam potestatem confert, nempe ordinandi et confirmandi. Addit Fagnanus *decem et novem* alia argumenta, plerumque ex textibus juris canonici deprompta[2].

B. *Secunda opinio.* — Plures theologi tenent consecrationem episcopalem non esse ordinem et sacramentum *distinctum a presbyteratu*, nec producere characterem distinctum a charactere presbyterali, sed tantum hunc characterem ampliare et extendere ad effectus alios, nempe ad potestatem ordinandi et confirmandi. Ita Billuart, cum pluribus antiquis theologis quos allegat et quorum in hoc sensu doctrinam interpretatur[3]. — Quorum præcipua argumenta esse videntur : 1. Quia, si episcopatus sit ordo distinctus a presbyteratu, essent plures quam septem ordines; — 2. Quia si episcopatus sit distinctus a presbyteratu, est multo isto inferior, quia nempe potestas quam confert episcopatus multo inferior est potestate quam confert presbyteratus.

[1] Bellarminus, *De sacramento ordinis*, c. v (*Controvers.*, Pragæ, 1721, t. III, p. 719); — Perrone, *De Ordine*, n. 78, cit. ed., t. II, p. 463; — Hurter, *Theologia, de ordine*, Œniponte, 1883, t. III, n. 698 sq., p. 470.

[2] Fagnan, in cap. *Requisivit* (1, *De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit*, etc.), n. 33-77, Vesuntione, 1740, t. I, p. 350.

[3] Billuart, *Summa D. Thomæ, de Ordine*, diss. IV, art. 2; Trajecti ad Mosam, 1770, t. XIX, p. 229-235; cf. plures alios allegatos apud Fagnan, *loc. cit.*, n. 26. Ita etiam S. Antoninus, archiepiscopus Florentinus, *Summa theologica*, part. III, tit. XIV, c. XVI, § 8, Veronæ, 1740, t. III, col. 744.

C. *Tertia opinio.* — Juxta hanc opinionem, episcopatus, prout distinguitur a presbyteratu, non est ordo, nec sacramentum, sed tantum aliquod *officium*, aut *dignitas.* Ita Petrus Lombardus, D. Thomas, S. Bonaventura; hic dicit : « Episcopatus, prout distinguitur contra sacerdotium, dicit *dignitatem* quamdam vel *officium* episcopi annexum, et *non est proprie nomen ordinis, nec novus character imprimitur, nec nova potestas datur*, sed potestas data ampliatur [1]. » Sic etiam plures alii, quos refert Morinus [2], qui dicunt episcopatum non esse nisi quamdam deputationem extrinsecam ad aliquas functiones seu ministeria, quibus peragendis presbyter non erat idoneus.

D. *Conclusio.* — 1. Inter primam opinionem et secundam, libera est controversia, quidquid dicere videntur aliqui [3]; nam, sive character episcopali ordinatione impressus sit distinctus a charactere presbyterali, sive tantummodo sit ejus extensio et ampliatio, utroque modo servatur et *sacramentalitas* ordinationis episcopalis, et *discrimen jure divino* inter episcopum et presbyterum; unde supra (n. **5**) audivimus Benedictum XIV asserentem libere de hoc controverti posse; — 2. Quoad tertiam opinionem, si qui ex ejus patronis intendant asserere consecrationem episcopalem *nullam jure divino novam addere potestatem presbyteratui*, sed tantum esse *deputationem*, *jure eccle-*

[1] P. Lombard., *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, n. 11; Migne, *P. L.*, t. CXCII, col. 904; — D. Thomas, in hunc locum *Sent.*, dist. XXIV, q. III, art. 2, quæstiunc. 2, Venetiis, 1750, t. XIII, p. 42-43; — D. Bonav., in eumd. locum, dist. XXIV, part. II, art. 2, q. III, Venetiis, 1754, t. IV, p. 663.

[2] Morinus, *De sacris Ecclesiæ ordinationibus*, part. III, exercit. III, c. I, n. 11-15, p. 28. Hic auctor refert pro hac opinione Vasquez, Gamache, Isambert, etc. — Sed Vasquez referri potius debere videtur ad secundam opinionem; nam docet episcopalem ordinationem non producere novum characterem, nec characterem presbyteralem ampliare, sed tamen conferre novam *potestatem* (*In III partem D. Thomæ*, disp. CCXL, cap. V, n. 54, Lugduni, 1631, t. III, part. 2, p. 568).

[3] V. g., Perrone, *loc. cit.*

siastico inventam, ad quasdam functiones, profecto errant, faventque presbyterianismo, quippe qui negent verum discrimen existere, *jure divino*, inter episcopum et presbyterum : quod est aperte contra traditionem supra expositam. Verum multi ex dictis auctoribus, licet dicant episcopatum non esse ordinem neque sacramentum, tenent tamen, per consecrationem episcopalem, vere dari a Deo, et proinde *jure divino*, potestatem ad quædam nova exercenda, nempe saltem ad peragendas sacras ordinationes; unde dicunt plures ex illis, non quidem imprimi novum characterem, nec novam dari potestatem, sed *potestatem jam datam ampliari* (ita S. Bonaventura, *loc. cit.*), vel potestatem episcopalem *non esse tantum jurisdictionis, sed etiam ordinis* (ita, *loc. cit.*, D. Thomas). Alii autem dicunt episcopatum non esse quidem nisi *deputationem, denominationem, relationem extrinsecam*, sed addunt aut intendunt hanc deputationem *fieri a Deo*, ita ut episcopus *quædam nova possit facere, jure divino, quæ non potest presbyter*. Porro hæ opiniones sic intellectæ nihil detrahunt traditioni, juxta quam verum inest discrimen jure divino inter episcopum et presbyterum, nec concilio Tridentino sic (can. 6, sess. XXIII, De ordine) definienti : « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse *hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris* et ministris, anathema sit. » Hæ tamen opiniones videntur esse minus probabiles, nisi etiam concedant aut supponant ordinationem episcopalem esse *saltem aliquo modo sacramentalem*.

7. — 3° *Ultima controversia.* — Hæc controversia vertitur inter patronos primæ opinionis supra (n. **6**) expositæ, juxta quam episcopatus et presbyteratus sunt duo ordines et duo sacramenta plane ab invicem distincta. Porro :

A. Alii dicunt hos duos ordines ita esse ab invicem distinctos, ut sint prorsus independentes. Sicut enim, aiunt, diaconatus et presbyteratus sunt distincti et independentes, ita ut clericus recipere possit valide presbyteratum, omisso diaconatu, ita et presbyteratus et episcopatus sunt distincti et independentes, *ita ut diaconus possit valide recipere episcopatum, omisso presbyteratu;* unde erit episcopus, non presbyter; poterit *valide* ordinare et confirmare, non vero celebrare missam. Ita Glossa (Bartholomæi Brixiensis) in can. *Sollicitudo*, dist. LII, Joannes Andreas, Zabarella, abbas Panormitanus [1], et alii quos allegat Fagnan [2].

B. Alii vero dicunt hos duos ordines esse quidem distinctos, non vero *independentes*, ita ut episcopatus, de necessitate sacramenti, supponat presbyteratum; unde, juxta hos auctores, si quis diaconus, omisso presbyteratu, ordinetur in episcopum, hæc ordinatio prorsus erit invalida. Ita plerique canonistæ et theologi, cum Fagnano et Bellarmino [3]; qui tamen hujus rei varias assignant rationes; juxta Fagnanum [4], diaconus ordinatus in episcopum, omisso presbyteratu, non est vere episcopus, cum *non possit aliis conferre characterem presbyteralem, quem non habet* [5]; juxta Bellarminum, ille diaconus ordinatus in episcopum,

[1] Glossa, p. 273, *Corpus juris can. cum glossis,* Lugduni, 1671, t. I; — J. Andreas, in cap. *Ex litteris,* 10, *De excessibus prælatorum,* n. 3, Venetiis, 1612, t. V, p. 93; — Zabarella, in cap. *Tuæ litteræ,* 1, *De clerico per saltum promoto,* n. 3, Venetiis, 1602, t. IV, p. 98; — Abbas, in idem cap. *Tuæ litteræ,* n. 5, Venetiis, 1605, t. VII, f. 178; et etiam in cit. cap. *Ex litteris,* 10, *De excessibus prælatorum,* n. 4, *ibid.,* f. 182.

[2] Fagnan, in cap. *Tuæ litteræ* (1, *De clerico per saltum promoto*), n. 6, et in cap. *Requisivit* (1, *De ordinatis ab episcopo,* etc.), n. 79-84.

[3] Fagnanus, *loc. cit.;* — Bellarminus, *loc. cit.,* cap. V, n. 13 sq.

[4] In cit. cap. *Requisivit,* n. 81-84.

[5] Quod argumentum valde debile est; episcopus enim, qui non recepit ipse sacramentum confirmationis, dat valide characterem confirmationis, quem non habet, sicut catechumenus, nondum baptizatus, dat valide characterem baptismi, quem non habet; non est Petrus aut Paulus qui baptizat, sed Hic est qui baptizat, ait Augustinus.

omisso presbyteratu, non est episcopus, quia *episcopatus includit in sua ratione et essentia sacerdotium.*

C. *Conclusio.* — In hac ultima controversia, multo probabilior est secunda opinio[1], quia revera portentosum quid esset episcopus qui non posset celebrare; episcopus enim est primo et ante omnia sacerdos seu presbyter, deinde episcopus, sicut homo est primo animal, deinde rationalis; juxta enim institutionem divinam, « omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, *ut offerat dona et sacrificia* pro peccatis[2]; » unde, ut audivimus ex Bellarmino, *episcopatus includit in sua ratione et essentia presbyteratum*, et ideo episcopus vocatur *summus sacerdos.* — Sed, si episcopatus includit in sua ratione et essentia presbyteratum, cur ordinatio episcopalis non producet ex se et vi propria characterem presbyteralem? Cur ritui consecrationis episcopalis Christus non tribuit efficaciam, quam *ex sua essentia requirit?* Unde reincidimus in priorem illam superius (n. **5**) expositam virorum historicorum opinionem, qui, præfato facto historico innixi, asserunt aut supponunt diaconos, omisso presbyteratu, recipere valide episcopatum : quæ sententia, ex hoc novo argumento, quod præbet Bellarminus, majorem adhuc sibi conciliat probabilitatem et auctoritatem.

§ 2. De ordinibus inferioribus.

8. — Subdiaconatus. — De subdiaconatu hæc dicenda : 1° Prima documenta certa[3], quæ subdiaconos vel hypo-

[1] Quidquid dicit Toletus, qui asserit utramque opinionem sibi probabilem videri; *Instructio sacerdotum,* lib. I, c. LXXI, n. 8, Lutetiæ Parisiorum, 1619, p. 138.

[2] Hebr., v, 1.

[3] *Canones Hippolyti,* canonibus 49, 52, memorant hypodiaconos (ad calcem operis Duchesne, *Origines du culte chrétien,* Paris, 1903, p. 528); verum difficile admodum est definire ætatem collectionis, et in specie præfatorum canonum 49, 52.

diaconos memorant in Ecclesia Latina, sunt : 1. Epistola S. Cornelii Papæ ad Fabium, episcopum Antiochensem (circa ann. 252), ubi, exponens statum cleri in Ecclesia Romana quam regebat, ait : « In qua tamen (ecclesia) sciebat (Novatianus), quomodo enim illud nescire potuisset? presbyteros quidem esse quadraginta sex, diaconos septem, *subdiaconos septem*, acolythos duos et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos...[1] ; » — 2. Variæ S. Cypriani epistolæ, in quibus memorat subdiaconos; v. g., epist. II (« a Crementio *subdiacono* ») ; epist. XIV (« per Crementium *hypodiaconum* ») ; epist. XXIV (« *hypodiaconum* Optatum »)[2] ; cf. etiam epistolas XXVIII, XXIX, XLII, LXXVIII, LXXIX, LXXX. Unde, hac ætate, nempe sæculo III medio, institutio subdiaconorum erat notissima et frequens in Ecclesia Occidentali[3] : quod supponit primam eorum institutionem ad initium sæculi III et forsan ad sæculum II referendam esse.

2° Paulo tardius occurrunt subdiaconi in Ecclesia Orientali; prima documenta[4], quæ eos memorant, sunt : 1. Epistola S. Athanasii *ad monachos*, ubi de Arianis loquens ait : « Eutychium *subdiaconum* (ὑποδιάκονον) virum probe Ecclesiæ ministrantem rapuere[5] ; » — 2. Concilium Antiochenum (an. 341), quod, can. 10, permittit chorepiscopis ut ordinent subdiaconos, ὑποδιακόνους[6] ; — 3. *Constitutiones apostolorum;* in lib. enim VIII, c. XXI, exhibetur

[1] Apud Eusebium, *H. E.*, l. VI, c. XLIII; Migne, *P. G.*, t. XX, col. 622.

[2] Migne, *P. L.*, t. IV, col. 224, 263, 287.

[3] Cirtæ, in Numidia, erant, anno 303, *quatuor subdiaconi*, ut constat ex *Gestis purgationis Cæciliani;* Migne, *P. L.*, t. VIII, col. 731.

[4] Epistola S. Ignatii *ad Antiochenos*, quæ, c. XII, n. 2, memorat *hypodiaconos*, apocrypha est (hanc leges in edit. Funk, *Opera patrum apostolicorum*, Tubingæ, 1881, t. II, p. 170).

[5] Athanasius, *Historia Arianorum, ad monachos*, n. 60; Migne, *P. G.*, t. XXV, col. 766.

[6] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 83.

ritus ordinationis hypodiaconorum[1]; eod. libro, c. XI, indicatur brevissime eorum *officium*[2]; non tamen memorantur in lib. II, c. XXV, XXVI, inter ceteros Cleri ordines, bene vero in lib. III, c. XI, sub nomine ὑπηρέτης (*servus*)[3]; — 4. *Canones Apostolorum* (can. 42, al. 43) memorant item *hypodiaconum;* — 5. Concilium Laodicenum pariter memorat *subdiaconum*, sub nomine ὑπηρέτης, canonibus 20, 21, 22, 24, 25[4]; — 6. *Testamentum D. N. J. C.* pluries agit de hypodiaconis, et lib. I, c. XLIV, exhibet ritum eorum ordinationis[5]. — In *Didascalia*, quæ referenda est ad primam tertiam partem sæculi III, nondum agitur de subdiaconis.

3° In Ecclesia Latina, subdiaconatus *annumeratus est ordinibus majoribus*, seu *sacris*, *sæculo XII*. — Alexander quidem II (1061-1073) visus est jam computare illum inter ordines sacros; scripsit enim (can. *Erubescant*, 11, dist. XXXII, falso Urbano II ascriptus) : « Erubescant impii et aperte intelligant, judicio Spiritus Sancti eos qui *in sacris ordinibus*, *presbyteratu*, *diaconatu*, *subdiaconatu*, sunt positi, nisi mulieres abjecerint et caste vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate[6]. » Verum hæc locutio, *in sacris ordinibus*, quatenus complexa fuerit etiam *subdiaconatum*, non fuit adhibita nec intellecta in stricto sensu; nam Urbanus II, in concilio Beneventano (an. 1091), subdiaconatum adhuc habuit ut ordinem minorem; in canone enim primo, postquam decrevit ut nullus in episcopum assumatur, nisi *in sacris ordinibus* religiose vivens

1 Migne, *P. G.*, t. I, col. 1118.
2 *Ibid.*, col. 1090.
3 *Ibid.*, col. 787.
4 Bruns, *Concilia*, t. I, p. 76.
5 Ed. Rahmani, Moguntiæ, 1899, p. 105.
6 Apud Mansi, *Concilia*, t. XIX, col. 977; Migne, *P. L.*, t. CXLVI, col. 1405; — cf. etiam Jaffe (ed. 2), n. 4575; — Berardi, *Canones Gratiani*, part. II, c. LXXXV, t. III, p. 387.

fuerit inventus [1], addidit : « *Sacros* autem *ordines dicimus diaconatum et presbyteratum;* hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse; super his solum, præceptum habemus Apostoli. Subdiaconos vero, quia et ipsi altaribus administrant, opportunitate exigente, concedimus (in episcopos eligi), sed rarissime, si tamen spectatæ scientiæ ac religionis existant; quod ipsum non sine Romani Pontificis sive metropolitani licentia fieri permittimus [2]. » Quæ verba ostendunt hac ætate subdiaconatum adhuc minorem ordinem fuisse, et simul jam tunc hanc disciplinam aliquatenus mutari cœpisse. Hæc verba concilii Beneventani exscripsere Hugo a S. Victore (circa annum 1142), in suo tractatu *De sacramentis* [3], et P. Lombardus, *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, n. 9 [4]. — Ex altera parte, Petrus Cantor (def. an. 1197) scribit : « *De novo* enim *institutum est subdiaconatum esse sacrum ordinem* [5]. » Quam *novam* institutionem, forsan alicubi tantum, et non sine controversiis vigentem, firmavit Innocentius III, cap. *Miramur*, 7, De servis non ordinandis : « Licet (subdiaconatus) sacer ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva, tamen a constitutione Gregorii atque Urbani, secundum moderna tempora, *sacer gradus esse minime dubitatur*. » Hinc cap. *A multis*, 9, De ætate et qualitate, etc. aperte definit : « Nos volentes super hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus ut *subdiaconus in episcopum valeat libere eligi*, sicut diaconus vel sacerdos. » — De tempore, quo lex continentiæ annexa est ordini subdiaconatus, dicitur alibi.

4° In Ecclesia Orientali, *subdiaconatus adhuc hodie est*

[1] Quæ disciplina adhuc viget, ex conc. Trid., cap. *Quicumque*, 2, sess. XXII, De ref.

[2] Mansi, *Concilia*, t. xx, col. 738.

[3] *De sacramentis*, l. II, part. III, c. xiii; Migne, *P. L.*, t. clxxvi, col. 430.

[4] Ed. Migne, *P. L.*, t. cxcii, col. 904.

[5] *Verbum abbreviatum*, c. lx; Migne, *P. L.*, t. ccv, col. 184.

ordo minor. — Quod enim statutum fuerat sæculis prioribus, nempe subdiaconatum esse ordinem minorem, servavit Ecclesia Orientalis, nec recepit hac in re decreta supra relata Urbani et Innocentii. Unde subdiaconatum adhuc esse minorem ordinem testantur Græcorum documenta recentiora, v. g., concilium Montis Libani, pro Maronitis (an. 1736) : « Illud tamen advertendum est, non omnes, quos supra enumeravimus, in ordinum numerum computandos esse; sunt enim ordines *minores :* cantor, lector, *subdiaconus ;* majores : diaconus, presbyter et episcopus...[1]. » Hinc, cum etiam Orientales servent disciplinam antiquam, vi cujus eligendus in episcopum debeat in sacro ordine esse constitutus, diaconus tantum, *non subdiaconus*, eligi potest apud eos in episcopum, uti statuitur in cit. concilio Montis Libani[2].

9. — Ordines minores.

1° In Ecclesia Latina, quatuor ordines minores, nempe *acolythi*, *exorcistæ*, *lectores* et *ostiarii*, instituti esse videntur sæculo III; saltem Romæ in usu erant, an. 250, uti constat ex supra relata (n. 8) S. Cornelii papæ epistola ad Fabium, in qua numerat *acolythos* quadraginta duos, *exorcistas* autem, *lectores* et *ostiarios* quinquaginta duos. Jam autem *lectorem* memoraverat Tertullianus, *De præscriptionibus*, c. XLI[3]; sæpe item memorat S. Cyprianus *lectorem*[4] et *acolythum*[5]. Apud autem sic dicta *Statuta Ec-*

[1] *Concilium Montis Libani*, part. II, c. XIV, n. 48 (*Concil. collectio Lacensis*, t. II, p. 254); cf. etiam *ibid.*, n. 3 (p. 227); et part. III, c. II, n. 3 (p. 270). — Vide etiam Papp-Szilagyi, *Enchiridion juris Ecclesiæ Orientalis*, Magno-Varadini, 1880, p. 239.

[2] Part. III, c. IV, n. 16, p. 302.

[3] Migne, *P. L.*, t. II, col. 57.

[4] V. g., epist. XXIV, XXXIII, XXXIV; Migne, *P. L.*, t. IV, col. 287, 317, 324.

[5] V. g., epist. XXVIII, XXXVI, LXXVIII, LXXIX; Migne, *P. L.*, t. IV, col. 300, 326, 421, 422.

clesiæ antiqua[1], canonibus 6-9, quatuor præfati ordines distincte numerantur, et accurate distinguuntur a meris officiis, v. g., *cantoris* (can. 10)[2], et ritus eorum ordinationis describitur[3]. — Hæc adhuc hodie servantur.

2° In Ecclesia Orientali, numerus ordinum minorum vicissitudines subiit (non loquor de subdiaconatu, de quo jam dixi). — Breviter ergo :

1. Initio solus ordo *lectorum* (ἀναγνώστης) existit; hujus mentio non fit apud Patres apostolicos, nec in *Doctrina apostolorum*, nec in genere duobus prioribus sæculis, nec etiam in *Didascalia*. Apud sic dictos *Canones ecclesiasticos sanctorum apostolorum*, qui retroascendere dicuntur ad priorem dimidiam sæculi III partem, memorantur *lectores*

[1] Vocata aliquando *Concilium Carthaginense IV*, nunc autem communiter tributa S. Cæsario Arelatensi (mort. an. 542), qui ea collegit ex variis conciliis.

[2] Non enim confundendum est *officium* cum *ordine;* ordo ritu aliquo conferebatur ab episcopo, et ex se ipso ponebat aliquem inter clericos seu in ordine clericatus ; *officium* autem sola jussione episcopi aut etiam alterius, v. g., presbyteri, committi solebat. Non tamen semper facile est discernere utrum aliquod munus fuerit *ordo*, an tantum *officium;* imo aliquando unum idemque munus erat ordo ibi, officium alibi ; sic *cantoratus* in Ecclesia Latina erat *officium*, in pluribus autem Ecclesiæ Orientalis partibus erat *ordo*. — Quoad munus *defensorum ecclesiarum*, qui toties memorantur in antiquis documentis post redditam a Constantino pacem Ecclesiæ, probabilius est illud non fuisse *ordinem*, sed tantum *officium*, quod tamen clericis potissimum, rarius laicis committi solebat; unde Zozimus, postquam provida ordinatione præceperat ut ad majores ordines non nisi per minores ascenderetur, addidit : « Sane, ut etiam *defensores Ecclesiæ*, qui ex laicis fiunt, supradicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus (Zozimi epist. IX, *Ad Hesychium*, n. 5; Migne, *P. L.*, t. XX, col. 673). » Item, quoad *notarios*, qui primitus instituti sunt ad acta martyrum conscribenda, et deinde ad publica acta ecclesiastica roganda adhibiti, probabilius est eorum munus fuisse tantum *officium*, licet clericis potissimum, imo aliquando majoribus, committi solitum. Idem dicas de munere *œconomi, catechistæ*, etc. De *defensoribus* et *œconomis* cf. Morinum qui de eis latissime agit, *opere cit.*, exercitatio XVI, c. V-VIII, p. 227-241; — de eisdem et insuper de *catechistis, notariis*, aliisve officiis, cf. Bingham, *opere cit.*, lib. III, c. X-XIII; t. II, p. 51-79.

[3] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 142.

cum episcopis, presbyteris et diaconis (exclusis quibuslibet aliis), n. 1, 19[1]. — Item, in VIII libro *Const. apost.*, c. XXII, soli *lectores* memorantur, et, c. XXVI, excluduntur *exorcistæ*[2], quia potestas exorcizandi est donum Dei, non ordo.

2. *Canones apostolorum*, can. 42, memorant *lectorem* et *cantorem*, seu *psalmistam*. Jam ergo cantores constituebant ordinem distinctum ab ordine lectorum : quod fuit frequentissimum in Ecclesia Orientali, rarissimum in Ecclesia Latina. Habes exemplum distinctionis utriusque ordinis, in Ecclesia Latina, in conc. Carthag. III (an. 397), can. 21[3].

3. *Constit. apostolicæ* memorant tres ordines minores, nempe *lectores*, *cantores* et *ostiarios*, lib. II, c. XXV, XXVI; lib. III, c. XI[4].

4. Concilium Antiochenum (an. 341), can. 10, memorat duos ordines minores, nempe *lectores* et *exorcistas*[5].

5. Concilium Laodicenum (sæculo IV), omnium ecclesiarum consuetudines complexum, quatuor ordines memorat, nempe *lectores*, *cantores*, *exorcistas* et *ostiarios*, can. 24; cf. can. 23[6].

6. Mox additi leguntur *fossarii*, seu *copiatæ* (κοπιάται, vel κοπιῶντες), seu *laborantes* (κόπος = *labor*), qui ad sepelienda defunctorum corpora deputati erant. Hi memorantur tum apud pseudo-Ignatium *ad Antiochenos*, c. XII, n. 2[7], tum ab Epiphanio, *Expositio fidei*, n. 21[8], tum etiam in Codice Theodosiano, lib. XIII, tit. I, *De lustrali conlatione*,

[1] Ed. Funk, *Doctrina duodecim apostolorum*, Tubingæ, 1887, p. 50, 64.
[2] Migne, *P. G.*, t. I, col. 1118, 1122.
[3] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 126.
[4] Migne, *P. G.*, t. I, col. 666, 787.
[5] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 83.
[6] *Ibid.*, p. 76.
[7] Funk, *Opera patrum apostolicorum*, t. II, p. 171.
[8] Migne, *P. G.*, t. XLII, col. 826.

L. 1 (« *clericos* excipi tantum, qui *copiatæ* dicuntur ») et lib. XVI, tit. II, *De episcopis*, L. 15 (« *clerici*, vel hi, quos *copiatas* recens usus instituit nuncupari »). Hæ duæ leges sunt Constantii, filii Constantini Magni; unde copiatæ circa tempus redditæ Ecclesiæ pacis instituti sunt.

7. Paulo post additi etiam sunt *parabolani* seu *parabalani*, qui erant quasi fratres hospitalarii, nempe *ad curanda debilium ægra corpora deputati*. Hi memorantur in Codice Theodosiano, lib. XVI, tit. II, *De episcopis*, LL. 42, 43; quæ leges sunt Theodosii senioris. Attamen, juxta plures, hoc erat *officium*, non *ordo*.

8. Paulatim fere omnes ordines minores in desuetudinem venerunt, præter *lectores* et *cantores*, quos solos memorat, cum subdiaconis, concilium *in Trullo* (ann. 692), can. 6[1].

9. Hodie, in Ecclesia Orientali, præter subdiaconatum, non sunt nisi duo ordines minores, juxta disciplinam concilii in Trullo, nempe *cantoratus* et *lectoratus*. Alicubi autem hi duo ordines eodem, vel fere eodem ritu conferuntur; unde quidam dixerunt non esse apud Græcos nisi unum ordinem minorem, nempe lectoratum; attamen, in hoc unico ritu, mentio fit distincta duorum ordinum[2]. — Alibi vero duæ ordinationes distinctæ ponuntur[3], licet forsan eodem die conferantur. — De his notanda duo :

a. Licet non sint apud Orientales tres alii ordines minores, nempe *ostiarii*, *exorcistæ* et *acolythi*, attamen de facto ordines ostiarii et acolythi simul conferuntur cum ipso ordine subdiaconi; quod patet ex ipsa *oratione* seu *forma* subdiaconatus, in qua pontifex orat Deum ut concedere dignetur ordinando « *domus tuæ decorem diligere, sancti*

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 39.

[2] Videas ritum ordinationis *lectoris et cantoris* apud Goar, *Euchologium Græcorum*, Lutetiæ Parisiorum, 1647, p. 233.

[3] V. g., apud Maronitas, ex cit. concilio Montis Libani, part. II, c. XIV, n. 37-38, p. 242.

tui templi foribus adstare (quæ duo pertinent ad ostiarios), et tabernaculi gloriæ tuæ *lucernam accendere* (quod pertinet ad acolythum) »[1]. Ita etiam apud Maronitas, ex concilio citato Montis Libani[2]. — Imo scriptor capitum et decretorum hujus concilii contendit latinum ordinem *exorcistatus* comprehendi in Syrorum ordine *cantoris*[3]; sed hoc minime clarum est.

b. Unde cum aliquis clericus Orientalis, minoribus ordinibus, ritu Orientali, initiatus, cupit recipere ordines sacros ritu Latino, debet (inter alia), ne *per saltum* ordo recipiatur, supplere ordines quos non recepit; si ergo sit *lector* tantum ordinatus, debet, antequam recipiat ritu Latino subdiaconatum, recipere ordines ostiarii, exorcistæ et acolythi; si autem ritu Orientali etiam *subdiaconus* sit ordinatus, sufficit, antequam recipiat diaconatum, ut recipiat exorcistatum. — Ita expresse statuit Benedictus XIV, pro Italo-Græcis, const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742, § 7, n. 8[4]: quod, propter eamdem rationem, applicari debet etiam aliis Orientalibus, etiam Maronitis[5].

10. — Tonsura clericalis. — Doctores, in suis prælectionibus de *clericis,* agunt de *tonsura* quatenus refertur ad habitum clericalem, et quatenus datur omnibus clericis obligatio illam deferendi. Hic agendum est de tonsura quatenus constituit *ritum specialem, quo fideles initiantur statui clericali:*

[1] Apud Goar, *loc. cit.,* p. 244.

[2] Part. II, c. XIV, n. 39, p. 243; cf. n. 2, p. 227, et n. 49, p. 255.

[3] Part. II, n. 49, p. 255.

[4] *Bull. Bened.,* t. I, n. 57.

[5] De ordinibus minoribus, in prioribus sæculis, bene disserunt Morinus, *De sacris ordinationibus,* part. III, exercit. XI, XII, XIII, XIV, Antuerpiæ, 1695, p. 152; — Thomassin, *Discipline de l'Église,* part. I, liv. II, c. XXX, 1864, t. I, p. 505; — Goar, *Euchologium Græc.,* Notæ *in ordinationem lectoris, cantoris, subdiaconi,* p. 237-249; — Bingham, *Origines...,* lib. III, per totum, cit. ed., t. II.

1° Cum, sæculo VI, cœpit urgere obligatio, pro clericis, deferendi tonsuram, illam quisque recipiebat eodem die quo primo ordini, nempe ostiariatui vel lectoratui (juxta varias provincias) initiabatur. Tunc ergo impositio, ut ita dicam, tonsuræ non erat distinctus ritus a primo ordine recepto. Imo probabilissimum est initio unumquemque clericum curasse ut sibi privatim modo requisito capilli tonderentur. Paulatim tamen mos invaluit ut ista prima tonsura fieret, ab ipsomet ordinationis ministro, in ipsa collatione primi ordinis, ut adhuc hodie fit apud Græcos, apud quos impositio tonsuræ est prior pars ordinationis lectoratus, vel cantoratus [1].

2° Tandem vero collatio tonsuræ separari cœpit a primo ordine, ita ut, ea recepta, fidelis *clericus fieret*. Sed quo tempore id evenerit, non facile est definire. De quo hæc dicenda :

a. Initio sæculi XIII, separatio facta erat, ut constat cap. *Cum contingat*, 11, De ætate et qualitate, etc., in quo Innocentius III, an. 1210, scribit : « Cum contingat interdum, quod laici, ad monasteria convolantes, a suis abbatibus tonsurentur, requisisti an clericatus ordo in tonsura hujusmodi conferatur. Super quo tibi respondemus, quod, cum in septima synodo sit statutum, ut lectores per manus impositionem licentia sit unicuique abbati... faciendi,... *per primam tonsuram, juxta formam Ecclesiæ datam*, a talibus *clericalis ordo confertur*. » Ubi vides separatam esse tonsuram a quolibet ordine, clericatum ea conferri, ministrum ejus esse eumdem ac ministrum ordinum, ritum specialem jam esse præscriptum. — Jam, circa an. 1142, Hugo a S. Victore loquitur de tonsura, tanquam de ritu prorsus distincto a qualibet ordinatione [2].

[1] Vide ritum ipsum apud Goar, p. 233.

[2] *De sacramentis*, lib. II, part. III, c. I, II, III, V ; Migne, *P. L.*, t. CLXXVI,

b. Probabilius est hanc disciplinam incepisse sæculo VIII. — Nam : 1. Concilium Meldense (an. 845), can. 58, supponit hanc disciplinam : « Canonicorum autem, *qui in parochiis tonsurantur, et erudiuntur, interdum etiam et ordinantur*, sine auctoritate (episcopi) dignitas regalis in suum periculum non dignetur recipere...[1]; » ubi vides distinctionem inter tonsuram et ordinationem; — 2. In *Libro Pontificali*, *Vita Stephani III* (an. 768-772), dicitur : « Compulerunt eum (nempe Georgium episcopum) *orationem clericatus* eidem Constantino tribui[2]; » cujus postea ordinatio refertur. Idem fere legitur *ibid.*, *Vita Zachariæ* (741-752) de rege Ratchis[3]. Porro hæc *oratio clericatus* videtur fuisse idem ritus ac ille qui describitur in *Sacramentario Gregoriano* sub titulo, *Orationes* seu *Oratio ad clericum faciendum*, in quo agitur de tonsione capitis[4]. Ita etiam fere Morinus[5] et Thomassinus[6].

c. In Ecclesia Orientali, res eodem gradu processit; initio enim tonsura distincta non erat a receptione primi ordinis[7]; paulatim vero separata est a qualibet ordinatione, ita ut, sæculo XII, ejus collatio constituerit ritum specialem distinctum a receptione primi ordinis : quod testatur Zonaras (def. circa an. 1150) : « Qui vero, nec manuum impositione designatus, nec in lectorum album relatus sit, *qualis illorum est ratio, qui a teneris Deo sepositi nihil*

col. 421 sq.; — cf. etiam de tonsura D. Thomam, Supp. part. III, q. XL, art. 2.

[1] Mansi, *Concilia*, t. XIV, col. 832.

[2] *Liber pontificalis*, ed. Duchesne, t. I, p. 468.

[3] *Ibid.*, p. 434.

[4] Apud Muratori, *Liturgia romana vetus*, t. II, p. 182; vel in *Sacramentario*, edito a Menardo; Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 212.

[5] *Loc. cit.*, part. III, Exercit. XV, c. III, n. 4-6, p. 209, licet argumenta quæ affert ex duobus conciliis Toletanis rem non bene demonstrent.

[6] *Loc. cit.*, c. XL, n. 10, t. II, p. 19.

[7] Thomassin, *ibid.*, c. XXXIX, n. 11-13, t. II, p. 12; cf. etiam *ibid.*, c. XXXIV, t. I, p. 525.

aliud quam coronam in capite gestant, ab eo divinam Scripturam de suggestu populo pronuntiari, quædam ordinis perturbatio est [1]. » Similia habet Balsamon (def. circa an. 1214)[2]. Verum rediere Orientales ad antiquum morem, vi cujus tonsura recipitur in receptione primi ordinis [3].

11. — Ratio sacramenti quoad ordines inferiores.

1° *Variæ Doctorum opiniones.* Tres sunt hac in re Doctorum opiniones :

A. Alii asserunt *subdiaconatum et minores ordines esse sacramenta.* Ita D. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Hallier, Billuart, etc. [4]. — Probant : 1. Ex *conc. Trid.*, quod, can. 3, sess. XXIII, De ordine, clare definit : « *Ordinem*, sive sacram ordinationem, *esse vere et proprie sacramentum;* » atqui subdiaconatus, acolythatus, etc., sunt vere *ordines;* — 2. Ex eo quod *hi ordines habent omnia requisita sacramenti;* sunt enim signa sensibilia, traditione instrumentorum et orationibus constantia; insuper instituti sunt saltem ab apostolis, juxta hanc regulam a S. Augustino traditam : « *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur* [5]; » quæ regula

[1] Zonaras, *In can. 14 concilii VII œcum.;* Migne, *P. G.*, t. cxxxvii, col. 963.

[2] Balsamon, in eumd. can.; Migne, *ibid.*, col. 959-962.

[3] Vide Goar, p. 233; cf. etiam ritum ordinationis *cantoris*, qui est primus ordo apud Maronitas; conc. Montis Libani, part. II, c. xiv, n. 37, in *Coll. Lac.*, p. 242; item, part. II, c. xiv, n. 2, p. 227.

[4] S. Thomas, in *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, q. ii, art. 7, quæstiunc. 3; et Suppl. part. III, q. xxxvii, art. 2-3; q. xxxv, art. 2; — S. Bonav., item in *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, part. II, art. 1, q. i, iv, Venetiis, 1754, t. iv, p. 650, 656; — Scotus, item in *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, q. i, *Opera*, Lugduni, 1639, t. ix, p. 514; — Hallier, *De sacris elect. et ordin.*, part. II, sect. ii, c. i, art. 2, §§ 6-7, p. 423 sq. (sed tantum ut *probabile*); — Billuart, *De ordine*, diss. I, art. 3.

[5] S. Augustinus, *De baptismo, contra Donatistas*, lib. IV, c. xxiv, n. 31; Migne, *P. L.*, t. xliii, col. 174.

optime præfatis ordinibus applicatur; demum producunt gratiam, juxta conc. Trid., quod, can. 4, ead. sess. XXIII, definit « per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum et imprimi characterem »; quoad *characterem*, adde auctoritatem *Pontificalis Romani*, part. I, tit. *De ordinibus conferendis*, § *Advertat diligenter*, dicentis : « Moneat (episcopus) ordinandos, quod instrumenta, *in quorum traditione character imprimitur*, tangant. »

B. Alii paucissimi distinguunt inter subdiaconatum et minores ordines, *illum esse sacramentum*, *hos non esse*, affirmantes. Ita Medina, Vasquez, Navarrus[1]. — Ratio distinctionis est quia, juxta hos auctores, institutio divina in subdiaconatu adesse, in ceteris abesse videtur : quod etiam affirmat Bona[2].

C. Alii demum *negant subdiaconatum et minores ordines esse sacramenta*. Ita Morinus, Juenin, Tournely, Habert, hodieque fere omnes theologi et canonistæ, v. g., Perrone, Gasparri, etc.[3]. — Quæ opinio breviter statim demonstratur.

2° *Subdiaconatus et minores ordines non sunt sacramenta*. — Cujus ratio peremptoria est, quod *non sunt institutionis divinæ nec apostolicæ*. — Hoc autem ultimum satis demonstratur ex expositione historica supra (n. **8** sq.) facta, ex qua constat hos ordines non memorari ante sæculum III;

[1] Medina, apud Benedictum XIV, *De synodo*, lib. VIII, c. IX, n. 4; — Vasquez, *In part. III D. Thomæ*, disp. CCXXXVII, c. II; disp. CCXXXVIII, c. II, Lugduni, 1631, t. III, p. 531, 538; — Navarrus, *Manuale*, c. XXII, *De sacramentis*, n. 18, *Operum*, Coloniæ Aggripinæ, 1616, t. III, p. 187.

[2] *Rerum liturg.*, lib. I, c. XXV, n. 16-17, Augustæ Taurinorum, 1749, t. II, p. 360, 363.

[3] Morinus, *De sacris ordinationibus*, part. III, exerc. XI, c. I, p. 152; — Juenin, *De sacram.*, diss. IX, q. VI, c. I; q. VII, c. I, Lugduni, 1696, p. 934, 936; — Tournely, *De sacramento ordinis*, q. VI, art. 4-5, Parisiis, 1729, p. 591, 607; — Habert, *Theologia. de ordine*, part. I, c. VI, Lugduni, 1741, t. VII, p. 148 sq.; — Perrone, *De ordine*, n. 81, ed. Migne, t. II, col. 466; — Gasparri, *De sacra ordinatione*, n. 41, Parisiis, 1893, t. I, p. 25.

unde etiam plures veteres Doctores expresse dicunt *Ecclesiam* hos ordines instituisse decursu temporum, exigente necessitate; v. g., Amalarius, qui, postquam recensuit sacerdotium et diaconatum, « sine quibus non potest rite immolatio altaris celebrari, » addit : « *Ceteri ordines his adjecti sunt; crescente Ecclesia, crevit officium ecclesiasticum;* ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset, *adjiciuntur inferiores,* in adjutorio præpositorum [1]. » Ita etiam P. Lombardus : « Levitas etiam ab apostolis ordinatos legimus; quorum maximus fuit beatus Stephanus. *Subdiaconos* vero et *acolythos, procedente tempore, Ecclesia sibi constituit* [2]. » Unde etiam supra relati (n. **8**, 3°) Urbanus II et Hugo a S. Victore dicunt *in primitiva Ecclesia fuisse solos sacerdotes et diaconos;* quod etiam affirmat Innocentius, cap. *A multis*, 9, De ætate et qualitate, etc., et cap. *Miramur*, 7, De servis non ordinandis. Quando ergo concilium Trid., cap. *Cum autem*, 2, sess. XXIII, De ordine, dicit « *ab ipso Ecclesiæ initio...* in usu fuisse » subdiaconatum et ordines minores, hæc verba *ipso initio* non intelligenda sunt stricte de temporibus apostolicis, sed de duobus circiter prioribus sæculis, quæ vere sunt tempora nascentis Ecclesiæ. — Constat insuper defectus institutionis divinæ quoad hos ordines, « ex istorum ordinum modo unius, modo alterius, aut etiam plurium, *cessatione, additione, imminutione, abrogatione* et *instauratione,* quæ certe in rem divinitus institutam cadere non possunt [3]. » Quæ cessatio, additio, etc... constant ex supra facta expositione historica. — Nec dicas cum quibusdam [4], hos ordines

[1] Amalarius, *De ecclesiasticis officiis,* lib. II, c. VI; Migne, *P. L.,* t. CV, col. 1082.

[2] *Sent.,* lib. IV, dist. XXIV, n. 9; Migne, *P. L.,* t. CXCII, col. 904; — cf. etiam Morinum, *loc. cit.*

[3] Hæc verba sunt P. Perrone, *loc. cit.*

[4] V. g., D. Thomas, Suppl. part. III, q. XXXVII, art. 2, ad 2; — S. Bona-

esse quasi partes diaconatus, quas a diaconatu decursu temporum separavit Ecclesia, et proinde institutos esse a Christo, quando totum, cujus sunt partes, nempe diaconatus, fuit institutum ab ipso. — Nam : 1. Non semper verum est parti competere, quod convenit toti; — 2. Ministri, quos instituit Christus, ii sunt qui habent in sacram Eucharistiam potestatem proximam, directam et immediatam, vi cujus possint ejus consecrationi et distributioni cooperari proxime. Revera Christus non tantum consecravit Eucharistiam, sed etiam *distribuit;* et, post hæc, dixit apostolis : *Hoc facite*, hoc scilicet totum quod feci, nempe vos ipsi consecrate et *distribuite* sacram Eucharistiam, usque ad consummationem sæculi. Unde certissime Christus instituit *ministerium distributionis* Eucharistiæ, ita ut etiam separatim conferri possit ministris. Ecclesia autem huic divinitus instituto ministerio annexuit alia minora ministeria, quæ postea, decursu temporum, distribuit aliis inferioribus ministris. Ergo hæc inferiora ministeria, seu inferiores ordines, sunt quidem partes diaconatus, qualem complevit Ecclesia, non qualem instituit Christus; ergo, ex hoc quod sint partes diaconatus, nullo modo sequitur ea esse a Christo instituta. Alioquin etiam minima ministeria et servitia Ecclesiæ dicere possis sacramenta, quippe quæ sint partes diaconatus, et sic Ecclesia multiplicare posset in infinitum sacramentum ordinis : quod repugnare videtur.

3° *Solvuntur difficultates contra tertiam opinionem.* — 1. Ad relatos canones 3 et 4 conc. Trid. respondetur, his bene satisfieri, si saltem admittas unum ordinem, nempe

ventura, in *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, part. II, art. 2, q. 1, Venetiis, 1754, t. IV, p. 660; — Thomassin, *Discipline de l'Église*, part. I, liv. II, c. XXXIII, n. 5, ed. 1864, t. I, p. 520; — in quam sententiam propendere videtur Hurter, *Theologia, de ordine*, n. 709, Œniponte, 1883, t. III, p. 474.

sacerdotium, esse sacramentum et producere gratiam et characterem : quod negabant multi Protestantes (supra, n. **1**, 3°). Unde etiam dicunt omnes Doctores non esse contra *fidem*, si quis dicat diaconatum non esse sacramentum; — 2. Ad regulam S. Augustini, respondetur huic non esse locum in re præsenti, cum inferiores ordines *nec universa habeat Ecclesia, nec semper habuerit;* — 3. Ad verba *Pontificalis Romani* de charactere, respondetur hæc verba intelligi debere juxta subjectam materiam, et proinde in iis non agi nisi de majoribus ordinibus, qui producunt characterem.

4° Quoad *primam tonsuram,* non est sacramentum (quidquid dixerunt aliqui[1]), ut constat a fortiori ex dictis de ordinibus minoribus; imo controvertitur utrum sit *ordo*, necne; probabilius est eam non esse *ordinem,* sed tantum præambulum ad ordines; quia per eam nulla confertur specialis potestas spiritualis. Ita D. Thomas[2], et alii communiter.

§ 3. De numero et divisione Ordinum, singulorumque muniis.

12. — Numerus ordinum. — Ex dictis, patet ordinem esse *gradum aliquem potestatis spiritualis, ex officio peragendi ritus sacros, vel in illis ministrandi.* Hæc potestas a Christo instituta est quoad ordines qui sunt sacramenta; ab Ecclesia vero pro ordinibus qui non sunt sacramenta. — Dicitur autem « *ex officio* peragendi... », quia, juxta Christi institutionem, etiam merus laicus potest peragere aliquem ritum sacrum, v. g., conferre baptisma; hoc autem non facit *ex officio*, sed *ex necessitate,* et ideo hæc potestas, laico competens, non dicitur *potestas ordinis.*

[1] Apud Morinum, *loc. cit.,* exercit. XV, c. IV, n. 10-12, p. 212.
[2] Suppl. part. III, q. XL, art. 2.

Quot autem sint hujusmodi gradus potestatis seu ordines, desumitur ex dictis :

1° In Ecclesia Latina, sunt *quatuor minores ordines*, et insuper, *subdiaconatus*, *diaconatus* et *sacerdotium;* si ergo sacerdotium, unum tantum ordinem dixeris, sunt septem ordines; si in ipso sacerdotio duos distinctos ordines distinguas, juxta supradicta (n. **6**), erunt octo ordines. — Ut autem dictum est, tonsura non est ordo.

2° In Ecclesia Orientali, *unus* est ordo minor, vel ad summum *duo* ex dictis; deinde *subdiaconatus*, *diaconatus* et *sacerdotium;* erunt ergo quatuor vel quinque ordines, vel etiam sex, si in sacerdotio duos ordines distinxeris.

13. — Divisio ordinum. — Tripliciter dividuntur :

1° Sunt ordines *hierarchici*, et ordines *non hierarchici*. — *Hierarchici* illi sunt qui ad divinam ordinis hierarchiam, a Christo institutam, certo pertinent, nempe *episcopatus*, *presbyteratus* et *diaconatus*, ex conc. Trid., can. 6, sess. XXIII, De ordine. Alii autem ordines dicuntur *non hierarchici*.

2° Sunt ordines *sacri* et *non sacri*. — Omnes quidem ordines sunt sacri *lato sensu*, quia referuntur ad finem sacrum, nempe salutem animarum et cultum Dei; sed tres tantum ordines sunt sacri *stricto sensu*, ratione nempe materiæ circa quam exercentur : scilicet *sacerdotium* et *diaconatus*, quæ versantur circa corpus et sanguinem Domini, et *subdiaconatus*, qui versatur circa vasa consecrata. Ceteri ordines sunt *non sacri*[1]. — Præcipuum momentum hujus divisionis respicit electionem episcoporum. Juxta enim disciplinam Ecclesiæ (supra, n. **8**, 3°), episcopus non potest eligi nisi ex clericis *in sacro ordine constitutis*. Ergo magni refert determinare qui sint ordines sacri.

[1] D. Thomas, cit. q. xxxvii, art. 3.

3° Sunt ordines *majores* et *minores*. — Hæc divisio recidit in superiorem; idem enim est ordo *major* qui ordo *sacer*.

14. — Munia singulorum ordinum.

1° *De ostiariis*. — Ab initio officium ostiariorum fuit duplex, nempe : 1. aperire ecclesiam seu alium quemlibet locum conventuum ecclesiasticorum; — 2. indicere tempus horum conventuum, quod, tempore persecutionum, peculiare requirebat signum, ne detegerentur fideles; a multis sæculis, hæc indictio fit sonitu campanæ. — Huic duplici officio, *Pontificale Romanum*, part. I, De ordinatione ostiariorum, addidit tertium, nempe « librum aperire ei qui prædicat ».

2° *De lectoribus*. — Officium lectorum est varias lectiones quæ in ecclesia fieri debent, cantare vel legere, non tamen lectionem sancti evangelii in missa, quæ fere ubique diacono reservata fuit. — Huic principaliori officio, *Pontificale Rom.*, part. I, De ordinatione lectorum, alterum addit, nempe : « benedicere panem, et omnes fructus novos; » quam tamen benedictionem reservatam esse sacerdoti tradit Benedictus XIV[1].

3° *De exorcistis*. — 1. Præcipuum officium exorcistarum erat olim cura *energumenorum*, nempe eorum fidelium, qui sive baptizati, sive adhuc catechumeni, *dæmoniacam possessionem* patiebantur; his ergo sæpe manus imponebant, recitatis Ecclesiæ exorcismis; insuper illis quotidianum victum laboremque congruum suppeditare satagebant. De quo cf. *Statuta Ecclesiæ antiqua*, can. 90, 91, 92[2]; — 2. Hodie etiam, ut constat *Pontificali Romano*, exorcistæ

[1] Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, sect. 1, n. 306, Lovanii, 1762, t. 1, p. 375-376; aliter tamen sentire videtur S. Alphonsus, lib. VI, n. 805.
[2] Bruns, *Concilia*, t. 1, p. 149.

habent potestatem imponendi manus super energumenos, quam tamen sine licentia episcopi, vi generalis consuetudinis, exercere non possunt.

4° *De acolythis.* — 1. Ab initio, officium acolythorum fuit deferre sacram Eucharistiam, in sacculo depositam; illorum officium sic describit Mabillon : « Sacculos in missa pontificia tunc gestare solebant acolythi ad excipiendas oblationes consecratas, tum quæ in missa confringebantur ad fidelium communionem, tum quæ, *fermenti* nomine, ad titulos (urbis Romæ) mittebantur[1]. » Hoc fuisse officium acolythorum constat tum ex libellis Ordinis Romani a Mabillon editis[2], tum ex Innocentio I, epist. *Ad Decentium*, n. 8, in qua ait : « Presbyteri (titulorum Urbis), quia die ipsa (dominica), propter plebem sibi creditam, convenire non possunt, idcirco *fermentum* a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per parœcias fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt sacramenta,... et presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam[3]. » Hinc, in sua ordinatione, acolythis porrigebatur sacculus, cum relativa oratione, ut constat ex *Ordine Romano VIII*, n. 1[4]. Quod totum egregie confirmatur testimonio Joannis diaconi (circa an. 500),

[1] Mabillon, *In Ordinem Romanum commentarius prævius*, c. XVI; Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 911.

[2] *Ordo I*, n. 19; *Ordo II*, n. 13; Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 946, 975.

[3] Innoc., epist. XXV; Migne, *P. L.*, t. XX, col. 556; — cf. *Liber Pontificalis, vita Melchiadis*, ed. Duchesne, t. I, p. 168. — *Fermentum* hic esse ipsam sacram eucharistiam, docet communissima et probabilissima opinio; cf. Coustant, in hunc locum Innocentii; Migne, *loc. cit.*, col. 556, not. 7; — Mabillon, *In Ordinem Romanum Comm. prævius*, c. VI, n. 2; Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 870; — Thomassin, *Discipline de l'Église*, part. I, liv. II, c. XXI, n. 6, Bar-le-Duc, 1864, t. I, p. 454-455. — Hoc sacrum fermentum deferebat Tarcisius acolythus, cum occisus est a paganis, teste Usuardo, ad XVIII kal. sept.; Migne, *P. L.*, t. CXXIV, col. 366.

[4] Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 1000; — cf. Mabillon, in dicto *Commentario*, c. XVI; Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 910.

epist. ad *Senarium*, n. 10 : « Acolythi vero sacramentorum portanda vasa suscipiunt, et ministrandi sacerdotibus ordinem gerunt[1]. » — 2. Mox cessavit illud acolythorum officium, et ad duo deputati sunt, nempe « ad accendenda ecclesiæ luminaria », et « ad suggerendum vinum in eucharistiam sanguinis Christi », ut jam legitur apud *Statuta Ecclesiæ antiqua*, can. 6[2]; quibus tertium addit *Pontificale Romanum*, De ordinatione acolythorum, nempe : « Ceroferarium ferre. » Hinc sat distant acolythi hodierni a priscis acolythis Romanis.

5° *De subdiaconis.* — 1. Olim triplex præcipuum fuit officium subdiaconi, nempe, *a*. Præparare vasa sacra ad sacram Eucharistiam, quod deducitur ex *Statutis Ecclesiæ antiquis*, can. 5[3], non tamen ea tractare tempore sacri ministerii, ex concilio Laodiceno, can. 21[4]; — *b*. Stare ad fores Ecclesiæ, tempore celebrationis sacrorum mysteriorum, ne quo modo ista turbentur, ex conc. Laodic., can. 22[5]; — *c*. Deferre epistolas episcoporum, ut constat passim ex S. Cypriani epistolis, præsertim ex epist. xxiv, *Ad clerum*[6]. Cavet autem concilium Laodicenum pluribus canonibus, præsertim 21, 22, 25, ne subdiaconus officia vel insignia (nempe *orarium*, quam vocamus *stolam*) usurpet diaconorum. — 2. Hodie, juxta *Pontificale Romanum*, officium subdiaconi est : « Aquam ad ministerium altaris præparare, diacono ministrare; pallas altaris et corporalia abluere; calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre; » insuper et *oblationes* pro communione populi in altari præparare, ut constat ex verbis quæ sta-

[1] Migne, *P. L.*, t. lix, col. 405.
[2] Bruns, *Concilia*, t. i, p. 142.
[3] *Ibid.*, p. 141.
[4] *Ibid.*, p. 76.
[5] *Ibid.*, p. 76; — cf. Bingham, *Origines*, lib. III, c. ii, § 3, p. 13.
[6] Migne, *P. L.*, t. iv, col. 287.

tim addit *Pontificale*. — Addenda est lectio *epistolæ* in missa solemni : qui usus incepisse videtur in Hispania, uti deducitur ex concilio Toletano I (an. 398), can. 4, et ex capitulis Martini Bracarensis (an. 572), can. 44[1]; deinde diffusus est in alias nationes[2].

15. — 6° *De diaconis.*

A. Hæc erant olim eorum officia : 1. Intra missam, *populi oblationes recipere*, eas in altari coram sacerdote proponere, *nominaque offerentium recitare;* hæc consuetudo recitandi nomina offerentium pluribus documentis constat, v. g., Innocentii I epistola *Ad Decentium*, n. 5[3]; hæc autem nomina solere recitari a *diacono*, patet ex S. Hieronymo, *In Ezechielem*, XVIII, 5-6[4]; — 2. *Evangelium in missa legere*, ut patet multis documentis, v. g., S. Hieronymi epistola *Ad Sabinum*, n. 6 : « Evangelium Christi quasi diaconus lectitabas[5]; » item concilio Vasensi II (an. 529), can. 2[6]; non tamen ubique; sic, v. g., in Africa, tempore S. Cypriani, lectio evangelii, sicut aliæ lectiones, pertinebat ad lectores, ut deducitur ex S. Cypriani epistola XXXIV, *Ad clerum et plebem*, n. 4[7]; — 3. *Distribuere sacram eucharistiam*, ut patet ex S. Justino, *Apologia I :* « Qui apud nos dicuntur *diaconi* (διάκονοι), panem, et vinum, et aquam, in quibus gratiæ actæ sunt, *unicuique præsentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt*[8]; » non tamen poterant eam distribuere *presby-*

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 284; t. II, p. 53.
[2] Martène, *De antiquis Eccl. ritibus*, lib. I, c. VIII, art. 8, n. 15, t. II, p. 20.
[3] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 553; — cf. etiam S. Hieronymum, *In Jeremiam*, XI, 15-16; Migne, *P. L.*, t. XXIV, col. 755.
[4] Migne, *P. L.*, t. XXV, col. 175.
[5] Epistola CXLVII; Migne, *P. L.*, t. XXII, col. 1200.
[6] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 184.
[7] Migne, *P. L.*, t. IV, col. 319.
[8] *Apol.* I, n. 65; Migne, *P. G.*, t. VI, col. 427.

teris, quod severe prohibet concilium Nicænum, can. 18[1]; postea non distribuerunt eucharistiam nisi sub specie vini, ut jubent *Constitutiones apostolorum*, lib. VIII, c. XIII[2]; omnino autem prohibiti sunt, ne *offerrent*, seu ne *consecrarent sacram Eucharistiam;* sic conc. Arelatense I (an. 314), can. 15, jubet : « De diaconibus, quos cognovimus multis locis *offerre, placuit minime fieri debere*[3]; » ita etiam *Const. apostolorum*, lib. VIII, c. XXVIII : « Non *offert* (diaconus); *oblatione* vero *ab episcopo aut presbytero facta,* ipse diaconus dat populo, non tanquam sacerdos, sed tanquam qui ministrat sacerdotibus[4]; » — 4. *Conferre baptismum solemniter,* non tamen sine licentia episcopi; quod patet multis documentis, v. g., ex S. Hieronymo, *Dialogus contra Lucif.*, n. 9 : « Inde venit, ut sine chrismate, et *episcopi jussione,* neque presbyter, neque *diaconus, jus habeant baptizandi*[5]; » ita etiam Tertullianus[6]; — 5. *Admonere plebem, in sacris conventibus, quid esset faciendum,* sicut adhuc hodie faciunt, dicentes : « *Flectamus genua..., Procedamus in pace..., Ite, missa est,* etc.; » hinc vocabantur aliquando *sacri præcones;* unde etiam, si quid minus recte fieret, diaconi reos reprehendebant[7]; — 6. *Concionari* seu *prædicare, non tamen sine licentia episcopi;* unde Vigilius Papa vehementer exprobrat duobus diaconis quod sine jussione episcopi prædicaverint : « Adjecistis etiam exsecranda superbia, quæ nec leguntur, *nec sine sui pontificis jussione aliquando ordinis*

[1] Bruns, *Concilia,* t. I, p. 19; cf. etiam Hefele, *Histoire des Conciles* (traduction Delarc), t. I, p. 414-417.

[2] Migne, *P. G.,* t. I, col. 1110.

[3] Bruns, t. II, p. 109.

[4] Migne, *P. G.,* t. I, col. 1126; cf. etiam Hefele, *loc. cit.;* — Bingham, *Origines,* lib. II, c. XX, § 8, p. 315-319.

[5] Migne, *P. L.,* t. XXIII, col. 165.

[6] *De baptismo,* c. XVII; Migne, *P. L.,* t. I, col. 1218.

[7] Cf. Bingham, *loc. cit.,* § 10, p. 320; § 14, p. 327.

vestri homines præsumpserunt, auctoritatem vobis prædicationis contra omnem consuetudinem vel canones vindicare[1]; » concilium Vasense II (an. 529), can. 2, permittit presbyteris parochialibus, ut si ipsi sint impediti, « sanctorum Patrum homiliæ a diaconibus recitentur[2]; » — 7. Tandem, in extrema necessitate, deficientibus episcopo et presbytero, diaconi aliquando receperunt confessionem, saltem generalem, delictorum, et manus in pœnitentiam imposuerunt, ut constat celebri textu infra (n. **16**) relato S. Cypriani, ex quo tamen deduci nequit diaconos vere, in foro sacramentali, absolvisse peccata. Cf. cap. *Fures*, 2, De furtis (ex concilio Triburiensi, an. 895, can. 31 = can. *Fures*, 31, Caus. XIII, q. II)[3].

B. Hodie, juxta *Pontificale Romanum*, tit. De ordinatione diaconi, officium diaconorum triplex est : « Diaconum enim oportet *ministrare ad altare, baptizare, et prædicare;* » de his et aliis hodiernis diaconorum officiis breviter :

1. *Ministrare ad altare;* quod, inter cetera, hæc complectitur : *a.* Diaconus in missa solemni cantat evangelium; — *b.* Porrigit sacerdoti hostiam, infunditque in calicem vinum, quod deinde cum sacerdote offert; — *c.* Admonet fideles, quid facere debeant, dicendo, v. g., *Ite, missa est.* — Non vero amplius distribuit eucharistiam; remanet tamen hujus distributionis minister *extraordinarius*, de quo hæc : 1. Potest deferre viaticum infirmis,

[1] Vigilii epistola XIV, *Ad Rusticum et Sebastianum;* Migne, *P. L.*, t. LXIX, col. 48.

[2] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 184.

[3] Cf. Laurain, *De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la pénitence*, Paris, 1897, p. 69 sq., 85, 98, 109; — vide etiam Benedictum XIV, *De synodo*, lib. VII, c. XVI, n. 5-8. — De diaconorum officiis, primis Ecclesiæ sæculis, cf. Morinum, *loc. cit.*, exercit. IX, c. III, p. 138 sq.; — Bellarminum, *De clericis*, c. XIII, n. 13-19; *Controv.*, Pragæ, 1721, t. II, p. 155-156.

modo hæc tria concurrant, nempe *adsit necessitas* (quæ, de facto, sæpe adest in his adjunctis), *desit copia sacerdotis*, et *habeatur licentia parochi;* ita a longo tempore usus invaluit, et tenent communiter doctores[1]; — 2. Sicubi adsit consuetudo, ut non sufficiat licentia parochi, sed requiratur licentia Ordinarii[2], profecto huic standum est; requiri licentiam Vicarii apostolici in locis missionum respondit S. Rit. Congr., in una *Tonkini occid.,* 14 aug. 1858[3]; — 3. In casu gravis necessitatis, quando nempe nulla haberi potest licentia, diaconus licentia non eget; — 4. In hac sacri viatici administratione, diaconus observare debet ritus præscriptos a Rituali, etiam aspergendo aquam benedictam, et benedicendo infirmum et assistentes cum sanctissimo sacramento, ut constat cit. decisione S. Rit. Congr., in una *Tonkini occid.;* — 5. Etiam extra casum viatici ministrandi, potest diaconus communionem ministrare, *si adsit gravis necessitas*, v. g., in concursu fidelium sacram communionem petentium, et non præsto sit sacerdos qui possit eam ministrare. Ita communis doctorum opinio[4]. Apud nos, saltem pluribus in locis, requiritur ad hoc licentia episcopi.

2. *Baptizare;* diaconus est minister extraordinarius baptismi *solemnis* (non agitur enim de baptismo in casu necessitatis, quem etiam laici conferre possunt), ut constat epistola S. Gelasii, *Ad episcopos Lucaniæ,* n. 7 : « Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant (diaconi), nisi, prædictis fortassis officiis longius consti-

[1] Cf. S. Alph., lib. VI, n. 237; — d'Annibale, *Summula,* t. I, n. 89; t. III, n. 252; edit. 3, t. I, p. 79; t. III, p. 217.

[2] Ita in pluribus Galliarum partibus, et hic etiam Parisiis, uti supponit *Rituale Parisiense, De sacramento Eucharistiæ,* n. 25, Parisiis, 1839, p. 121.

[3] *Decreta auth.,* n. 3074, t. II, p. 413.

[4] S. Alph., lib. VI, n. 237.

tutis, necessitas extrema compellat[1]; » qui textus, insertus Decreto Gratiani (can. *Diaconos*, 13, dist. XCIII) ubique receptus est et constituit jus commune. Unde et hoc communiter docent Doctores[2]. — De quo hæc dicenda : 1. Licet jure communi sufficiat commissio sacerdotis, attamen alicubi, vi consuetudinis, requiritur commissio episcopi : cui consuetudini standum est, ut recte notat Juenin[3]; — 2. In Gallia, saltem multis in locis, hæc consuetudo, vi cujus requiratur licentia episcopi, inducta est, ut communiter notant Galli auctores[4]; — 3. Ut diacono committi possit administratio baptismi, requiritur necessitas, aut certe magna utilitas; ratio est quia non est nisi minister extraordinarius; — 4. Diaconus debet ministrare baptismum cum aqua baptismali *a sacerdote benedicta*, et item cum sale *a sacerdote benedicto;* juxta enim vetustissimum Ecclesiæ usum, diaconus *non benedicit*, quod jam dicebat auctor *Const. apostol.*, lib. VIII, c. XXVIII, textu infra (n. **16**) referendo; quod confirmatur decisione S. Rit. Congr., in *Mariannen.*, 10 feb. 1888[5].

3. *Prædicare;* diaconus est minister extraordinarius prædicationis, ita tamen ut *requiratur semper licentia episcopi;* munus enim prædicationis ita est episcopo proprium, ut nec presbyteri sine ejus approbatione prædicare possint. — Si tamen agatur de mera catechesi, diaconus eam facere potest sine episcopi licentia.

4. *Funus defuncti ducere;* diaconus potest, deficiente

[1] Gelasii epist. XIV, Thiel, p. 366.

[2] Cf. *Catech. Conc. Trid.*, part. II, c. II, *De baptismo*, n. 22, ed. Gagey, Dijon, 1865, t. I, p. 323; — S. Alph., lib. VI, n. 116.

[3] *De sacramentis*, diss. II, q. VI, c. II, art. 1, Lugduni, 1696, p. 78.

[4] V. g., Habert, *Theologia, De baptismo*, c. VI, Lugduni, 1775, t. V, p. 187. — Pro diœcesi Parisiensi, expresse statutum est requiri licentiam episcopi in *Rituali*, part. I, *De sacramento baptismi*, n. 18, Parisiis, 1839, p. 15.

[5] *Decreta auth.*, n. 3684, t. III, p. 190.

presbytero et de licentia Ordinarii, funeri defuncti præesse, modo qui notatur in sequenti decisione S. Rit. Congr.; cum enim, in cit. causa *Tonkini occidentalis*, ab ea quæreretur : « Dubium II. Si idem diaconus, ex pari mandato (vicarii apostolici), precans pro defuncto, dicat Vesperas aut Laudes vel preces exsequiarum in Rituali, debebitne eas cantare? Debebitne legere *Non intres*, cantare *Libera*, et, circumiens feretrum, poteritne corpus aspergere aqua benedicta et incensare, ac benedicere sepulcrum, et dicere alias preces, exceptis excipiendis, juxta Rituale; præsertim si faciat has privatim in domibus privatis? » respondit, 14 aug. 1858 : « Ad II, ut ad primum; » nempe : « *Deficiente presbytero, et vicarii apostolici concurrente licentia, affirmative in omnibus*[1]. » — Non potest tamen funeri præesse diaconus cum *pluviali*, juxta decisionem ejusdem Congr., in *Angelopolitana*, 11 sept. 1847, ad 10[2].

5. Quoad *benedictiones*, principium est, antiquissimo usu, ut jam dictum est, inductum, diaconum non posse benedicere (nisi specialiter et expresse ei concedatur, ut in quibusdam statim relatis casibus); sic non potest benedicere sal et aquam, etiam cum baptizat, ut dictum est; — non potest benedicere populum cum sanctissimo sacramento, ut respondit S. Rit. Congr., in cit. *Angelopolitana*, ad 9; — non potest benedicere domos in sabbato sancto, etiam de licentia parochi, ut respondit S. Rit. Congr., in *Bisinianen.*, 8 aug. 1835[3].

16. — 7° *De presbyteris.*

A. Hæc erant olim eorum officia : 1. *Offerre*, nempe sacram eucharistiam consecrare; imo hoc præcipuum erat

[1] *Decreta auth.*, n. 3074, t. II, p. 414.
[2] *Ibid.*, n. 2951, t. II, p. 352.
[3] *Ibid.*, n. 2729, t. II, p. 259.

quo distinguerentur presbyteri a diaconis; presbyteros autem ad hoc officium destinatos fuisse, patet plurimis documentis, v. g., citato (supra, n. **15**) loco *Const. apost.*, lib. VIII, c. XXVIII; citata (supra, n. **14**, 4°) epistola XXV Innocentii I *ad Decentium;* insuper conc. Nicæno, can. 18 : « Pervenit ad sanctam synodum quod, in nonnullis locis et civitatibus, diaconi dant *presbyteris* eucharistiam; quod nec canon nec consuetudo tradit, ut, qui offerendi non habent potestatem, *iis qui offerunt*, dent corpus Christi[1]; » jam autem presbyteros functos fuisse hoc officio in ipsis Ecclesiæ initiis, deducitur ex S. Ignatii epistola *ad Smyrnæos*, c. VIII, n. 1 : « Valida eucharistia habeatur illa, quæ sub episcopo peragitur, vel *sub eo, cui ipse concesserit*[2]; » quæ ultima verba intelligi nequeunt, nisi de presbyteris[3]; — 2. *Conferre baptismum solemniter*, uti constat ex supra (n. **15**) allatis locis Hieronymi et Tertulliani, quoad jus baptizandi ad diaconos pertinens; — 3. *Imponere pœnitentiam et absolvere a peccatis*, ut constat ex celebri textu S. Cypriani : « ... Qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, *apud presbyterum quemcumque præsentem*, vel si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque, *exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace*[4]; » — 4. *Sacramentum extremæ unctionis administrare*, ut constat ex Innocentio I, epist. *Ad Decentium*, n. 11; postquam enim retulit notis-

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 19.

[2] Ed. Funk, Tubingæ, 1881, p. 241.

[3] Multo tamen rarius celebrabant ac hodie. Cf. de Smedt, *Organisation des églises chrétiennes, au Ier et au IIe siècle*, in *Congrès scientifique de 1888*, Paris, 1889, t. II, p. 297-338, præsertim p. 317, 323, 336.

[4] S. Cypriani epist. XII, *Ad clerum;* Migne, *P. L.*, t. IV, col. 259.

sima verba Jacobi, v, 14-15, addit : « Ceterum illud superfluum esse videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur[1], *quod presbyteris licere non dubium est.* Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi, occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum, si episcopus, aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est chrisma conficere[2]; » — 5. *Prædicare verbum Dei*, cum licentia tamen episcopi; sic conc. Vasense II (an. 529), can. 2, dat omnibus presbyteris parochialibus licentiam prædicandi : « Placuit ut, non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis, *verbum faciendi daremus presbyteris potestatem*[3]; » — 6. *Benedicere*, sive personis, sive rebus; sic *Const. apost.*, lib. VIII, c. XXVIII, tradunt : « *Presbyter benedicit*, non benedicitur; benedictionem recipit ab episcopo et a compresbytero, eamque pariter compresbytero dat...; diaconus non benedicit...; » et c. XXIX : « Benedicat episcopus aquam et oleum; si vero non adsit, *benedicat presbyter...*[4]; » — 7. *Partem habere cum episcopo et ceteris presbyteris in regimine ecclesiæ;* initio enim sic dictum *presbyterium* simul cum episcopo regebat ecclesiam.

B. Hodie fere eadem manserunt officia presbyterorum; quod, quia clarissimum est, sufficiat indicare; quoad septimum officium, magnam etiam partem hodie habent presbyteri in regimine ecclesiarum, dum vocantur ad regendas ecclesias parochiales, ad munus vicarii generalis, ad munus canonicorum, etc.

[1] Dubitabat nempe Decentius num, S. Jacobo non memorante nisi *presbyteros,* liceret *episcopo* ungere infirmos.

[2] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 560.

[3] Bruns, t. II, p. 184.

[4] Migne, *P. G.*, t. I, col. 1123, 1126.

17. — 8° *De episcopis.* — Quidquid facere potest presbyter, id facere potest episcopus; sed præterea, sicut ab initio, ita et nunc, plura reservantur *ordini episcopali* (non agitur hic de potestate jurisdictionis), quibus distinguitur ab ordine presbyterali. Et quidem :

1. *Jure divino*, reservatur ordini episcopali ordinatio tum episcoporum, tum presbyterorum, tum diaconorum, de quo supra (n. **2**) dictum est; item, jure divino, episcopus est minister *ordinarius* sacramenti confirmationis.

2. *Jure ecclesiastico*, multa reservantur episcopis, v. g., conferre subdiaconatum, ordines minores et tonsuram; conficere sanctum chrisma; consecrare ecclesias, altaria, vasa sacra, etc.; varias impertire benedictiones, etc.; de quibus omnibus agitur suis locis; unde hic sufficiat ea annotasse.

§ 4. De iteratis ordinationibus.

I. Facta historica

18. — Quinque priora sæcula.

1° *Per quinque priora sæcula, nunquam iterabantur ordinationes, licet ab hæreticis, schismaticis, excommunicatis, intrusis, etc., peractæ, sed habebantur ut validæ.* — Notandum est hic agi de ordinationibus, quæ, etsi illicite collatæ, peractæ tamen fuerant juxta legitimos ritus ab Ecclesia probatos. — De qua re habemus testes omni exceptione majores; testes nempe sunt :

A. *S. Hieronymus;* hic enim in *Dialogo contra Luciferianos* totus est ut ostendat episcopos aut presbyteros Arianos valide conferre sacramenta, non tantum baptisma (quod fere concedebant Luciferiani), sed et alia, et notanter ordinem. Ait enim, n. 11 : « Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, et *in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit;* » — et n. 14 : « Eadem enim ratione *episcopum ab Arianis recipio,* qua tu recipis baptizatum; » et n. 27 : « Synodus quoque

Nicæna omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis. *Et quod his majus est, episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, presbyterii gradum servat*[1]. »

B. *S. Augustinus;* hic enim pluries id testatus est, et quidem tanquam extra omnem controversiam, et in toto orbe receptum; ait enim :

a. *Contra epistolam Parmeniani,* lib. II, n. 28 : « Utrumque enim (baptismus et ordinatio) sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, *ideoque in catholica* (Ecclesia) *utrumque non licet iterari.* Nam, si quando ex ipsa parte (hæresis) venientes, *etiam præpositi,* pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt, *et si visum est opus esse ut eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursum ordinati;* sed *sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra,* quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, *non in sacramentis, quæ, ubicumque sunt, ipsa sunt.* Et cum hoc expedire judicatur Ecclesiæ, ut præpositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, *non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos.* Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne, non homini, sed ipsi sacramento fiat injuria[2]. » — Et, paulo infra, n. 30 : « Et hæc quidem alia quæstio est, utrum et ab iis qui nunquam fuerunt christiani, possit baptismus dari; nec aliquid temere inde affirmandum est, sine auctoritate tanti concilii, quantum tantæ rei sufficit. De iis vero qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt, nulla jam quæstio est, quin et habeant et dare possint... Hoc enim jam in ipsa totius orbis unitate discussum, consideratum, perfectum atque firmatum est. Sed si nos male facimus, ipsi explicent *quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, et sacramentum ordinati possit amitti... Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri sacramento injuria facienda est...*[3]. »

[1] Migne, *P. L.,* t. XXIII, col. 166, 168, 181.
[2] Migne, *P. L.,* t. XLIII, col. 70-71.
[3] *Ibid.,* col. 72.

b. *Contra Cresconium donatistam*, lib. II, n. 12, similia habet : « Magnum aliquid tibi dicere visus es, nominando Candidum Villaregiensem, et Donatum Macomadiensem, *qui ex vestris episcopis etiam apud nos episcopi fuerunt...*, *quasi sacramenta et invocatio nominis Dei, quæ fit apud vos, ipsa inimica sit nobis, cum et in iis qui extra Ecclesiam sunt, non sit omnino nisi Ecclesiæ...* » Cf. etiam n. 13, 14[1].

c. Item in *Sermone ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem*, n. 2 : « Sed propter malum quod habent (Donatistæ), non in eis possumus persequi bona quæ agnoscimus. Malum enim dissensionis, schismatis, hæresis, malum suum habent, bona vero quæ in illis agnoscimus, non sunt sua, Domini Nostri habent bona, Ecclesiæ habent bona. *Baptismus non est ipsorum, sed Christi; invocatio nominis Dei super caput ipsorum quando ordinantur episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati.* Non eum suscipio episcopum, si, quando est ordinatus, super caput ejus Donatus est invocatus. *In errante et deserente milite, crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris*, etc.[2]. »

d. His similia etiam habet, tum in opere *De baptismo contra Donatistas*, lib. I, c. 1[3]; — tum in *Breviculo Collationis cum Donatistis*, collatio I, c. v[4]; — tum in epistola conciliari *Ad Donatistas*, n. 13[5]; — tum in epistola *Ad Vincentium*, n. 46[6]; — tum in epistola CLXXXV, *De correctione Donatistarum*, n. 47, ubi manifeste testatur Ecclesiam Africanam hæreticos et schismaticos suscepisse cum suis ordinibus : « Ceteros correctos, *etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent*, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt (episcopi)[7]. » — Revera, concilium Carthaginense III (an. 397), can. 38, ait : « Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria synodo videtur statutum : Non liceat fieri rebaptizationes et *reordinationes*, vel

[1] Migne, *P. L.*, t. XLIII, col. 473-474.
[2] *Ibid.*, col. 691.
[3] *Ibid.*, col. 109.
[4] *Ibid.*, col. 615.
[5] Epist. CXLI; Migne, *P. L.*, t. XXXIII, col. 583.
[6] Epist. XCIII; *ibid.*, col. 343.
[7] *Ibid.*, col. 813.

translationes episcoporum [1]. » Cf. etiam *Codex Ecclesiæ Africanæ*, can. 68 [2].

C. *S. Leo* pariter id præclare testatur; sic :

a. In epistola *Ad Rusticum Narbon.*, Inquis. I, ait : « Si qui autem clerici *ab istis pseudoepiscopis* in eis ecclesiis *ordinati sunt*, quæ ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum consensu et judicio præsidentium facta est, *potest rata haberi*, ita ut in ipsis ecclesiis perseverent [3]. »

b. In epistola *Ad episcopos africanos*, c. VI, ait : « Maximum quoque ex laico, licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista jam non est, et a spiritu schismaticæ pravitatis alienus, ab episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate, ita ut et ipse, libello ad nos edito, catholicum se esse manifestet [4]. »

c. In epistola *Ad Januarium Aquileiensem*, loquens de clericis Pelagianis conversis, ait : « Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si, adempta sibi omni spe promotionis, *in quo inveniuntur ordine stabilitate perpetua maneant*, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati [5]. »

Unde clarissime patet totius Ecclesiæ fuisse consuetudinem, per hæc priora sæcula, ut, sicut baptismus, ita et ordinatio, ab hæreticis, schismaticis, etc., peracta, rata haberetur.

19. — 2° *Solvuntur difficultates.*

A. *Ex concilio Nicæno*, can. 8, in quo, loquens de Novatianis (qui se vocabant Καθαρούς, *puros*), ait : « Placuit sanctæ et magnæ synodo, ut *impositione manuum* donati, sic maneant in clero, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ [6]. » Ergo clerici Novatiani jussi sunt *iterum ordinari*, cum *impositio manuum* significet *ordinationem;* et ideo vocabulum χειροθετου-

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 128.
[2] *Ibid.*, p. 172.
[3] Epist. CLXVII; Migne, *P. L.*, t. LIV, col. 1203.
[4] Epist. XII; Migne, *P. L.*, t. LIV, col. 653.
[5] Epist. XVIII; *ibid.*, col. 708.
[6] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 16.

μένους latine vertunt *ordinatos* Rufinus, Collectio Hispana, et Gratianus [1].

Resp. : 1. Vox χειροθεσία significat simpliciter *impositio manuum*, et ideo dicitur de qualibet *impositione manuum*, v. g., de illa quæ fiebat super baptizatos ab hæreticis, qui redibant ad Ecclesiam [2]; dicitur etiam de *ordinatione*, quia fit per *impositionem manuum;* attamen rarius adhibetur in hoc ultimo sensu; ad significandam enim *ordinationem*, Græci frequentius adhibebant vocem χειροτονία, id est, *extensio manuum;* sic ipsum concilium Nicænum hoc vocabulum adhibet, can. 19, ad significandam veram ordinationem. In hoc canone 19, agitur de Paulianis, id est, de discipulis Pauli Samosateni, qui errabant circa S. Trinitatem, et quorum baptisma nullum erat; ideo concilium Nicænum jubet eorum clericos *rebaptizari*, et *ordinari*, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἐπισκόπου [3]. Hoc ergo discrimine verborum et locutionum adhibito, indicat concilium Nicænum se de diversis ritibus agere in duobus locis. Ceterum, si qua dubietas supersit in vocabulo χειροθεσία, tollitur 1. Per reliquum textum canonis 8, ex quo patet Novatianos nullo modo jussos fuisse iteratam ordinationem accipere, sed eos, si quos pœnituerit, receptos fuisse apud catholicos *in eo ordinis gradu in quo erant*, saltem in iis locis in quibus soli fuissent : ἔνθα μὲν οὖν πάντες, εἴτε ἐν κώμαις, εἴτε ἐν πόλεσιν, αὐτοὶ μόνοι εὑρίσκοιντο χειροτονηθέντες, οἱ εὑρισκόμενοι ἐν τῷ κλήρῳ ἔσονται ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι; — 2. per supra relata testimonia Hieronymi, Augustini, et

[1] Rufinus, *H. E.*, lib. I, c. VI; Migne, *P. L.*, t. XXI, col. 474; — Collectio Hispana, apud Maassen, *Geschichte der Quellen*, etc., p. 926, vel apud Isidorum Mercatorem qui hanc collectionem inseruit suæ compilationi (Hinschius, *Decretales pseudo-Isidorianæ*, p. 259); — Gratianus, can. *Si qui*, 8, Caus. I, q. VII. Ita etiam quidam alii apud Sbaralea, *De sacris pravorum ordinationibus*, c. XI, n. 2-3, Florentiæ, 1750, p. 211-213. — Unde per istam *manuum impositionem* significari *ordinationem* tenet Morinus, *De sacris ordinationibus*, part. III, exercit. V, c. VII, n. 14-15; c. XII, n. 9 sq., Antuerpiæ, 1695, p. 79, 94 sq.

[2] Cf. Petavium, *De hierarchia ecclesiastica*, lib. II, c. VI, *Theol. dogm.*, Venetiis, 1757, t. II, p. 114; — Vuitasse, *De ordine*, part. I, q. I, art. 1, *Tract. theol.*, Venetiis, 1730, t. VI, p. 7.

[3] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 19.

Leonis; tanti enim doctores non tam vehementer affirmassent prohibitam iterationem ordinationum, si, paucis antea annis, concilium Nicænum jussisset ordinationes iterari.

2. Quod attinet ad Rufinum, auctorem collectionis Hispanæ et Gratianum, vocabula *ordinari, ordinatio,* quæ adhibuerunt, forte non magis erant determinata ad significandum sacramentum ordinationis, quam relativum verbum græcum χειροθεσία, et ideo intelligi possunt de ordinatione *reconciliatoria*, *non sacramentaria*. Quod si intellexerunt veram ordinationem, respondeo multo plures alios simpliciter vertisse et intellexisse *manuum impositionem,* v. g., Innocentius I, Dionysius Exiguus, versio *Prisca,* tres aliæ antiquæ Nicænorum canonum versiones, Cresconius, Auxilius, Petrus Damiani, etc.[1]. Imo, Tarasius, patriarcha Constantinopolitanus, in concilio Nicæno II (an. 787), act. I, vocabulum χειροθεσία interpretatur de simplici benedictione, non de ordinatione : « Forte, inquit, in *benedictione tantum* hic manus impositionem dicit, et *non consecrationem*[2]; » et cit. Auxilius ex verbis concilii Nicæni concludit Novatianos non fuisse iterum ordinatos : « Audistis liquidius quod *a pseudo-episcopis ordinatio facta possit rata consistere;* audistis etiam quia sicut denuo quisque baptizari non debet, ita nec denuo in eodem ordine consecrari potest... Inde etiam et Novatiani, *ut fuerant ordinati, per manus impositionem suscipiuntur*[3]. » — Mitto aliam interpretationem verborum Nicænorum, juxta quam agatur non de nova impositione manuum accipienda, sed de veteri jam accepta apud Novatianos. De qua cf. Vuitasse[4]. Huic interpretationi

[1] Innoc., epist. XVII, *Ad episcopos Macedoniæ,* n. 10; Migne, *P. L.,* t. XX, col. 532; — Dionysius Exiguus, in versione Nicænorum canonum; Migne, *P. L.,* t. LXVII, col. 149; — *Prisca,* apud Mansi, *Concilia,* t. VI, col. 1128; — tres aliæ versiones, nempe versio *Cæciliana, gallico-hispana* et *gallica,* apud Maassen, *Geschichte der Quellen,* etc., p. 905, 911, 918; — Cresconius, *Breviarium canonicum,* n. 54; Migne, *P. L.,* t. LXXXVIII, col. 864; — Auxilius, *De ordinationibus a Formoso papa factis,* c. XXIII; Migne, *P. L.,* t. CXXIX, col. 1068; — Petrus Damiani, *Liber qui dicitur Gratissimus,* c. XXII; Migne, *P. L.,* t. CXLV, col. 133.

[2] Mansi, *Concilia,* t. XII, col. 1021.

[3] *Loc. cit.,* c. XXIV, col. 1068.

[4] *De ordine,* part. I, q. IV, art. 2, sect. VII, p. 161.

repugnat ipsa locutio græca, imo ipsa vox χειροθετουμένους, quæ est, non præteriti, sed *præsentis* temporis.

B. *Ex concilio Nicæno* iterum, ex epistola synodali ad episcopos Ægyptios. — In hac epistola, quæ prostat apud Socratem et Theodoretum [1], agens de Meletianis, schismaticis, aiunt Patres concilii : « Illi vero qui ab eo (Meletio) in sacrum ordinem lecti sunt, *simul atque sanctiore manuum impositione confirmati fuerint*, μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας, ad communionem post hæc admittantur, et permittatur illis quidem honoribus frui, et sacris muneribus fungi. » Ergo agitur de vera et nova *ordinatione*, χειροτονία, imo quæ comparatur cum priore accepta, et sanctior vocatur; ergo jussi sunt Meletiani iterum ordinari. Quod tenet Valesius, in *notis* ad prædictum locum Socratis ; item et Morinus [2].

Resp. : Certum est vocabulum χειροτονία sat frequenter adhiberi pro ordinatione; attamen non semper adhibetur in hoc sensu [3]; insuper hic non simpliciter adhibetur (sicut in can. 19, de Paulianistis), sed cum vocabulo βεβαιωθέντας, quod significat *confirmatos;* porro non *confirmatur* nisi quod jam existit; agitur ergo non de impositione manuum *consecratoria,* sed de impositione manuum *reconciliatoria*, qua nempe clerici Meletiani, ad communionem admissi, permittebantur suis ordinibus fungi. Quod autem hæc impositio manuum vocetur *sanctior* priore, nihil mirum; prior enim contulit quidem characterem, sed non Spiritum Sanctum, imo fuit impia et sacrilega; altera signum erat efficax redditæ communionis, remissorumque peccatorum. — Ceterum, ut jam dixi pro canone 8 ejusdem concilii, si quædam dubietas supersit in intelligendis verbis concilii, tollitur certo per relata testimonia Hieronymi, Augustini et Leonis.

C. *Ex Innocentio I Romano Pontifice;* hic, epistola XXIV, *Ad Alexandrum Antiochenum*, n. 4, ait : « Arianos præterea, cete-

1 Socrates, *H. E.*, lib. I, c. IX; Migne, *P. G.*, t. LXVII, p. 79; — Theod., *H. E.*, lib. I, c. VIII; Migne, *P. G.*, t. LXXXII, col. 930.

2 Loco cit., exercit. V, c. XII, n. 16, p. 95.

3 Cf. Petavium, loco cit., *De hierarchia eccl.*, — et Vuitasse, loco pariter cit., *De ordine*, p. 4.

rasque hujusmodi pestes, quia eorum laicos, conversos ad Dominum, sub imagine pœnitentiæ ac Sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, *non videtur clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam recipi debere dignitate, quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus... Qui fieri potest, ut eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur,* quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad Sancti Spiritus percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiamus[1]? » Unde, ex ipsis verbis Innocentii, *solum baptisma Arianorum ratum est,* rata proinde non est eorum ordinatio, et proinde eorum clerici recipi non possunt in suis ordinibus. — Ita Morinus et Sbaralea[2].

Resp. : Innocentius agit, non de *charactere* ordinationis, sed de *usu* et proinde *honoribus* ordinum, et dicit tantummodo Arianos ceterosque hujusmodi hæreticos, ab hæreticis ordinatos, non debere suscipi *cum usu et honoribus ordinum,* sed tantummodo *ad laicam communionem.* Hoc autem expressius declarat in epistola XVII, *Ad episcopos Macedones,* n. 8 : « Sed *nostræ lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare*[3]. » Unde, cum concilium Nicænum, ut dictum est, jusserit recipi clericos Novatianos cum suis ordinibus, respondet Innocentius hoc de solis Novatianis intelligendum esse, *ibid.,* n. 10 : « Possum vero dicere, de solis hoc Novatianis esse præceptum, nec ad aliarum hæresum clericos pertinere. » — Igitur, quando Innocentius, loquens de Arianis, dicit *solum eorum baptisma esse ratum,* non intelligit ratum *quoad characterem,* sed ratum *quoad jura et honores inde dimanantes;* hoc ergo discrimen erat inter eorum laicos et eorum clericos, quod laici, recepta semel impositione manuum, admittebantur cum omnibus juribus et honoribus e baptismate ortis, clerici vero non admittebantur

[1] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 550.

[2] Morinus, *loc. cit.,* c. VII, n. 6, p. 77; — Sbaralea, *loc. cit.,* c. VIII, n. 9-15, p. 150 sq.

[3] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 531.

cum honoribus ex sacris ordinibus defluentibus, sed tantum ad laicam communionem [1].

20. — Sæculum VI; Joannes Scholasticus. — Joannes Scholasticus, patriarcha Constantinopolitanus (564-578), fidei catholicæ addictus, jussit clericos sibi subjectos, qui ab hæresi monophysitarum ad catholicam communionem venerant, *deponi a sacris ordinibus in hæresi receptis, et iterum in his ordinibus ordinari*. Qui revera ab ipso patriarcha depositi sunt, et iterum ordinati. — Imo, idem attentavit quoad clericos, et etiam episcopos aliarum diœceseon; sic Paulus, episcopus monophysita civitatis Aphrodisiæ, in Asia, novam recepit consecrationem episcopalem pro alia diœcesi. - - Scripsit pariter Joannes Scholasticus ad plures episcopos catholicos, ut eadem agendi ratione uterentur quoad clericos monophysitas sibi subjectos. — Hæc constant ex *Chronico* Joannis, episcopi Ephesini, monophysitæ (sæculo VI) [2].

En ergo primum exemplum certum iteratæ ordinationis ab hæreticis receptæ. Verum, ut didicimus eodem auctore, clerici Constantinopolitani, jussi novam ordinationem subire, quantum potuerunt restiterunt, maledixeruntque tam Patriarchæ quam ejus novæ ordinationi, sacris canonibus contrariæ [3]. Restiterunt pariter episcopi [4]; imo, cum clerici iterum ordinati Ecclesiæ Constantinopolitanæ adscripti fuissent, id ægerrime tulerunt etiam catholici, contra canones et instituta ecclesiastica rem factam esse conclamantes [5]. — Unde hæc facta potius confirmant

[1] Cf. Vuitasse, cit. sect. VII, objic. 5, p. 163.

[2] Hujus *Chronici* fere non remanet nisi ultima seu tertia pars, lingua syriaca exarata et primo typis edita a Cureton (Oxford, 1853), quam in linguam anglicam transtulit R. Payne Smith, *The third part of the ecclesiastical history of John Bishop of Ephesus*, Oxford, 1860. — Præceptum de *depositione et iteranda ordinatione* diaconorum et presbyterorum monophysitarum, et item horum depositionem iteratamque ordinationem, habes hic, lib. I, c. XII (*The third part*, etc., p. 11-12). — De Paulo, episcopo Aphrodisiensi, deposito ab episcopatu, et iterum pro alia civitate ordinato, vide, *ibid.*, lib. I, c. XIV, p. 13-14.

[3] *Ibid.*, p. 12.

[4] *Ibid.*, lib. I, c. XVIII, p. 24-26; cf. etiam c. XV-XVII, p. 17 sq.

[5] *Ibid.*, lib. I, c. XII, p. 12.

quæ supra dicta sunt de consuetudine, per priora sæcula vigente, nunquam iterandi ordinationes ab hæreticis factas.

21. — Sæculum VIII; de ordinationibus a Constantino factis.

1° Vix mortuo Paulo I (757-767), laicus quidam, Constantinus nomine, vi et armis invasit sedem apostolicam, recepit aut potius arripuit omnes ordines usque ad episcopatum inclusive, sedemque pontificiam tenuit per menses tredecim; interea autem ordinavit octo episcopos, octo presbyteros, quatuor diaconos [1]. — Cum autem Stephanus III (768-772), legitimus Pontifex, Constantino expulso successisset, statim coegit concilium, cui multi Galliæ episcopi interfuerunt; orta est autem quæstio de iis qui fuerant a Constantino ordinati. Porro hæc statuta sunt, ut narrat *Liber Pontificalis* : « De episcopis vero atque presbyteris et diaconis *quos ipse Constantinus consecraverat*, ita in eodem concilio promulgatum est : ut episcopi illi, si aliquis eorum presbyter aut diaconus fuerit, in pristinum honoris sui gradum reverterentur; et si placabile fuisset coram populo civitatis suæ, denuo facto decreto electionis, more solito, ad apostolicam advenissent (advenirent) sedem, et *ab eodem sanctissimo Stephano papa benedictionis susciperent consecrationem*. Presbyteri vero ac diaconi *ab eodem Constantino consecrati*, simili modo in illum quo prius existebant habitum reverterentur. Et postmodum si qui eorum placabiles existerent antefato beatissimo pontifici, *eos presbyteros aut diaconos consecraret*... De laicis vero qui *ab eodem Constantino aut presbyteri aut diaconi consecrati sunt*, ita promulgatum est, ut in religioso habitu cunctis diebus eorum vitæ, sive in propriis domibus, vel ubi fuissent, permanere deberent [2]. » De facto episcopi illi « qui *ab eodem Constantino ordinati sunt* », a civitatibus suis electi sunt, et « ab eodem sanctissimo papa *consecrati sunt*... Ita enim in eodem concilio statutum est, ut *omnia quæ idem Constantinus in ecclesiasticis*

[1] *Liber Pontificalis, Vita Stephani III* (768-772), ed. Duchesne, t. I, p. 468-469.

[2] *Liber Pontificalis, Vita Stephani III*, n. 21, t. I, p. 476.

sacramentis ac divino cultu egit, iterata fuissent (iterarentur), *præter sacrum baptisma, et sanctum chrisma* »[1]. — Eadem facta narrans Sigebertus, *Chronica*, ad annum 768, ait: « Synodum congregat (Stephanus), in qua *omnia a Constantino ordinata exordinat præter baptismum et chrisma;* decernente synodo, ut episcopi *ab illo consecrati*, ad gradum quem ante hanc consecrationem habebant, redirent, et si digni judicarentur, iterum electi *iterum consecrarentur;* presbyteri vero ac diaconi *ab illo consecrati...*, si digni essent, *iterum consecrarentur...*[2]. »

2° De his novis seu iteratis consecrationibus orta est controversia, utrum scilicet fuerint *veræ ordinationes iteratæ*, an tantummodo benedictio seu ritus quidam[3], quo quasi restituerentur ordines jam valide recepti, ad instar *impositionis manuum*, de qua supra dictum est in can. 8 conc. Nicæni. — Porro :

a. Plures dicunt non fuisse nisi *ritum reconciliatorium;* ita Baronius, Natalis Alexander, Juveninus, Vuitasse, etc.[4]; quorum præcipua argumenta sunt tum vis illata traditioni universali et antiquissimæ, si admittantur vere iteratæ ordinationes, tum statutum concilii quoad laicos ad sacros ordines promotos a Constantino, qui jubentur permanere in habitu religioso usque ad mortem; quorsum enim talis severitas, si remanserint laici?

b. Alii dicunt ordinationes episcoporum, presbyterorum et diaconorum, a Constantino factas, fuisse *vere iteratas*. Ita Auxilius (sæculo IX), Morinus, Sbaralea, Lupus, et multi viri rerum historicarum periti, v. g., Fleury, aliique[5]. Ratio est quia tan-

[1] *Liber Pontificalis, ibid.*, n. 22, p. 476.

[2] Migne, *P. L.*, t. CLX, col. 146; Sigebertus scripsit sæculo XI.

[3] Similem ritum quo clerico deposito sui restituerentur ordines, restitutis singulorum ordinum instrumentis et vestibus, cum benedictione, describit Fulbertus (def. an. 1029), episcopus Carnotensis, epist. XIII, *Ad Leuthericum;* Migne, *P. L.*, t. CXLI, col. 207. — Imo talis ritus jam existebat tempore conc. Toletani IV (an. 633), can. 28; Bruns, *Concilia*, t. I, p. 231.

[4] Baronius, *Annales*, ad an. 769, n. 6, Lucæ, 1743, t. XIII, p. 54; — Natalis Alexander, *Hist. eccl.*, sæc. VIII, c. I, art. 8, Bingii ad Rhenum, 1788, t. XI, p. 20-21; — Juveninus, *De sacramentis*, diss. VIII, q. VI, c. II, ed. cit., p. 837; — Vuitasse, *De ordine, loc. cit.*, sect. IV, p. 92-96.

[5] Auxilius, *Infensor et defensor*, c. IV; Migne, *P. L.*, t. CXXIX, col. 1080;

dem aliquando nimium clara sunt verba textuum relatorum; unde ipse Vuitasse ait, *loc. cit.* : « Ordinationes certe iterari jussas et reipsa iteratas esse, ipsa historiæ verba satis arguere videntur. » Revera, eadem verba, *consecratio, ordinatio,* perpetuo adhibentur in illis textibus ad significandum utrumque ritum, et expresse additur omnia fuisse iterata, præter duo, nempe baptismum et confirmationem. — Nec multum valent argumenta opposita; non *vis illata traditioni,* quia usurpatio Constantini erat factum omnino novum et inauditum in Ecclesia Romana, quod novas exposceret pœnas; ceterum jam in Oriente et alibi iteratæ fuerant ordinationes; — non *statutum concilii quoad laicos* a Constantino ordinatos, quia econtra pœna a concilio imposita valde congrua erat sceleri eorum qui sacros ordines ambierant.

22. — Sæculum IX; de Photio.

1° Cum Photius laicus sedem Constantinopolitanam, vivente adhuc Ignatio legitimo patriarcha, invasisset, et intra sex dies omnes ordines, incluso episcopatu, recepisset (an. 857), Nicolaus I, Romanus Pontifex, coacta Romæ synodo (an. 863), reque judicialiter acta, Photium, eosque omnes qui ab ipso ordinati fuerant, deposuit : quam sententiam postea renovatam notam fecit clero Constantinopolitano, epistola ad eum missa (an. 866) [1]. Hanc autem sententiam concilium œcumenicum Constantinopolitanum IV (an. 869), can. 1, sic expressit : « Photium, contra jus fasque, præcipiti temeritate, veluti atrocem lupum in gregem Christi insilientem..., *nunquam antea episcopum fuisse, neque nunc ulla ratione esse,* justo decreto declaramus; nec *ab illo creatos, in eo sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti sunt, manere* [2]. »

— Morinus, *De sacris ordinationibus,* part. III, exercit. v, c. v, Antuerpiæ, 1695, p. 71-72; — Sbaralea, *De sacris pravorum ordinationibus,* c. v, n. 16-22, Florentiæ, 1750, p. 83-84; — Lupus, *Dissertatio de Simoniæ crimine,* c. xvi, *Synod. gen. ac provinc.,* Venetiis, 1725, t. iv, p. 99; — Fleury, *Hist. eccl.,* liv. XLIII, n. 57, Paris, 1720, t. ix, p. 465.

[1] Epist. civ; Migne, *P. L.,* t. cxix, col. 1074-1076.

[2] Mansi, *Concilia,* t. xvi, col. 162.

2° Inde Morinus [1], collatis quibusdam aliis documentis ad idem negotium pertinentibus, contendit ordinationem ipsius Photii fuisse nullam declaratam, et proinde nullas etiam fuisse omnes ab eodem peractas ordinationes. Ita etiam Sbaralea [2]. — At vero multo probabilius est, ne dicam certum, concilium œcumenicum Constantinopolitanum non declarasse nullitatem ordinationum, sed tantum pronuntiasse sententiam depositionis. — Nam :

a. Sententia concilii legitimam et optimam interpretationem recipit ex sententia Nicolai, in synodo Romana, an. 863, pronuntiata; porro hæc non continet nisi depositionem; ait enim Nicolaus : « Sit (Photius), Dei omnipotentis, et beatorum apostolorum principum Petri et Pauli... auctoritate, necnon et Spiritus Sancti per nos judicio, *omni sacerdotali honore et nomine alienus, et omni clericatus officio prorsus exutus* [3]; » et item de ordinatis a Photio : « Eos *omni clericali officio privamus,* et, apostolica atque canonica auctoritate et synodali decreto, *eos penitus sequestramus* [4]. » — Quæ nostra conclusio eo certior est, quod, ut deducitur ex gestis concilii, actione 7 [5], concilium, relative ad Photium, non videtur nisi confirmare voluisse acta Nicolai.

b. Ipsa relata verba concilii, in can. 4, sufficienter explicantur per sententiam plenæ depositionis; quando enim declarant Patres Photium *non fuisse nec esse episcopum,* intelligunt procul dubio *episcopum* præcipue quoad *jurisdictionem et auctoritatem;* præcipuum enim quæsitum erat, num Photius esset legitimus sedis Constantinopolitanæ patriarcha; porro in hoc sensu verissimum est Photium non fuisse unquam *episcopum.*

c. Tandem, cum Joannes VIII, mortuo Ignatio, ad communionem admisit Photium, eumque recognovit ut legitimum Ignatii successorem (an. 879), imposuit quidem ei condicionem, ut veniam in synodo more solito peteret, non vero ut ejus ordina-

[1] *Loc. cit.,* c. VI, p. 73-76.
[2] *Loc. cit.,* n. 24-34, p. 90-99.
[3] Nicolai epist. CIV; Migne, *P. L.,* t. CXIX, col. 1075.
[4] *Ibid.,* col. 1076.
[5] Cf. Hefele, *Hist. des conciles,* § 491 (trad. Delarc), t. V, p. 632.

tio iteraretur, de qua iteratione ne ullum quidem verbum legitur in epistolis Joannis hanc rem attinentibus. Item episcopi aliique ordinati a Photio recepti sunt sine condicione iteratæ ordinationis [1].

23. — Sæculum X; de Formosi papæ ordinationibus.

1° Formosus, de sede Portuensi ad Romanam translatus, durante pontificatu (891-896), plures solito more fecit ordinationes, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, aliorumque clericorum. Habuit autem successorem primo Bonifacium VI, qui, quindecim tantum diebus pontificatum gessit, deinde Stephanum VI (896-897). Hic acceptissimus erat principibus Spoletanis, quibus econtra Formosus valde invisus erat. Unde Stephanus, crimini Formoso vertens suam translationem, concilium Romæ coegit (an. 896), in quo, adductum Formosi cadaver spoliatumque apostolicis vestibus, « induerunt laicis indumentis, et, quod est crudelius, amputatis duobus dexteræ digitis, jussit eum inter peregrinorum tumulos sepeliri, » et postea in Tiberim mergi [2]. In eodem concilio, omni gradu et ordine dejecit eos qui ordinati fuerant a Formoso, non tamen præsumpsit eos iterum consecrare, ut expresse addit Auxilius [3]. Joannes autem IX (898-900), in concilio Romano, an. 898, omnes ordinatos a Formoso restituit: legitur enim in canone 4 : « (Omnes ordinatos a Formoso, qui) pro quorumdam libitu temere dejecti sunt, *in proprios ordines et gradus* communi sanctæ synodi consultu *reducimus* [4]; » qui

[1] Legas epistolas Joannis, ep. CCXLIII, *Ad Basilium imperatorem;* ep. CCXLIV, *Ad Constantinopolitanos;* ep. CCXLV, *Ad clericos Constantinopolitanos;* ep. CCXLVIII, *Ad Photium;* Migne, *P. L.*, t. CXXVI, col. 853 sq. — De hac difficultate cf. etiam Vuitasse, *loc. cit.*, sect. IV, obj. 4, p. 96-106.

[2] Ita narrat Auxilius, a Formoso papa ordinatus, in libello *In defensionem sacræ ordinationis Formosi,* c. X (quem primo edidit Dümmler, *Auxilius und Vulgarius,* Leipzig, 1866, p. 71); cf. ejusdem Auxilii *Infensor et Defensor,* c. XXX; Migne, *P. L.*, t. CXXIX, col. 1098. Scripsit Auxilius sub Sergio III (904-911), ut ipse dicit (Dümmler, p. 95). — Cf. Duchesne, *Liber Pontificalis,* t. II, p. 229.

[3] In *Appendice* ad cit. libellum *In defensionem*, etc. (Dümmler, p. 95).

[4] Mansi, *Concilia,* t. XVIII, col. 224. Quam restitutionem jam inchoaverat Theodorus II, Joannis prædecessor (an. 897), uti narrat Auxilius in eadem *Appendice,* p. 95.

canon confirmatus est in concilio eodem anno Ravennæ habito, can. 4 [1]. — Verum Sergius III, qui fuerat antipapa sub Theodoro II et Joanne IX, cum sedem pontificiam ascendisset an. 904, longius progressus est ac Stephanus VI, contra ordinatos a Formoso; non tantum enim eos ab omni gradu dejecit, sed jussit eos iterum ordinari, si vellent officiis suis uti; quod narrat Luitprandus, *Historia gestorum regum et imperatorum*, lib. I, n. 30: « Cunctosque, quos ipse (Formosus) ordinaverat, *gradu proprio depositos, iterum ordinavit* [2]. »

2° Dubitari nequit quin hic agatur de *vere iteratis ordinationibus*. Nam: 1. Auxilius, coætaneus, imo qui ipse, ut dictum est, a Formoso ordinatus erat, passim memorat has iteratas ordinationes; sic enim ait in libello *Infensor et Defensor*, c. VI, alloquens eos qui iterare ordinationes audebant: « Parumne tibi videtur irritum facere sacrosanctum ministerium per quod divinæ Trinitatis fides percipitur et christiana religio indesinenter colitur; et, *quasi hoc non sufficiat, iteratam manus impositionem superadjicere non pertimescitis* [3]. » Et infra, c. XIV: « Cogitis me negare sacerdotium... et, quod est deterius, consentientes vobis *iterum in eodem gradu consecrare non formidatis* [4]. » Et in opere *In defensionem sacræ ordinationis Formosi*, lib. II, c. I: « Quosdam autem ex illis, tanquam si nihil sacræ unctionis habuerint, novum imitati sacrilegium, *iterum consecrare non timuerunt*, tanquam si prima in eis non consecratio, sed execratio fuerit [5]. » Unde, ad incutiendum horrorem hujus iteratæ ordinationis, totus est Auxilius in suis libellis, ut ostendat hoc esse gravissimum scelus: « Ejusdem procul dubio prævaricationis est

[1] Mansi, *ibid.*, col. 231. Quod Ravennæ concilium memorat etiam Auxilius, *Infensor et Defensor*, c. XXIX; Migne, *P. L.*, t. CXXIX, col. 1098. Hæc concilia, Romanum et Ravennatense, Mansi minus recte (ut puto) ponit in anno 904; cf. Hefele, *Histoire des conciles*, § 510, traduction Delarc, t. VI, p. 140-142.

[2] Migne, *P. L.*, t. CXXXVI, col. 804. Falso tamen Luitprandus attribuit Sergio sacrilegam sævitiem in cadaver Formosi, de qua supra dictum est. — Scripsit Luitprandus an. 960.

[3] Migne, *P. L.*, t. CXXIX, col. 1082.

[4] *Ibid.*, col. 1087.

[5] Dümmler, *Auxilius und Vulgarius*, p. 78.

iterata consecratio, cujus prævaricationis est iteratum baptisma... Numquid omnes qui Formosi consecrationem nihil esse professi sunt, et in eodem ordine iterum consecrati sunt, ad inferna præcipitantur[1]?... Cernitisne, fratres mei, tanto testificante doctore (S. Greg. Magno), quam nefarium quamque reprobum sit, quemquam in hoc ipsum, quod prius habuerat, denuo consecrari[2]. » — 2. Has iteratas ordinationes item testatur alius coætaneus, nempe Vulgarius, qui, anno circiter 920, scripsit libellum *De causa Formosiana*, in quo, c. I, ait : « Unde ergo est, quod Judæ baptizati non rebaptizantur, *alterius vero* (Formosi) *ordinati reordinantur*[3]? » — 3. Iteratas ordinationes tradunt etiam Luitprandus, *loc. cit.*, et Sigebertus, qui, *Chronica*, ad an. 907, de Sergio loquens, ait : « Omnes quos ille (Formosus) ordinavit, injuste exordinavit, et *injustius reordinavit*[4]. » — Unde, de veritate historica harum *reordinationum* nullum remanere potest dubium, et in hoc consentiunt omnes.

24. — Sæculum XI ; de ordinationibus simoniacorum.

1° Sub Leone IX (1048-1054), magna exarsit controversia de validitate ordinationum, quas clerici ab episcopis simoniacis, etiam non simoniace, acceperant ; alii nempe dicebant episcopum simoniacum non posse valide conferre ordines, et proinde iterari debere ordinationem quam quis ab illo recepisset ; alii vero contendebant validam esse talem ordinationem, nec proinde iterari debere. Has controversias testatur S. Petrus Damianus, qui in illis magnam partem habuit ; ait enim in *Libro qui dicitur Gratissimus*, initio : « De iis itaque, qui gratis sunt a simoniacis consecrati, *quanta jam per triennium in tribus Romanis conciliis fuerit disceptatio, quamque perplexa atque confusa dubietas,*

[1] *Infensor et Defensor*, c. V, IX ; Migne, *P. L.*, t. CXXIX, col. 1082, 1083 ; cf. etiam c. VI.

[2] *In defensionem*, etc., lib. II, c. I ; Dümmler, p. 79.

[3] Hunc libellum primo edidit Dümmler, *Auxilius und Vulgarius*. Cit. locum legas p. 121-122. — Alium libellum eadem mente scripsit Vulgarius, *Invectiva in Romam*, editum a Bianchini, *Anastasius bibl.*, t. IV, p. LXX-LXXIV, et apud Migne, *P. L.*, t. CXXIX, col. 823-838.

[4] Migne, *P. L.*, t. CLX, col. 176. Scripsit Sigebertus sæculo XI.

et in iis partibus quotidie ventiletur, Sanctitatem Vestram [1] latuisse non arbitror; præsertim, cum *crescente fluctuationis ambiguo*, eatenus sit processum, ut *nonnullos constet episcopos, ab illis* (simoniacis) *ordinatos clericos denuo consecrasse* [2]. » Unde constat iteratas fuisse, ab aliquibus episcopis, ordinationes a simoniacis receptas. — Imo S. Leo IX videtur et ipse multas ordinationes, a simoniacis receptas, iterasse; dicit enim idem Petrus Damianus, *Actus Mediolanensis*, seu opusculum V, § *Tunc inter :* « Id etiam nos non præterit, quod nostræ memoriæ nonus Leo papa *plerosque simoniacos et male promotos tanquam noviter ordinavit* [3], » id est, tanquam si nihil antea recepissent, et prima vice ordinationem reciperent. Mirum enim non est, in tantis rerum tenebris, sanctum pontificem, ceteroquin simoniæ infensissimum, tutiorem et severiorem partem, saltem ad tempus, elegisse.

2° Attamen multi protestabantur, gravesque tumultus fiebant; pluresque contendebant præfatas ordinationes validas esse, præsertim Petrus Damianus, qui ea mente suum librum qui dicitur *Gratissimus* scripsit. Unde tandem Leo IX decretum hac de re nuper editum a Clemente II (1046-1047) renovavit; quod sic narrat P. Damianus, *ibid.*, c. xxxv : « Post longa sane disceptationum hinc inde volumina, tandem suggestum est, reverendæ memoriæ nuper ejusdem sedis episcopum decrevisse Clementem : *Ut quicumque a simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum cui se obtulerat promovendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, et sic in accepti ordinis officio ministraret.* — Quam nimirum sententiam protinus venerabilis Leo ratam percensuit [4]. »

3° Renovatæ sunt controversiæ sub Nicolao II (1058-1061); quod iterum narrat P. Damianus, in capite xxxix, quod opusculo

[1] Scribit ad Henricum, Ravennatem episcopum.

[2] *Liber qui dicitur Gratissimus,* seu Opusculum VI, initio; Migne, *P. L.*, t. cxlv, col. 99.

[3] Migne, *P. L.*, t. cxlv, col. 93. — Vere fuisse a Leone IX iteratas ordinationes affirmat, inter multos, Lupus, in *Dissertatione de Simoniæ crimine*, c. xvi; *Syn. gen. ac provinc.*, Venetiis, 1725, t. iv, p. 100.

[4] *Ibid.*, col. 150.

suo superaddidit [1]. Unde, ad removendas omnes ambiguitates, Nicolaus, in concilio Romano, an. 1059, *Decretum contra simoniacos* edidit : « Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus... De iis autem qui non per pecuniam, sed gratis, sunt a simoniacis ordinati, quia quæstio a longo tempore est diutius ventilata, omnem nodum dubietatis absolvimus... Eos qui usque modo gratis sunt a simoniacis consecrati, non tam censura justitiæ quam intuitu misericordiæ *in acceptis ordinibus manere permittimus*... De cetero autem si quis hinc in posterum ab eo, quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, et consecrator et consecratus non disparem damnationis sententiam subeat, sed uterque depositus pœnitentiam agat [2]. » Quod decretum insertum est *Decreto* Gratiani, can. *Statuimus,* 107, Caus. I, q. I.

4° Non tamen causa finita est; nam, in concilio Gerundensi (an. 1078), quod convocavit Amatus, Gregorii VII legatus, si quis clericus consecratus fuit per pecuniam aut a simoniaco, consecratio iteranda est, can. 11, qui sic habet : « Item statuerunt ut si quæ ecclesiæ per pecuniam essent consecratæ, vel a simoniaco, a legitimo canonice consecrentur episcopo; si qui etiam clerici, pecuniam præbendo, vel a simoniaco, sunt ordinati, eodem modo a catholico ordinentur episcopo. Non enim in his fit reiteratio, sed ipsa consecratio, quoniam nihil præcesserat, quod ratum haberi queat [3]. »

5° Urbanus II iteravit ordinationem cujusdam diaconi, a simoniaco ordinati. Sic enim legitur can. *Daibertum*, 24, Caus. I, q. VII : « Daibertum, a Nezelone, licet simoniaco, non simoniace, ejus confessione reperimus in diaconum ordinatum, et B. Innocentii papæ sententia constat declaratum quod Nezelon, quem constat ab hæreticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Nos igitur... Daibertum, ab hæreticis cor-

[1] Migne, *ibid.,* col. 155.

[2] Mansi, t. XIX, col. 899. — Quidam referunt hoc decretum ad aliud concilium Romanum, an. 1061; cf. Hefele, *Hist. des conciles,* § 555, traduction Delarc, t. VI, p. 383.

[3] Mansi, t. XX, col. 519.

pore et spiritu digressum,... *ex integro diaconum constituimus; quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram diaconii dationem, quoniam, ut prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit.* » Nihil certe clarius dici potest. — Nec potest dubitari de authenticitate hujus epistolæ Urbani II, quam referunt Ivo, coætaneus Urbani II, in *Panormia,* lib. III, c. LXXXI [1]; Gratianus, *loc. cit.:* Robertus de Flammesburg (item fere coætaneus), apud Morinum [2]; item B. Raymundus de Pennafort, in *Summa,* lib. I, tit. v, *De hæreticis,* § 6 [3]. Unde etiam Vuitasse non audet hanc authenticitatem impugnare [4].

6° Idem Urbanus II, in concilio Placentino (an. 1095), can. 3 et 4 (= can. *Si qui,* 108, Caus. I, q. I), decrevit : « Si qui a simoniacis non simoniace ordinati sunt, si quidem probare potuerint, se, cum ordinarentur, nescisse eos simoniacos esse, et si tunc pro catholicis habebantur in Ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen eos laudabilis vita commendat. *Qui vero scienter se a simoniacis consecrari, imo execrari, permiserint, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus* [5]. » Hic etiam agi de ordinatione *invalida* censent Morinus et Sbaralea [6].

25. — Sæculum XII; controversiæ de ordinationibus hæreticorum et simoniacorum. — Sufficiat hic allegare Petrum Lombardum et Gratianum, qui scripserunt circa an. 1150.

1° Petrus Lombardus, *Sent.,* lib. IV, dist. XXV, *De ordinatis ab hæreticis* [7], quatuor memorat doctorum opiniones, quarum hæc summa est. Communiter docebatur hæreticos, dum toleran-

[1] Migne, *P. L.,* t. CLXI, col. 1148.

[2] Morinus, exercit. v, c. I, n. 7, p. 59.

[3] Lugduni, 1718, p. 37.

[4] *De ordine,* part. I, q. IV, art. 2, sect. III, p. 84-85. — De hac epistola Urbani, cf. etiam Jaffe, 2ª ed., n. 5383, p. 661; — Friedberg, *Corpus Juris, loc. cit.;* — Berardi, *Canones Gratiani,* part. II, c. LXXXV, t. III, p. 384-385.

[5] Mansi, *Concilia,* t. XX, col. 805; — cf. Bernoldum, *Chronicon,* an. 1095; Migne, *P. L.,* t. CXLVIII, col. 1423.

[6] Morinus, *loc. cit.,* c. II, n. 5-6, p. 63; — Sbaralea, *loc. cit.,* c. VII, n. 23, p. 136-137.

[7] Migne, *P. L.,* t. CXCII, col. 905 sq.

tur ab Ecclesia, *valide ordinare;* sed controversia movebatur potissimum de hæreticis *damnatis,* vel *degradatis.* Porro alii dicebant eos *invalide ordinare;* alii *valide* et *licite;* alii *valide, non licite;* alii demum distinguebant inter eos qui *in Ecclesia* consecrati erant, et eos qui *foris*, nempe ab hæreticis damnatis, fuerant ordinati; quorum priores *valide*, posteriores *invalide* ordinare tenebant. Nulli autem sententiæ adhæret Lombardus. — Cum autem simoniaci inter hæreticos computarentur, ut expresse ait Lombardus, *ibid.,* n. 4, præfatæ opiniones etiam simoniacis applicabantur. Imo, ex supra relato Urbani II decreto, de Daiberto diacono, quod non obscure allegat Lombardus, *ibid.,* n. 5, hic tenet ordinationem clerici, qui se *scienter* permiserit a simoniaco ordinari, esse *omnino irritam*[1].

2° Gratianus, *Dict.* ante can. *Daibertum,* 24, Caus. I, q. VII, loquens de *diaconis ordinatis ab hæreticis*, docet eorum ordinationem iterari debere : « Hi (diaconi), quamvis ab hæreticis ordinentur, tamen ad Ecclesiam redeuntes, *in eodem ordine,* si alias digni fuerint, *ab Ecclesia ordinentur;* nec fiet in eis reiteratio muneris, cum ab hæreticis nihil doceatur eis fuisse collatum. »

Hucusque facta historica.

II. Doctrina tenenda

26. — Propositio. — *Certum est ordinationes peractas ab episcopo, etiam hæretico, schismatico, intruso, simoniaco, degradato, esse validas, et proinde nefas esse illas iterare.* — Suppono ministrum adhibuisse omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum pertinent, nempe materiam et formam debitam, et insuper habuisse intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; aliter ordinatio invalida esset, non ex parte ministri, sed ex defectu ritus aut intentionis. Cf. conc. Trid., can. 11, 12, sess. VII, De

[1] Similia habes apud Bandinum, *Sent.,* lib. IV, dist. XXIV; Migne, *P. L.,* t. CXCII, col. 1105.

SACRAMENTIS. — Inde Leo XIII, const. *Apostolicæ curæ*, id. sept. an. 1896, ordinationes anglicanas irritas declaravit, *ex defectu formæ et intentionis*[1].

Demonstratur autem propositio fere unico argumento, nempe *traditione Ecclesiæ;* cum enim effectus sacramentorum, et notanter ordinis, de quo agitur, exclusive pendeat a voluntate Christi, parum valent argumenta e ratione humana deprompta. Porro :

1° *Traditio* nobis exhibet sacramenta tanquam *propria vi et efficacitate constantia;* unde eorum efficacitas non pendet a probitate, nec a fide, nec a legitima missione ministrantium, quia Christi sunt, quia Christus ibi principaliter operatur. Hoc sæpius supra audivimus, præcipue circa baptismum et ordinem, ab Hieronymo, Augustino, Leone (n. **18**). — Hinc aliud factum quod nobis exhibet *Traditio*, nempe baptismum et ordinem, etiam ab hæreticis aut aliis ministris collatos, non fuisse iteratos : quod etiam testantur iidem Patres, ut supra eodem loco vidimus.

2° Hæc *Traditio* illibata et clara permansit per quinque priora sæcula, imo usque ad nonum fere sæculum; quod constat ex factis historicis supra expositis; nam : 1. Reordinationes Joannis Scholastici (sæculo VI) non spectant nisi quam minimam Ecclesiæ partem, et aliunde suscitarunt vividas, tum ex parte catholicorum, tum ex parte hæreticorum, protestationes; — 2. Quoad reordinationes clericorum a Constantino invasore ordinatorum, explicationem et excusationem habent in illo stupendo et adhuc in Romana Ecclesia inaudito scelere, nempe invasionis Sedis apostolicæ; quod novum facinus novas pœnas expostulare videbatur; ceterum non nisi paucissimi clerici iterationem ordinationum passi sunt.

[1] Leonis XIII *Acta*, Romæ, t. XVI, 1897, p. 266 sq.

3° Hæc *Traditio*, quod ad ordinationem spectat, obnubilari cœpit in quibusdam partibus, sæculo X, post mortem Formosi Pontificis, cujus ordinationes iterari jussit Sergius; de hac obnubilatione constat ex variis operibus Auxilii supra relati (n. **23**), præcipue ex ejus epistola ad Leonem, Nolanum episcopum (in proœmio ejus libri *Infensor et Defensor*) : « Missa legatione asseris te violentas pati oppressiones, ut episcopale sacerdotium, quod olim a papa Formoso suscepisti, quasi nihil sit, irritum facias. Qua ex causa fateris te mirificæ solertiæ Francos, necnon et Beneventanæ civitatis peritos consuluisse viros, eorumque consulta apud te scripta retinere, quæ te hujusmodi trangressionem committere manifesta ratione prohibeant. Nihilominus autem cogis me, objectionibus, quas adversus eumdem Formosum papam, ejusque ordinationes quidam objiciunt, ... respondere..., etc.[1]. » — Hæc autem obnubilatio crevit, sæculo XI, occasione ordinationum a simoniacis collatarum; inde, circa ordinationes simoniacorum et hæreticorum (simoniaci habebantur ut hæretici) quatuor supra (n. **25**) memoratæ Doctorum opiniones; etiam doctissimi viri hærebant quid hac de re sentirent.

4° Attamen, inter illas tenebras, lux veteris traditionis fulgere non desiit; sic Auxilius, Vulgarius, et præsertim Petrus Damianus, validis argumentis, e S. Augustino plerumque depromptis, validitatem ordinationum a simoniacis, hæreticis, aliisque pessimis ministris receptarum, propugnarunt; quibus addendus est Bernaldus (circa finem sæculi XI), in suis operibus : *De sacramentis excommunicatorum*, et *De reordinatione vitanda*[2]. Tandem, sæculo XIII,

[1] Migne, *P. L.*, t. CXXIX, col. 1075.

[2] Migne, *P. L.*, t. CXLVIII, col. 1062 sq., 1257 sq. — Hic tamen auctor non semper recte senserat de ordinationibus simoniacorum; vide ejus epistolam *Ad Adalbertum*, § *Inquiris præterea; ibid.*, col. 1155 sq.

S. Thomas antiquæ Traditioni conformem sententiam docuit, eamque ut *veram* propugnavit, nempe omnes illas ordinationes a quibuslibet ministris receptas *validas esse*, et proinde non licere illas iterare[1]. Et ita etiam S. Bonaventura[2]. Ab hoc autem tempore, hæc sententia, et vetus traditio, ubique prævaluit.

3° Hæc Traditio, quatenus docet sacramenta *continere gratiam*, quam significant, eam conferre *vi solius signi sacramentalis* (nempe *ex opere operato*), et proinde *propria vi, efficacitate et sanctitate constare*, ideoque *non pendere a probitate ministri*, dogma fidei evasit vi definitionum conc. Trid., canonibus 6, 7 et 12, sess. VII, De sacramentis. — Hæc pariter Traditio, quatenus docet, *baptismum etiam ab hæreticis collatum, validum esse*, et proinde *ejus vim non pendere a fide ministri*, dogma fidei est ab antiquo tempore, et etiam vi definitionis concilii Trid., can. 4, sess. VII, De baptismo. — Quod attinet ad ordinationem, nulla specialis conciliaris definitio prodiit; cum tamen de fide sit ordinationem esse sacramentum, eo ipso certissimum est, et saltem fidei proximum, ex cit. canonibus 6, 7 et 12, ordinationem *continere gratiam, eam producere ex opere operato, ejusque vim non pendere a probitate ministri;* insuper, ex eadem præfata Traditione, quæ ab antiquissimis temporibus constanter (demptis paucissimis exceptionibus) prohibuit iterationem quarumlibet ordinationum, certum est vim ordinationis non pendere a fide nec a legitima missione ministri; unde, a tempore concilii Tridentini, omnes auctores, si excipias Morinum et Sbaralea, concordant asserentes ordinationes receptas ab episcopo etiam hæretico, schismatico, intruso, simoniaco, degradato, etc., esse validas, et proinde nefas esse

[1] *Summa*, part. III Suppl., q. xxxviii, art. 2.
[2] *In Sent.*, lib. IV, dist. XXV, art. 1, q. ii, Venetiis, 1754, t. iv, p. 677.

illas iterare. Unde Leo XIII, complexus in genere traditionem ecclesiasticam, neglectisque quibusdam contrariis opinionibus et factis, scribere potuit, in cit. const. *Apostolicæ curæ*, § *Auctoritates :* « Firmum *semper* ratumque in Ecclesia mansit, ordinis sacramentum nefas esse iterari[1]. »

6° Unde derelinquendi sunt Morinus et Sbaralea. Prior aperte docet Ecclesiam posse condere canones circa ordinationem, v. g., ut ordines non nisi certis intervallis recipiantur, ut gratis conferantur, etc., *quibus canonibus violatis, ordinatio nulla prorsus irritaque sit;* episcopus quidem servat characterem, qui indelebilis est, sed *virtus* characteris, quæ, juxta eumdem Morinum, a characteris *substantia* distincta est, ad operandum prorsus inefficax est; aliis verbis, Ecclesia potest statuere impedimenta dirimentia circa ordinem, sicut statuit circa matrimonium et etiam reipsa circa pœnitentiam[2]. In hoc ergo derelinquendus est Morinus; ex exposita enim traditione et definitionibus concilii Tridentini, constat ritum sacramentalem substantialem ordinationis, sicut et baptismi, vi propria operari, et omnino subtrahi, quoad validitatem, a potestate Ecclesiæ; nec valet comparatio cum pœnitentia et matrimonio; hæc enim duo sacramenta obnoxia sunt, etiam quoad validitatem, potestati Ecclesiæ, non quidem *directe, ratione sacramenti,* sed *indirecte,* ratione nempe vel *requisitæ jurisdictionis,* vel *substrati contractus;* nihil autem hujusmodi invenitur in sacramento ordinis, sicut nec in sacramento baptismi. — His fere similia docet Sbaralea; tenet enim *potestatem ordinis* diversam esse a *charactere,* posseque ab eo separari, ita ut episcopus, retinens characterem, amittat potestatem valide ordinandi[3]; et re ipsa

[1] Leonis XIII *Acta,* t. XVI, p. 265.
[2] *Loc. cit.,* exercit. V, c. IX, p. 80-86.
[3] *De sacris pravorum ordinationibus,* c. II, p. 13-14.

hanc potestatem amitti in pluribus casibus ab Ecclesia determinatis : quod demonstrare nititur Sbaralea factis supra expositis de iteratis ordinationibus. Adeo autem propriis placitis confidit, ut, licet probe noverit omnes Doctores, a sæculo XIII, oppositam tueri sententiam, suam opinionem veram existimet, contrariamque *inveteratum errorem* affirmare audeat[1]. Confutari autem potest eisdem argumentis ac Morinus.

[1] *De sacris pravorum ordinationibus,* c. XII, n. 22-23, p. 250-251.

CAPUT II

DE ORDINARIO ET LEGITIMO ORDINATIONIS MINISTRO [1]

27. — Prævia.

1° Episcopus est minister *ordinarius* sacræ ordinationis, quia, ut in capite superiore demonstratum est, episcopus, vi suæ ordinationis episcopalis, et sine ulla cujuslibet licentia, imo contra prohibitiones et censuras superiorum, potestatem habet omnes ordines valide conferendi. Econtra, potestas presbyteri quoad sacram ordinationem, dupliciter limitata est; nam : 1. Non potest ullum ordinem valide conferre, sine delegatione Romani Pontificis; — 2. Etiam cum delegatione R. Pontificis, non potest *omnes* ordines conferre, sed tantum tonsuram, minores ordines et subdiaconatum; unde jure presbyter vocatur minister *extraordinarius* sacræ ordinationis; de quo agetur in capite III.

2° Licet episcopus sit minister *ordinarius* sacræ ordina-

[1] Cf. Riganti, *In regulam 24 Cancellariæ*, § 3, Coloniæ Allobrogum, 1751, t. II, p. 338 sq.; — Giraldi, *Expositio juris pontif.*, part. II, sect. XCVII, t. III, p. 956 sq.; — Honorante, *Praxis secretariæ*, etc., c. I, VIII, IX, etc., Romæ, 1762; — Lucidi, *De visitatione*, etc., c. II, n. 79 sq., Romæ, 1878, t. I, p. 156 sq.; — Gasparri, *De sacra ordinatione*, t. II, n. 802 sq.

tionis, non tamen potest *legitime* seu *licite* ordines conferre cuilibet, sed tantum *subditis suis*, sicut pro quibuslibet aliis sacramentis; unde conc. Trid., cap. *Ordinationes*, 8, sess. XXIII, De ref., præcipit ut : « Unusquisque a *proprio episcopo* ordinetur. » Quatuor autem modis aliquis fieri potest subditus episcopi, ad hoc ut ab eo recipere licite possit ordines, nempe ratione *originis*, vel *domicilii*, vel *beneficii*, vel *familiaritatis;* unde, quod correlativum est, episcopus, relative ad aliquem subditum ordinandum, dicitur *legitimus* seu *proprius*, ratione vel *originis*, vel *domicilii*, vel *beneficii*, vel *familiaritatis*. — Addi potest aliquem fieri posse subditum alicujus episcopi, ratione *incorporationis;* verum cum *incorporatio* supponat episcopum *proprium*, *qui excorporare valeat*, clarius et commodius agetur de *incorporatione* in capite IV.

§ 1. De episcopo proprio ratione originis.

28. — Competentia episcopi originis quoad ordinationem. — Episcopus *originis*, in genere, ille est in cujus diœcesi natus est ordinandus. Porro, licet in plerisque aliis rebus, v. g., quoad judicia, quoad matrimonia, episcopus *originis* non sit competens, si subditus reliquerit diœcesim originis, attamen, quoad collationem ordinum, episcopus *originis* est competens. — Constat clarissime *textibus juris;* nam: 1. Clemens IV, cap. *Sæpe contingit*, 1, De temporibus ordinationum, in VI, ait : « Statuimus ut nullus episcoporum Italiæ de cetero aliquem ultramontanum clericum ordinare præsumat, nisi a Nobis specialem licentiam habeat, vel ab episcopo *de cujus diœcesi traxit originem ordinandus*, vel in cujus diœcesi beneficiatus existit. » Si episcopus, *de cujus diœcesi traxit originem*

ordinandus, possit ordinare per alium, a fortiori per se; — 2. Bonifacius VIII, cap. *Cum nullus,* 3, eod. tit., ait : « Cum nullus clericum parœciæ (diœcesis) alienæ, præter superioris ipsius licentiam, debeat ordinare, superior intelligitur in hoc casu episcopus *de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus,* seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem. » — 3. Innocentius XII, bulla *Speculatores,* 4 nov. 1694, textu statim citando, hæc omnia confirmat.

29. — Pressius determinatur qui sit episcopus originis. — Rem declaravit Innocentius XII, cit. bulla, § 4 : « Ceterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui *naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti,* occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ seu supermanentiæ ejus patris in illo loco : quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda... At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu ac eo animo moram traxerit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc, non origo patris, sed domicilium per patrem legitime ut præfertur contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debet[1]. » Unde :

1° Episcopus originis ille est in cujus diœcesi ordinandus *ortus* est *naturaliter,* id est, *natus* est. — Unde : 1. Non attenditur conceptio, sed *nativitas;* — 2. Non attenditur nativitas *spiritualis* per baptismum (quæ spiritualis nativitas attenditur tantum pro conversis ex Judæis, etc., ut

[1] *Bull. Rom.*, t. IX, p. 375. — Hanc bullam *Speculatores* habes ad calcem hujus voluminis, *Documentum I.*

infra dicetur), nec nativitas *legalis* per adoptionem, quantumvis plenam; — 3. Attenditur tantum nativitas *naturalis*. — Quæ omnia patent ex clarissimis Innocentii verbis.

2° « *Dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti;* » id est, quando ordinandus natus quidem est in aliqua diœcesi, sed *ex accidenti*, episcopus hujus diœcesis non est episcopus originis; dat autem Innocentius exempla hujus *fortuitæ* nativitatis, nempe si quis nascatur in aliqua diœcesi occasione *itineris* parentum, vel *officii, legationis, mercaturæ*, aut *alterius temporalis moræ* parentum. Quoties ergo pater in aliqua diœcesi non habet nisi *moram temporalem*, filius, durante hac mora natus, non sortitur episcopum hujus loci tanquam episcopum originis. — Moram autem esse *temporalem* judicatur ex adjunctis, v. g., si agatur de *officio*, ex natura ipsius officii; si enim officium, susceptum a patre, sit ad nutum revocabile, pater non habet in diœcesi, in qua exercet hoc officium, nisi moram temporalem, nisi tamen intendat, etiam relicto officio, remanere in eadem diœcesi. In Galliis, plurima sunt officia sæcularia, in variis civilibus administrationibus (*armée, magistrature, postes*, etc.), quæ sunt revocabilia ad nutum : quæ proinde si quis exerceat, non præsumitur habere in loco nisi moram temporalem.

3° Quando igitur ordinandus in aliqua diœcesi natus est, non *ex accidenti*, sed *normaliter*, episcopus hujus diœcesis est episcopus originis. — Hoc autem fit in duplici casu : 1. Quando pater in eadem diœcesi habet *domicilium;* tunc enim non moram temporalem ibi trahit, sed stabilem seu perpetuam; — 2. Quando pater, non habens in hac diœcesi domicilium proprie dictum, habet tamen ibi *sedem stabilem;* domicilium enim proprie dictum constitui debet in *parochia*, vel saltem in aliqua *civitate*, ita ut quis habitet in hac parochia vel civitate cum animo ibidem perpe-

tuo manendi; porro fieri potest ut quis non habeat quidem domicilium in parochia vel civitate, sed tamen firmum propositum habeat semper remanendi in diœcesi, licet de parochia in parochiam aliquando transeat; v. g., si quis officium quidem ad nutum revocabile exerceat, sed ita tamen ut nequeat mitti extra limites diœcesis; in hoc ergo casu habet *sedem perpetuam* seu *moram stabilem* in diœcesi, licet non domicilium. — Porro hoc sufficit, ut filius, durante hac mora natus, dicatur in diœcesi natus *normaliter*, non *ex accidenti*. Ratio est quia Innocentius, ad definiendam nativitatem *normalem*, nullo modo exigit *domicilium*, de qua ne unum quidem verbum habet, sed tantummodo excludit *moram temporalem in loco*, nempe in diœcesi. Revera, quando Innocentius requirit *domicilium*, illud proprie exprimit, uti, v. g., in altera parte relati textus : « At si pater... inibi *vere domicilium de jure* contraxerit... » Ergo, si pater habeat in diœcesi sedem seu moram stabilem, filius, durante hac mora natus, dicitur ibi natus *normaliter*, non vero *ex accidenti*.

4° Quando autem ordinandus in aliqua diœcesi natus est *ex accidenti*, ejus episcopus originis est episcopus illius diœcesis, in qua, *tempore nativitatis filii*, *pater habebat vel domicilium*, *vel saltem*, in sensu exposito, *sedem stabilem*. — Ratio est quia, in hoc casu, filius censetur, *fictione juris*, natus in loco domicilii parentum; ibi enim *normaliter* nasci debuit. Hæc fictio valebat jure Romano, ut constat tum L. *Hujusmodi*, 84, § *Legatum*, 10, ff. De legatis, 1 (XXX), ubi is qui in fuga est, censetur esse in loco a quo fugit, — tum L. *Retro*, 16, ff. De captivis (XLIX, xv), ubi is qui ab hostibus in civitatem revertitur, censetur semper fuisse in civitate. Porro, hæc fictio, valde rationi consona, recepta quoque fuit in jure canonico, et specialiter in nostro casu, ut constat communi interpreta-

tione doctorum[1]; revera omnino rationale est, ut jura episcopi originis non pereant, ex fortuito itinere parentum, aut alio hujusmodi casu. — Nec dicas Innocentium aliter expresse statuisse in textu relato, ubi, post verba : « Dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti..., » addit : « Quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed *vera tantum et naturalis patris origo* erit attendenda. » — Nam fictio legis vere vim habet juris, et proinde sublata dici non debet, nisi quando clare revocata est : quod fieri non solet per simplex silentium legislatoris; unde verba Innocentii, « sed vera tantum, etc., » tunc tantum applicari debent, quando pater, tempore nativitatis filii, nullibi habet sedem stabilem, ut infra dicetur.

5° Quando ordinandus in aliqua diœcesi natus est *ex accidenti*, et pater, tempore nativitatis filii, habuit duo domicilia, quid dicendum? — Ni fallor, unus tantum est episcopus originis, et est episcopus illius domicilii quod mater ultimo loco reliquit, vel potius quod correspondet tempori nativitatis. Sic, si pater habeat domicilium æstivum in diœcesi A, domicilium hibernum in diœcesi B, et filius, ex fortuito itinere matris, natus sit in diœcesi C, episcopus originis erit episcopus A, vel episcopus B, prout filius natus est tempore æstivo vel hiberno. — Ratio est quia, juxta fictionem juridicam supra expositam, filius, nascens tempore æstivo, censetur nasci in domicilio æstivo, *in quo revera normaliter nasci debuit.* — Nec dici potest, cum S. Alphonso[2], in hoc casu filium habere duos episcopos originis, et proinde eligere posse unum aut alterum; nam episcopus originis essentialiter unus est; licet enim

[1] Reiff., in tit. *De temporibus ordin.*, n. 88; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 37, qui id confirmat etiam L. *Filios*, 3, Cod. *De municipibus et origin.*, X, XXXVIII.

[2] S. Alphonsus, lib. VI, n. 773.

pater, tempore nativitatis filii, habeat duo æqualia domicilia in diversis diœcesibus, non ideo duo sunt episcopi originis (quoad ordinationem filii), sed unus tantum, nempe episcopus illius domicilii, *in quo revera filius normaliter nascitur;* de hoc enim domicilio, et de hoc *solo*, vera sunt verba bullæ *Speculatores* (« naturaliter ortus est in ea diœcesi »); ergo, ut dixi, episcopus originis essentialiter unus est, et proinde in casu proposito, quando nempe ordinandus in aliqua diœcesi natus est *ex accidenti*, et pater, tempore hujus nativitatis, habuit duo domicilia, filius non habet nisi unum episcopum originis, nimirum episcopum hujus domicilii, in quo filius normaliter natus esse præsumitur, seu, ut dixi, quod correspondet tempori nativitatis.

6° Quando ordinandus in aliqua diœcesi natus est *ex accidenti*, et pater, tempore hujus nativitatis, nullibi habuit domicilium, vel sedem stabilem, tunc applicanda sunt verba supra relata Innocentii : « Quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed *vera tantum et naturalis patris origo* erit attendenda. » Unde, in casu prædicto, episcopus originis est episcopus diœcesis, *in qua ipse pater natus est*, licet in hac diœcesi *ex accidenti* natus sit ; nam hic Innocentius non amplius distinguit inter nativitatem *fortuitam* et nativitatem *normalem*, imo rejicit expresse quamlibet fictionem, dicendo : « *Vera tantum* et naturalis patris *origo*... »

7° Dictum est, in casu fortuitæ nativitatis filii, episcopum originis esse vel episcopum *domicilii* (aut *sedis stabilis*) patris, vel episcopum *originis patris*. Porro huic regulæ ipse Innocentius apponit exceptionem, verbis supra relatis : « At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu ac eo animo moram traxerit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc, non origo patris, sed

domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debet[1]. » Ergo, licet, tempore nativitatis fortuitæ filii in diœcesi A, pater habuerit sedem stabilem aut etiam verum domicilium in diœcesi B, jus episcopi B perimitur hoc ipso quod pater contrahat postea verum domicilium in diœcesi A, etiam extra parochiam aut civitatem nativitatis filii, et etiamsi longum tempus effluxerit a tempore nativitatis filii usque ad novum domicilium contractum; tunc enim episcopus A est episcopus originis. — Verum, si pater novum domicilium in diœcesi A contractum relinquat, tunc præsumitur hoc domicilium nunquam fuisse contractum (licet forsan non defuerit internus animus illud contrahendi), et proinde non est amplius locus præfatæ exceptioni, quæ locum cedit regulæ generali; ita Lucidi[2], et clarum esse videtur ex ipsis Innocentii verbis.

8° Unde tandem, ut tradatur regula generalis et facilis, hoc dicendum : Si filius natus sit in diœcesi A, et pater, tempore nativitatis filii, habuerit ibi domicilium, aut sedem stabilem, episcopus diœcesis A est episcopus originis; si non habuerit ibi saltem sedem stabilem, recurrendum est ad episcopum diœcesis, in qua, tunc temporis, pater habebat saltem sedem stabilem; si nullibi habuerit, attendenda est diœcesis originis patris. — Non est nisi unica exceptio, supra relata in 7°.

9° Si tempore nativitatis filii, pater mortuus sit, omnia quæ supra dicta sunt applicantur matri, cujus proinde domicilium aut sedes stabilis attendenda sunt ad determinandum episcopum originis. Ratio est, quia sicut filius sequitur domicilium patris, ita, saltem apud nos, filius,

[1] Cf. Riganti, *loc. cit.*, § 3, n. 18-19, p. 348; — Honorante, *loc. cit.*, c. IX, not. 2, p. 97.

[2] *De visitatione*, etc., *loc. cit.*, n. 83, p. 163.

mortuo patre, et proinde pupillus, sequitur domicilium matris, quæ est ejus tutrix[1]. Unde, hic etiam putaverim applicari posse, saltem apud nos, exceptionem supra dictam, nempe si, post nativitatem fortuitam filii in diœcesi A, mater, mortuo patre, in hac diœcesi A sibi constituat verum domicilium, episcopus A erit episcopus originis[2]. — Verum, si tempore nativitatis filii, mortuo patre, mater nullibi habuerit domicilium aut sedem stabilem, tunc, non origo matris, sed origo patris erit attendenda; filius enim legitimus sequitur originem patris, non matris, ut cautum erat jure Romano, L. *Filios*, 3, Cod. De municipibus (X, xxxviii) : « Filios, *apud originem patris, non in materna civitate, etsi ibi nati sint*, si modo non domiciliis retineantur, ad honores seu munera posse compelli, explorati juris est. » Quod jure canonico receptum est. Ceterum, pro hoc casu, clara sunt et generalia verba Innocentii. — Hic in mentem revocatum volo, quod alibi exponitur, uxorem mortui mariti domicilium retinere, donec vel aliis nuptiis, vel alio modo aliud acquiratur.

30. — Episcopus originis quoad filios illegitimos, expositos, derelictos, vel natos in locis hæreticorum, etc.

1° *Quoad illegitimos.* — Idem omnino dicendum est quod de legitimis, *modo substituatur mater patri*, quia jus agnoscit illegitimos ut *filios matris*, utpote qui ab illa certo procedant. Unde in omnibus sequuntur condicionem matris, licet de patre certo constet, quia hoc est *per accidens*. — Ratio est, ait Honorante, quia « ly *Patris* late

[1] Apud nos enim pupillus sequitur domicilium tutoris, *Cod. civ.*, art. 108, et, mortuo alterutro parente, parens superstes est ipso jure tutor, *ibid.*, art. 390.

[2] Rem dubiam relinquit Gasparri, *De ordinatione*, n. 821, t. II, p. 97.

sumitur et comprehendit matrem in casibus quibus secundum jus ad patrem nequit recurri »[1].

Notandum est filios qui *legitimati* sunt per subsequens matrimonium parentum, dici et esse vere *legitimos*, et legitimationem retrotrahi ad tempus *nativitatis*, et proinde iis applicanda esse omnia quæ supra diximus de legitimis.

2° *Quoad expositos.* — De his hæc dicenda :

a. Si ignorentur tum parentes filii expositi, tum locus ejus originis, filius expositus *præsumitur natus in loco expositionis*, quia revera hoc plerumque fit ; unde episcopus originis est episcopus hujus loci.

b. Si ignorentur parentes, constet vero de loco, nempe diœcesi, originis (v. g., per schedulam *certam* baptismi), censent etiam plures filium expositum pertinere *ad locum expositionis*, non vero ad locum indicatæ originis, quia ignorantia circa parentes in loco hujus originis, præsumptionem gravem inducit, filium ibi natum esse ex accidenti[2].

c. Si constet, vel statim, vel lapsu temporis, de parentibus, tunc filius expositus est *legitimus*, vel *illegitimus ;* unde ei applicanda sunt quæ supra dicta sunt pro utroque casu. — Notandum est filium *expositum* gravi laborare suspicione illegitimitatis et proinde irregularitatis[3] ; unde ordinari nequit nisi præmissa accurata inquisitione de nativitate ; quod si legitimitas remaneat incerta, requiritur dispensatio.

3° *Quoad derelictos.* — Hi sunt qui, cum essent parvuli, amiserunt parentes, bello, vel naufragio, vel alio casu mortuos, unde ignorant suos parentes et patriam. Juxta probabiliorem sententiam, ii sunt originarii illius loci, ubi primum recepti sunt, quia præsumuntur ibi nati ; quod tenendum est, licet alibi postea ipsi domicilium elegerint.

[1] Honorante, *loc. cit.*, c. 1, not. 9, secund. dub., p. 18.
[2] Ita Honorante, *ibid.*, tert. dub., p. 20.
[3] Cf. Honorante, *ibid.*, p. 19.

quia primum illud domicilium est quasi domicilium originis, quod invariabile est[1].

4° *Quoad eos qui nati sunt in locis, ubi non adest episcopus catholicus.* — Hæc dicenda :

a. Si, in loco ubi quis normaliter natus est, non adsit episcopus catholicus, hic locus, relative ad episcopum ratione originis, est quasi non sit; unde, prout disponit bulla *Speculatores* in casu simili, attendendus est locus *originis ipsius patris;* quod si nec in hoc loco habeatur episcopus catholicus, videtur attendi posse locum *originis matris*, ut ex præfata bulla deduci potest pro casu ubi pater desit (nempe, pro illegitimis)[2]. Si nec hic habeatur episcopus catholicus, deest omnino episcopus *ratione originis,* et proinde recurrendum est ad alium episcopum ratione *domicilii,* vel *familiaritatis,* juxta hæc quæ infra dicentur.

b. Si locus, in quo quis normaliter natus est, sit *locus missionis,* cui præsit vicarius apostolicus, puto hunc haberi debere ut episcopum originis; licet enim non sit, in sensu juris, episcopus diœcesanus, attamen, jure a Rom. Pontifice delegato, habet, ad regendum suum vicariatum, totam jurisdictionem episcopalem, et proinde *jus ordinationis;* unde etiam hujusmodi vicarii apostolici insigniri solent charactere episcopali. Non idem dixerim de præfectis apostolicis, qui non solent in episcopos consecrari, nec videntur deputati ad faciendas ordinationes.

31. — Specialis episcopus originis quoad conversos ex Judæis aliisque infidelibus.

1° Si quis ex Judæis, aut aliis infidelibus quibuslibet, ad fidem catholicam convertatur, et sacrum recipiat baptisma, habet ut episcopum originis, *episcopum hujus civi-*

[1] Ita Honorante, *loc. cit.,* tert. dub., in fine, p. 20.
[2] Ita Honorante, *loc. cit.,* prim. dub., p. 16-17.

tatis vel loci, ubi hoc sacramentum recepit, et sic spiritualiter natus est. — Desumitur ex Pauli III bulla *Cupientes*, 21 martii 1542[1], in qua, § 3, de prædictis conversis loquens, ait : « Statuimus ut civitatum et locorum, in quibus sacro baptismo pro tempore regenerabuntur, *vere cives sint, et privilegiis, ac libertatibus, et immunitatibus, quæ alii ratione nativitatis et originis duntaxat consequuntur, gaudeant.* » Cum ergo unum ex juribus aut privilegiis, quæ nos consequimur ex nostra nativitate vel origine in tali civitate vel loco, sit jus petendi ordines ab episcopo hujus loci, sequitur prædictos conversos jus etiam habere petendi ordines ab episcopo civitatis vel loci, in quo nativitatem spiritualem consecuti sunt. — Nec dicas huic constitutioni *Cupientes*, an. 1542, fuisse derogatum per bullam *Speculatores*, an. 1694 ; — nam, econtra : 1. Bulla *Speculatores*, nullo modo, nec etiam implicite, suppressit modum specialem sortiendi episcopum originis per nativitatem spiritualem, sed tantummodo pressius determinavit qui sit episcopus *ratione originis naturalis;* — 2. Licet bulla *Speculatores* videretur contraria bullæ *Cupientes*, adhuc tamen applicari posset Regula Juris in VI : Species derogat generi; — 3. Dicta bulla *Cupientes* confirmata fuit, renovata et relata *de verbo ad verbum*, post bullam *Speculatores*, nempe a Clemente XI, in bulla *Propagandæ*, V id. martii 1704[2] ; — 4. Ceterum bulla *Cupientes* latissimam recipit interpretationem, quia continet insigne privilegium fidei, quod concessit Paulus III, ad hoc præcise ut excitaret infideles ad conversionem. Unde communiter doctores hoc tenent[3].

2° Notandum, prædictos conversos, præter hunc episco-

[1] *Bull. Rom.*, t. IV, part. 1, p. 204.

[2] *Bull. Rom.*, t. X, p. 64.

[3] Honorante, *loc. cit.*, c. I, not. 10, p. 21 ; — Riganti, *In Reg. 24 Canc.*, § 3, n. 11 ; — Gasparri, n. 807, p. 90.

pum originis *spiritualis*, habere etiam episcopum *originis naturalis*, ad normam bullæ *Speculatores*, item et alios episcopos ratione *domicilii*, *beneficii*, etc., de quibus infra. — Ratio est quia sunt baptizati, et proinde fruuntur juribus omnibus baptizatorum; alioquin, non privilegium, sed pœnam consequerentur ex bulla *Cupientes*.

3° Bulla *Cupientes* respicit, non tantum conversos ex Judæis aut paganis, sed etiam probabilius illos hæreticos qui, ad fidem catholicam conversi, *iterum*, *ratione dubii baptismatis*, *sub condicione baptizantur*. — Dubium enim illud, quod sufficit ut iteretur baptisma, sufficit etiam, et a fortiori, ut hi hæretici intelligantur comprehensi in præfata bulla, quæ respicit « Judæos et *alios infideles quoslibet ad fidem catholicam conversos* »; et recipere debet, ut dixi, latissimam interpretationem[1].

§ 2. De episcopo proprio ratione domicilii.

32. — Competentia episcopi domicilii quoad ordinationem. — Episcopus *domicilii*, in genere, ille est in cujus diœcesi ordinandus habet domicilium. Cum *domicilium* in aliqua diœcesi sit ratio firmissima et universalissima sortiendi forum et juridictionem, v. g., quoad competentiam judiciariam, matrimonium, baptismum, etc., non est mirum, si episcopus possit conferre ordines illis Christifidelibus qui fovent in ejus diœcesi domicilium, licet alibi nati sint. Ceterum hoc constat peremptorie tum supra (n. **28**) relato cap. *Cum nullus*, 3, De temporibus ordinationum, in VI, tum statim citanda bulla *Speculatores*, Innocentii XII[2].

[1] Ita etiam Gasparri, n. 807.

[2] Cf. Hallier, *De sacris electionibus et ordinationibus*, part. II, sect. v, c. III, art. 4, §§ 1-3; ed. Migne, p. 992 sq. Prima forsan vestigia juris episcopi domicilii inveniuntur in concilio Arausicano I (an. 441), can. 8; Bruns, *Concilia*, t. II, p. 123.

33. — Pressius determinatur qui sit episcopus domicilii. — Rem declaravit Innocentius XII cit. bulla, § 5, ubi hæc verba legimus : « Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines, is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco ut, vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet[1]. » Unde :

1° Requiritur, ex parte ordinandi, *domicilium proprie dictum* in diœcesi, ita ut non sufficiat simplex habitatio, nec quasi-domicilium. *Domicilium* autem est *locus in quo quis habitat cum animo sufficienter manifestato ibidem perpetuo manendi, nisi quid avocet.* Per illum *locum*, intelligitur *parochia* vel *civitas;* unde non sufficit ut quis habeat generale propositum nunquam discedendi a diœcesi in qua nunc habitat, sed requiritur insuper ut constituerit suam habitationem *in aliquo pago, vel oppido, vel civitate, in quo sibi propositum habeat perpetuo manere.*

2° Verum, relative ad recipiendos ordines, non sufficit domicilium ordinarium, quale sufficit ad cetera omnia, v. g., matrimonia, judicia, etc.; sed requiritur domicilium *qualificatum*, iis nempe munitum dotibus et qualitatibus, quas requirit Innocentius, cit. textu, ad avertendas fraudes. — Hoc autem attento textu, *duplex est modus contrahendi domicilium qualificatum* relative ad ordines :

A. *Prior modus contrahendi domicilium qualificatum, ad ordines.* — Domicilium, ad ordines, contrahitur primo

[1] *Bull. Rom.*, t. IX, p. 374.

per habitationem decennalem in loco, juncto juramento ibi perpetuo manendi. — Constat expresse textu cit. — Unde duo elementa requiruntur : 1. *Habitatio decennalis* in loco, nempe in pago, oppido vel civitate, ubi quis domicilium constituit; quod decennium intelligitur ut in domicilio *ordinario,* nempe per decem annos protractum, et *moraliter non interruptum;* dico *moraliter;* nam, ex communi hominum æstimatione, non censetur quis interrumpere domicilium, si quando absit vel itineretur, postea reversurus; — 2. *Juramentum perpetuo manendi;* aut potius juramentum quo ordinandus *jurans affirmet se habere animum perpetuo manendi;* animus quidem perpetuo manendi in loco pertinet ad essentiam domicilii; sed, ad amovendas fraudes, jubet Innocentius hunc animum jurejurando affirmari : « *Se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.* » — Hoc juramentum præstari solet coram episcopo aut ab eo delegato; sed, ut patet, episcopus potest acceptare juramentum coram alio emissum. Innocentius enim præcipit tantum *juramentum.*

B. *Posterior modus contrahendi domicilium qualificatum, ad ordines.* — Domicilium, ad ordines, contrahitur secundo per *translationem bonorum* in locum domicilii, juncta *commoratione notabili* in *ædibus instructis*, additoque *juramento.* — Constat expresse textu cit. — Unde quatuor elementa requiruntur : 1. *Translatio majoris partis rerum ac bonorum* in locum domicilii; agitur tantum de bonis *mobilibus;* non requiritur ergo ut vendantur bona immobilia quæ alibi possidentur; nullibi enim requiritur, ad rationem veri domicilii, ut bona immobilia non possideantur extra locum domicilii; unde bona immobilia sufficienter transferuntur, si ordinandus eorum fructibus aut reditibus utatur in loco domicilii; ita omnes[1]; — 2. *Commoratio*

[1] Cf. Honorante, p. 100, n. 6; — Lucidi, *loc. cit.,* n. 90, p. 166.

notabilis; « ibique, ait Innocentius, insuper *per aliquod considerabile tempus commorando*, etc.; » hic non requiritur *decennium;* nam, cum translatio bonorum sit vehemens signum animi perpetuo manendi, minus tempus certo sufficit, quod communiter intelligitur *triennium*, argumento desumpto ex conc. Trid., cap. *Episcopus*, 9, sess. XXIII, De reform., quod requirit *triennium*, ut episcopus familiarem suum ordinare possit[1]; — 3. *Ædes instructæ;* id est, requiritur ut ordinandus habitet, non ubicumque, v. g., ad diem in publico diversorio, sed in ædibus ita rebus necessariis munitis, ut significetur intentio permanendi; non requiruntur vero ædes *propriæ*, sed sufficiunt *conductæ;* — 4. *Juramentum*, ut supra dictum est.

Unde, sive priori, sive altero modo, ordinandus contraxerit domicilium in aliqua diœcesi, episcopus hujus diœcesis fit *episcopus domicilii*, jusque acquirit illi subdito conferendi ordines. Ubi notandum aliquem posse in aliqua diœcesi sibi constituere domicilium, ad hoc expresse ut recipere possit ordines ab episcopo hujus diœcesis; hoc enim nullibi prohibetur.

34. — De duplici domicilio relative ad ordines. — Potest quis habere duo domicilia, v. g., ad matrimonium, ad judicia, etc.; quod omnes concedunt; sed quæritur num quis possit habere duo domicilia *relative ad ordines*, ita ut, pro recipiendis ordinibus, possit recurrere ad episcopum unius vel alterius domicilii. — Porro :

1° Plures dicunt *neminem posse habere duo domicilia ad ordines.* Ita Honorante, Lucidi, etc.[2]. — Ratio est, juxta illos, quod domicilium requisitum ad ordines, non est *ordinarium*, sed *qualificatum*, et qualitates seu dotes

[1] Ita Honorante, p. 99, n. 4, aliique.
[2] Honorante, p. 99, n. 5; — Lucidi, n. 90, p. 166.

requisitæ non possunt simul inveniri in duplici domicilio; nam : 1. Nemo potest in duplici simul loco habitare *per decennium continuum;* — 2. Multo minus potest quis transferre in duos simul locos *majorem partem suarum fortunarum.*

2° Alii vero dicunt *aliquem posse habere duo simul domicilia etiam relative ad ordines.* Ita S. Alphonsus[1]. — Nemo quidem potest transferre in duos simul locos *majorem partem suarum fortunarum*, et ideo habere nequit duo domicilia ad ordines, hoc modo contracta, nempe *per translationem bonorum.* Verum nil impedit quin quis habere possit duo domicilia ad ordines, altero modo contracta, nempe per *habitationem decennalem.* Nam Innocentius, in bulla *Speculatores*, nullo modo mutavit *naturam domicilii* (quæ mutatio conceptus canonici domicilii, cum fuisset gravissima, non præsumitur, et expresse statui debuisset), sed tantum, ad majorem cautelam, requisivit quædam adjuncta, v. g., *longiorem habitationem*, ut signum animi perpetuo manendi; atqui *de natura domicilii canonici est,* ut possit haberi in duobus simul locis, modo quis in utroque loco æqualiter sit collocatus; ergo, si quis ordinandus habeat domicilium hibernum Parisiis, æstivum in diœcesi Versaliensi, æqualiter collocatus in utroque, poterit, post habitationem decennalem, petere ordines vel ab archiepiscopo Parisiensi, vel ab episcopo Versaliensi; quod clarum est. — Item nil impedit, quin quis habere possit duo domicilia ad ordines, unum contractum per habitationem decennalem, alterum per translationem bonorum, modo æqualiter sit collocatus in utroque; nam eo modo salva tectaque manet natura domicilii, et satisfit condicionibus Innocentianis[2].

[1] Lib. VI, n. 773.

[2] Unde discrimen est, ex hac parte, inter episcopum domicilii et episco-

35. — De filiis minoribus, quoad domicilium ad ordines.

1° Filius minor, id est, apud nos, ante vigesimum primum annum completum, non habet proprium domicilium, imo regulariter nec habere potest; lex autem ei assignat domicilium *paternum*, quod nempe pater ejus legitime acquisivit et fovet in loco determinato; hoc porro *legale* domicilium filius retinet, etiam postquam attigit *majoritatis* ætatem, donec aliud proprium domicilium sibi constituat, vel *definitive* recedat a loco domicilii paterni cum animo nunquam redeundi. — Unde domicilium filii, in prædictis casibus, est idem ac domicilium patris : quod etiam recognoscit jus canonicum.

2° Ergo, si agatur de filio minori ordinando, episcopus ejus, *ratione domicilii*, est episcopus *domicilii paterni*, quod lex assignat et communicat filio. Verum, sicut filius recipit a lege domicilium paternum, ita recipit illud *quale est;* igitur, ut possit filius ordinari ratione domicilii paterni, necesse est ut hoc muniatur omnibus qualitatibus et dotibus ab Innocentio requisitis in bulla *Speculatores;* et proinde, de domicilio patris, ut prodesse possit ad ordinationem filii, eadem omnino dicenda sunt quæ supradicta sunt (n. **33**) de domicilio ordinandi.

36. — De juramento requisito quoad domicilium ad ordines.

1° Quidam dicunt juramentum, ab Innocentio præscriptum ad confirmandas probationes domicilii ordinandorum, requiri quidem quando filius ordinatur ratione proprii domicilii, *non* vero *requiri, quando filius ordinatur ratione domicilii paterni;* tunc enim nec filius tenetur illud emit-

pum originis; unus enim tantum esse potest episcopus originis, ut supra dictum est (n. **29**, 5°).

tere, quia non habet domicilium proprium, nec pater, quia de facto hunc casum non contemplatur bulla Innocentiana[1]. — Sed hæc doctrina non videtur probabilis; si enim juramentum non requiratur pro domicilio paterno, nec etiam pro illo requirentur aliæ qualitates, nempe habitatio decennalis, translatio majoris partis bonorum, etc., quia has qualitates et ipsum juramentum in eodem gradu eodemque modo præscribit bulla *Speculatores*. Porro hoc nemo unquam dixit; imo omnes docent domicilium paternum, ut prodesse possit ad ordinationem filii, debere esse munitum qualitatibus a bulla requisitis; ergo et ipsum juramentum emitti necesse est, non a filio, de quo non agitur, sed a patre[2].

2° Hujus juramenti vix est usus in Gallia; ratio est quia, ut infra dicetur, n. **49,** episcopus domicilii non solet ordinare subditum sine litteris excorporationis ab episcopo originis acceptis. Unde fit ut, etiam quando episcopus domicilii ordinat subditum sine his litteris, juramentum prædictum non exigatur. — Hoc porro juramentum non exigi, quando domicilium clarissimum est, v. g., quando pater commoratur in loco a quindecim aut viginti annis, in instructis ædibus, tolerari potest[3]; non vero, quando domicilium non ita clarum est. — Ceterum inolescere posse consuetudinem contra bullam *Speculatores*, præsertim in rebus minoris momenti, non est dubium.

[1] Ita Riganti, *In regulam 24 Cancellariæ*, § 3, n. 51, t. II, p. 351; — et Gasparri, n. 833, p. 106.

[2] Ita etiam Honorante, c. IX, not. 7, p. 100; — Lucidi, n. 91, 92, p. 166-167.

[3] Nec diffitetur ipse Lucidi, *ibid.*, n. 93.

§ 3. De episcopo proprio ratione beneficii.

37. — Competentia episcopi beneficii quoad ordinationem.

1° Episcopus beneficii ille est in cujus diœcesi clericus possidet beneficium ecclesiasticum. Episcopum beneficii jus habere conferendi ordines suis beneficiatis, constat ex supra (n. **28**) relatis textibus Clementis IV et Bonifacii VIII, quos confirmavit Innocentius in bulla *Speculatores*. — Imo jus illud est antiquissimum; nam olim ille episcopus, imo ille solus episcopus poterat ordinare clericos, qui poterat eos ascribere ecclesiis seu titulis, qui tenebant locum beneficiorum. Cum ergo titulis successere beneficia, jus episcopi permansit, et etiam postquam plurima beneficia evaserunt simplicia seu non residentialia[1].

2° Attamen competentia episcopi, ratione beneficii, nulla est quoad *primam tonsuram*, ita ut nullus unquam recipere possit primam tonsuram a quovis episcopo *ratione beneficii*. — Non enim potest eam recipere ratione beneficii *jam collati*, ut per se patet; nam laicus est omnino incapax beneficii. — Sed neque ratione *beneficii conferendi, etiam statim*, ut constat expresse bulla *Speculatores*, § 3 : « Nulli episcopo seu cujusvis loci Ordinario, tametsi cardinalatus honore fulgeat, licere (decernimus) externum quempiam ac sibi ratione originis seu domicilii... non subditum, *ad clericalem tonsuram promovere, cujusvis beneficii ecclesiastici, ei statim ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit conferendi*, seu ad quod is a patronis jam præsentatus seu nominatus fuerit, prætextu[2]. » Ergo laicus non

[1] Cf. Hallier, *De sacris electionibus et ordinationibus*, part. II, sect. v, c. III, art. 5; ed. Migne, p. 999.

[2] *Bull. Rom.*, t. IX, p. 375.

potest recipere tonsuram, ratione beneficii etiam statim conferendi, imo etiam ad quod jam fuerit præsentatus; ergo solus clericus, prima tonsura saltem jam initiatus a suo proprio episcopo, potest ordinari, ratione beneficii, ab episcopo diœcesis in qua possidet beneficium.

38. — Quale debet esse beneficium ut episcopus beneficii ordinare possit.

1° Olim, scilicet ante constitutionem Innocentii XII (an. 1694), quodlibet beneficium, etiam tenuis reditus, jus dabat episcopo, in cujus diœcesi situm erat beneficium, conferendi ordines clerico possessori hujus beneficii[1]. Verum, ad amovendas frequentissimas fraudes, hoc jus restrinxit Innocentius in dicta bulla *Speculatores*, in qua, § 3, decernit clericum non posse ordinari ratione beneficii, « nisi beneficium prædictum ejus sit reditus, ut *ad congruam vitæ sustentationem*, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, *per se sufficiat*, illudque ab ordinando *pacifice possideatur;* sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum adjectione patrimonii, etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis diœcesi obtineret[2]. » Ergo quatuor requiruntur ut quis ordinari possit ratione beneficii :

A. Ut beneficium sit *actu possessum;* unde non sufficit promissio conferendi, nec præsentatio, imo nec ipsa institutio seu collatio, sine *possessione;* dicit enim Innocentius : « Illudque pacifice *possideatur*. » — Si quis episcopus ordinet clericum *ratione beneficii conferendi*, incurrit suspensionem, de qua agit Pius IX, in bulla *Apostolicæ Sedis*,

[1] Hanc disciplinam exponit Hallier, *loc. cit.*
[2] *Bull. Rom.*, t. IX, p. 375.

De suspensionibus, n. 3 : « Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum *etiam sub prætextu beneficii statim conferendi,* aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus episcopi litteris dimissorialibus. » Unde, ad vitandam suspensionem, sufficit beneficium esse *collatum;* sed, ad vitandum peccatum, requiritur etiam ut sit *possessum.*

B. Ut beneficium sit *pacifice* possessum, ita ut non sit lis super proprietate ejus aut possessione; constat textu relato.

C. Ut beneficium sit talis reditus ut, *detractis oneribus, sufficiat ad congruam vitæ sustentationem*, juxta taxam synodalem aut morem regionis, ut dicitur de *titulo ordinationis;* constat etiam textu citato. — Si quis episcopus ordinet clericum ratione beneficii *minime sufficientis,* incurrit suspensionem, de qua agit, in textu mox relato, bulla *Apostolicæ Sedis.* — Quod si, ut plerumque fiet, taxa diœcesis, in qua clericus beneficium habet, differat a taxa diœcesis, in qua domicilium fovet, reditus beneficii computandi sunt juxta taxam diœcesis beneficii, *si hoc requirat residentiam continuam*, quia nempe ibi sustentandus erit clericus; si vero beneficium *non sit residentiale,* computandi erunt juxta taxam diœcesis domicilii. Ita pluries S. Congr. Conc., v. g., in *Alatrina,* 9 julii 1701; in *Ariminen.,* 10 jan. 1708; in *Romana*, 27 maii 1713[1]; quas resolutiones secutus est Innocentius XIII, in const. *Apostolici ministerii*, 13 maii 1723, § 7 (pro regnis Hispaniarum tantum)[2].

D. Tandem requiritur ut beneficium *per se sufficiat* ad

[1] Has resolutiones refert Benedictus XIV, *De synodo,* lib. XII, c. IX, n. 2.

[2] *Bull. Rom.,* t. XI, part. II, p. 260. — Hanc bullam de verbo ad verbum retulit et confirmavit (item pro Hispaniis tantum) Benedictus XIII, in sua const. *In supremo,* 23 sept. 1724; *Bull. Rom.,* t. XII, p. LXXII.

prædictam sustentationem, ita ut ejus insufficientia suppleri nequeat cum adjectione *patrimonii*, etiam pinguis. Constat clarissime textu citato. — Nihil autem obstare videtur quin insufficientia beneficii suppleatur ex *alio beneficio in eadem diœcesi* ab eodem clerico possesso; nam quod clericus *in eadem diœcesi* habeat vel *unum beneficium sufficiens*, vel *duo beneficia simul sufficientia*, id, relative ad clerici sustentationem et jus episcopale ordinationis, prorsus idem esse videtur; imo Innocentius, non prohibens nisi *adjectionem patrimonii*, innuit licitam esse *adjectionem alterius beneficii* in eadem diœcesi possessi [1]. Dico *in eadem diœcesi possesso;* nam clarum est beneficium insufficiens in diœcesi A non posse suppleri, relative ad ordinationem beneficiati, ex alio beneficio in diœcesi B; beneficium enim in diœcesi B nihil juris conferre aut addere potest episcopo diœcesis A. — Ut autem authentice constet de reditu beneficii et de ejus sufficientia, episcopus ordinans ratione beneficii debebit notare hunc reditum in scripta attestatione collati ordinis, ut jubet etiam Innocentius in dicta constitutione.

2° Verum, cum bulla Innocentiana, ut quis ordinari possit ratione beneficii, requirat tantummodo *beneficium* (modo sit possessum pacifice et sufficiens), nihil ultra addens, hæc sequuntur : 1. Sufficere beneficium *simplex*, nec ullo modo requiri residentiale; — 2. Sufficere etiam beneficium *manuale*, nec requiri perpetuum; cum enim bulla Innocentiana sit correctiva juris antiqui, vi cujus benefi-

[1] Hanc opinionem *non videri improbabilem* affirmat Honorante (*loc. cit.*, c. VIII, not. 3, p. 89), licet contraria *videatur* resolutio S. Congr. Concilii in *Spoletana*, 20 nov. 1756 (*Thesaurus S. Congr. Conc.*, t. XXV, p. 86). Dico, *contraria videatur;* nam hæc resolutio non est *certo* contraria nostræ opinioni; cum enim hæc causa brevissime relata sit in *Thesauro*, nescimus utrum beneficia possessa in aliena diœcesi fuerint in casu *simul sufficientia*.

cium, hac in re, latissime intelligebatur[1], explicanda est eo modo qui minus deroget juri antiquo, quantum verba sinunt; porro etiam beneficium manuale dicitur et est *beneficium*, licet in sensu minus stricto. Confirmatur ex resolutione S. Congr. Concilii in *Pientina*, 18 julii 1733[2], in qua præcise S. Congregatio declaravit clericum Laurentium potuisse ordinari ab episcopo diœcesis, in qua possidebat beneficium *manuale*. Notandum est tamen, ut per se patet, tale beneficium non posse prodesse ad hoc ut clericus *ad ejus titulum* recipiat sacrum ordinem, sed ad hoc requiri vel titulum beneficii perpetui, vel titulum patrimonii; etenim duæ res prorsus diversæ sunt, *titulus subjectionis erga episcopum*, et *titulus ordinationis sacræ*: — 3. Clericum habentem duo beneficia in duabus diversis diœcesibus, posse ordinari ab alterutro episcopo; — 4. Clericum posse procurare ut sibi conferatur beneficium in tali diœcesi, *ad hunc præcise finem*, ut possit ordinari ab episcopo hujus diœcesis; quod veteri jure prohibitum erat[3], sed jure Innocentiano licitum est, ex genuino sensu bullæ *Speculatores*.

§ 4. De episcopo ratione familiaritatis.

39. — Competentia episcopi, ratione familiaritatis.

1° Jam tempore concilii Tridentini, longissima consuetudine fuerat inductum ut episcopus ordinare posset *suum familiarem;* quam consuetudinem simul testatur et confirmat conc. Trid., cap. *Episcopus*, 9, sess. XXIII, De reform.: « Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non

[1] Cf. Hallier, *loc. cit.*, § 2, p. 999.
[2] *Thesaurus S. C. Conc.*, t. VI, p. 131-136.
[3] Cf. Hallier, *loc. cit.*, § 3, p. 1001.

possit nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat; consuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante. »

2° Verum hic non agitur nisi de episcopis residentialibus; nam episcopi *titulares* omnino prohibentur ne ordinent familiares suos; constat eodem conc. Trid., cap. *Et quoniam*, 2, sess. XIV, De ref. : « Nemo episcoporum, qui titulares vocantur, ... vigore cujusvis privilegii de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, *etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ*, absque sui proprii prælati expresso consensu aut litteris dimissoriis, *ad aliquos sacros aut minores ordines vel primam tonsuram*, promovere seu ordinare valeat. » Imo, *ibid.*, indicuntur pœnæ contra sic ordinantem et ordinatos : « Contrafaciens ab exercitio pontificalium per annum; taliter vero promotus ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi. »

3° Notandum est discrimen quod, *ratione juris ordinandi*, intercedit inter tres episcopos præfatos (originis, domicilii, beneficii) et episcopum *familiaritatis*. Pro tribus illis episcopis, jus ordinandi oritur ex eo quod ordinandus sit *eorum subditus*, seu *illis subjectus*, licet hæc subjectio sit multo minor erga episcopum beneficii. Jus autem episcopo competens ordinandi familiarem suum, non oritur ex hujus subjectione (nam supponitur familiaris habere alibi suam originem suumque domicilium), sed ex quodam privilegio longa consuetudine inducto, quod quidem nunc, ob decretum Tridentinum, transiit in jus commune, sed tamen remanet contrarium principiis generalibus de subjecto ordinationis; episcopus enim familiaritatis ordinat *non subditum*. Unde etiam valde controvertitur num hic epi-

scopus possit *dispensare* suum familiarem sive in interstitiis, sive in defectu natalium; de quo suo loco dicetur.

40. — Requisita ut episcopus familiarem suum ordinare possit. — His, quæ requirit concilium Trid., textu mox citato, Innocentius XII, in bulla *Speculatores*, § 6, nova addit; prohibet enim, ne episcopus ordinet familiarem, « nisi familiarem prædictum *per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit ac suis sumptibus aluerit, beneficium* insuper *quod ei ad vitam sustentandam*, juxta modum superius præfinitum, *sufficiat*, quacumque fraude cessante, *statim*, hoc est, *saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis*, re ipsa illi conferat. »

Unde tria requiruntur :

1° *Quoad modum servitii*, ut ordinandus fuerit in *actuali episcopi servitio* adhibitus, *apud eum commoratus* et *ejus sumptibus sustentatus*. Ergo : 1. Amici aut consanguinei episcopi, qui apud ipsum manent, sed ei non famulantur, non sunt *familiares*, ad effectum de quo agitur; — 2. *Commorationi* requisitæ satisfacit familiaris, non tantum si in ædibus episcopalibus habitet, sed etiam si extra, modo prope, v. g., in civitate episcopali, ut possit *actuali episcopi servitio* incumbere[1]. Nimis æquo severiores sunt, qui requirunt habitationem in ipso palatio episcopali[2]; hoc enim textibus non præcipitur.

2° *Quoad tempus servitii*, ut duraverit *per triennium* (conc. Trid.), *per integrum et completum triennium* (bulla *Speculatores*). Vox *completum* requirit ut *tres anni* plene elapsi sint; vox *integrum* requirit ut illud triennium non fuerit *notabiliter* interruptum; non nocent tamen parvæ

[1] Cf. S. Alph., lib. VI, n. 780; — Riganti, *loc. cit.*, n. 150-151, p. 361.
[2] V. g., Giraldi, *Expositio*, etc., part. II, sect. XCVII, not. 5, t. III, p. 957.

illæ interruptiones, quæ pro nihilo reputantur. — Item non nocet, si familiaris partem triennii expleverit apud eumdem episcopum, sed antequam esset episcopus; quod confirmatur pluribus resolutionibus S. Congr. Concilii, v. g., in *Catanien.*, 9 nov. 1589; — in *Brugniaten.*, 28 julii 1580, etc.[1].

3° *Quoad beneficium conferendum ordinato*, ut episcopus familiari ordinato beneficium conferat *statim* (conc. Trid.), id est, *intra terminum unius mensis a die ordinationis* (bulla *Speculatores*). Hoc autem beneficium debet esse *sufficiens ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum*, ait in eadem bulla Innocentius, qui se refert ad ea quæ dixerat de beneficio, ratione cujus episcopus ordinare potest clericum (supra, n. **38**); unde beneficium debet esse sufficiens, *juxta taxam synodalem* aut *morem regionis*, et quidem *per se* sufficiens, quin possit suppleri ejus sufficientia ex patrimonio familiaris. — Hoc autem semel concesso beneficio, patet episcopum conferre posse familiari suo ulteriores ordines, non jam ratione familiaritatis, sed ratione beneficii.

41. — **Quæritur :** *Num possit episcopus ordinare familiarem suum, quin ei concedat beneficium, sed ad titulum patrimonii aut pensionis, judicans illum assumendum pro necessitate aut commoditate ecclesiarum suarum, ad normam conc. Trid.* (cap. *Cum non deceat*, 2, sess. XXI, De ref.).

Resp. : 1° Quidam docent episcopum ordinare posse familiarem suum *ad titulum patrimonii vel pensionis* modo supra dicto, pro utilitate ecclesiarum suarum, quibus revera illum adscribere debet. Ita præcipue Barbosa et

[1] Giraldi, *ibid.*, not. 3, p. 957.

Giraldi, qui in probationem afferunt plures S. Congr. Conc. decisiones[1].

2° Alii vero docent episcopum non posse ordinare familiarem suum *ad titulum patrimonii vel pensionis*, sed teneri omnino ei conferre *beneficium*. Ita præsertim Riganti, Monacelli, Lucidi[2]. — Ratio est, tum quia nimis clara sunt verba Innocentii, in bulla *Speculatores*, requirentis beneficium sufficiens ad vitæ sustentationem, — tum quia, post hanc bullam *Speculatores*, ita decidit S. Congr. Concilii, in *Tricaricen.*, 27 julii 1697, in qua, ad hoc quæsitum : « An, stante novissima constitutione *Speculatores*, posset episcopus familiarem triennalem *ad titulum patrimonii* promovere ad sacros ordines ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ, *nullo collato ecclesiastico beneficio*, » respondit : « *Negative*[3]. »

3° Forsan distinguendum est inter *titulum patrimonii*, et *pensionem*. Quoad *titulum patrimonii*, admitti nequit episcopum posse familiarem suum ordinare eo titulo; peremptoria enim sunt verba Innocentii, qui, ut dictum est, requirit beneficium *per se sufficiens, quin suppleri possit ejus insufficientia ex patrimonio, etiam pingui, familiaris;* ergo, a fortiori, eum ordinare nequit titulo solius patrimonii. — Quoad *pensionem*, pensionem nempe ecclesiasticam, ex fructibus alicujus beneficii solvendam, probabilius putaverim episcopum ordinare posse familiarem, concedendo illi, loco beneficii, pensionem ad vitam sustentandam sufficientem; nam, in rebus favorabilibus,

[1] Barbosa, *De officio episcopi*, part. II, alleg. v, n. 12-13, p. 213; — Giraldi, *loc. cit.*, not. 8, p. 958; — ita etiam, ut videtur, S. Alph., lib. VI, n. 780.

[2] Riganti, *loc. cit.*, n. 157-158; — Monacelli, *Formularium*, part. I, tit. v, form. 17, n. 1-2; t. I, p. 69; — Lucidi, *loc. cit.*, n. 101, p. 170.

[3] Hæc decisio refertur in *folio* causæ *Elboren.*, 2 aug. 1721; *Thesaurus*, t. II, p. 66.

qualis est ista quæ favet episcopis, pensio annumerari solet beneficiis; revera S. Congr. Conc. pluries decidit episcopum ita posse ordinare familiarem, concessa pensione; sic in causa *Brixien.*, quam refert Fagnanus[1], et in duabus aliis, quas refert Giraldi[2]. Nec contraria est decisio an. 1697, quæ non agit nisi de titulo *patrimonii;* item nec aperte contraria est decisio 11 aug. 1894, in *Bejen.*[3]. Ergo sufficit *pensio* ecclesiastica; sic etiam docet Hallier sufficere *præstimonium;* porro *præstimonium* non magis accedit ad beneficia, quam *pensio*[4].

§ 5. De variatione ab uno episcopo ad alium.

42. — Quæritur : *Num liceat ordinando variare ab uno episcopo ad alium.*

Declaratio quæsiti. — Ex supradictis patet aliquem ordinandum habere posse, relative ad ordinationem, non tantum unum, sed etiam duos aut plures episcopos proprios; si quis enim natus sit in diœcesi Parisiensi, domicilium habeat in diœcesi Versaliensi, beneficium in diœcesi Meldensi, et insuper sit triennalis familiaris episcopi Aurelianensis, constat eum recipere posse ordines a quatuor episcopis. Porro, si agatur de prima ordinatione, nempe de tonsura, clarum est ordinandum eligere posse unum quem velit e suis episcopis propriis, et si unus nolit eum recipere, ad alium recurrere; tunc enim jura omnium episcoporum propriorum sunt æqualia, relative ad ipsam ordinationem. Sed quæritur num clericus, jam primam tonsuram aut alium ordinem adeptus ab aliquo episcopo,

[1] In cap. *Ad audientiam* (31, *De rescriptis*), n. 137.
[2] *Loc. cit.*, p. 958.
[3] *Per summaria precum, Acta S. Sedis*, t. XXVII, p. 230-235.
[4] Hallier, *loc. cit.*, § 2, n. 5, col. 1000.

possit recurrere ad alium, ita ut recipiat ordines minores ab episcopo originis, subdiaconatum ab episcopo domicilii, diaconatum ab episcopo beneficii, etc.

Resp. : Licita est variatio, modo fiat sine fraude. — Constat : 1. *Ex supradictis ;* vidimus enim quatuor episcopos *jure proprio frui ordinandi subditum ;* porro, ex hoc solo quod ordinandus recipit primam tonsuram vel aliquem ordinem ab uno episcopo, nullo modo sequitur perimi jus aliorum episcoporum ; ex se enim ordinatio non inducit vinculum rigorosum cum diœcesi episcopi ordinantis, nec ulla lex canonica inducit hoc vinculum *ex facto solius ordinationis ;* — 2. *Constitutione Speculatores,* § 3, ubi legitur : « Præterea (declaramus) clericum qui legitime jam a proprio episcopo ad eamdem clericalem tonsuram seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio episcopo, ratione ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad altiores ordines promoveri, nisi, ante eorumdem susceptionem, testimoniales litteras proprii episcopi... sibi concedi obtinuerit, easque episcopo ordinanti exhibuerit[1] ; » ergo licet ordinandus jam tonsuram aut minores ordines ab uno episcopo receperit, alios recipere potest ab alio episcopo, solis exhibitis litteris testimonialibus ; — 3. *Jurisprudentia S. Congr. Conc.,* quæ pluries in hoc sensu quæsita resolvit ; sic, in *Fundana,* 27 feb. 1666, cum quæreretur de legitimitate variationis quoad omnes ordines, non exceptis majoribus, respondit : « *Variationem in unoquoque ex prænarratis casibus, dummodo non in fraudem fiat, licitam esse*[2]. » Unde dictam propositionem communissime tenent doctores[3].

[1] *Bull. Rom.,* t. IX, p. 375.

[2] Hæc decisio relata reperitur in *folio* causæ *Pisanæ,* 26 jan. 1732 ; *Thesaurus,* t. V, p. 204.

[3] V. g., Riganti, *loc. cit.,* n. 84, p. 351 ; — Honorante, c. IX, not. 11, p. 104 ; — Pignatelli, *Consultationes canonicæ,* t. I, cons. 38, Coloniæ Allo-

Dixi : *Modo fiat sine fraude.* Fraus fieri potest legi canonicæ, vel juribus episcopi. Fraus fit *legi canonicæ*, v. g., si ordinandus, rejectus ab uno episcopo ob canonicum impedimentum, irregularitatem, etc., recurrat ad alium dissimulato defectu; in hoc casu patet illicitam esse variationem. — Fraus etiam fieri potest *juribus episcopi;* episcopus enim aliquando jus habet, ut ordinandus maneat in servitio diœcesis, v. g., si sacrum subdiaconatus ordinem recepit ad titulum *missionis*, aut alium titulum æquivalentem; si ordinandus in seminario alitus fuit expensis diœcesis, ob quasi contractum qui tunc intervenire solet, etc.; in his ergo casibus, clericus non potest recurrere ad alium episcopum pro recipiendis ordinibus; aliter violaret jura episcopi, sub cujus jurisdictione plene remanere debet, et qui solus judicare debet de opportunitate sacras illi ordinationes conferendi; tunc ergo variatio, utpote in fraudem facta, illicita est.

§ 6. De quibusdam specialibus dispositionibus.

I. De ordinatis a Romano Pontifice

43. — Quæritur : *Num ii, qui receperunt aliquem ordinem ab ipso Romano Pontifice, possint superiorem ordinem recipere ab episcopo proprio sine licentia Pontificis.* — Non agitur de iis qui episcopum Romanum tanquam episcopum proprium habent, sed de iis qui, ad alios episcopos proprios pertinentes, aliquem ordinem, *honoris causa,* recipiunt a Romano Pontifice.

Resp. : 1° Communiter ad quæsitum *negative* respondetur

brogum, 1718, p. 38; — Petra, *In const. unicam Urbani II,* sect. 1, n. 64, Venetiis, 1741, t. 1, p. 186; — Gasparri, t. II, n. 853 sq., p. 119 sq.

a doctoribus[1]. Sed fatendum est admodum difficile esse hanc responsionem demonstrare. Nam :

a. Alii (v. g., Gonzalez) afferunt cap. *Cum in distribuendis*, 12, De temporibus ordinationum, cum suo *Summario*. In capite legimus : « Meminimus a nobis fuisse suppliciter postulatum et clementer indultum, ut, quia præfatus A. Ecclesiæ Romanæ subdiaconus erat, *mandaremus ipsum per Bononiensem episcopum promoveri.* » *Summarium* autem est : « Ordinatus a papa, *sine licentia papæ ad superiores ordines non promovetur.* » — Verum : 1. Ipsum caput non venit ad rem, cum agatur de *subdiacono ecclesiæ Romanæ*, qui proinde proprium episcopum habebat episcopum Romanum ; — 2. Quoad *summarium*, omnes norunt *summaria* vim legis non habere, quippe quæ serius fuerint apposita in *Corpore Juris;* ceterum, ut notat Riganti[2], hoc summarium ab *imperito* positum fuit, cum textus non dicat id quod summario continetur.

b. Alii (Benedictus XIV, *loc. cit.*) afferunt canonem 15 *Dictatus* S. Gregorii papæ VII, qui revera sic habet : « Quod a papa ordinatus, alii ecclesiæ præesse potest, sed non militare, et quod *ab aliquo episcopo non debet superiorem gradum accipere*[3]. » — Verum hic *Dictatus* valde dubiæ est auctoritatis.

c. Alii (fere omnes allegati doctores) afferunt Innocentii III epistolam *Ad archiepiscopum Mediolanensem*, in qua pontifex, expresse loquens de clericis, non Romanis, sed *Mediolanensibus*, *qui a Romano pontifice aliquem ordi-*

[1] Sic Gonzalez, in cap. *Cum in distribuendis*, 12, De temporibus ordinationum, Lugduni, 1693, t. I, p. 430 ; — Riganti, *loc. cit.*, n. 318-319, p. 379 ; — Giraldi, *Expositio*, etc., part. I, sect. lxxxvi, p. 57 ; — Honorante, c. vi, not. 4, p. 80 ; — Hallier, *loc. cit.*, part. II, sect. v, c. iii, art. 9, § 1 ; ed. Migne, col. 1026 ; — Benedictus XIV, epistola *In postremo*, 20 oct. 1756, § 3 sq. (*Bull. Bened.*, t. iv, n. 63), etc.

[2] *Loc. cit.*, n. 319.

[3] *Dictatum* legas apud Migne, *P. L.*, t. cxliii, col. 407.

nem receperant, ait : « Verum quia fraternitas tua suppliciter a nobis expetiit ut, ipsius ecclesiæ (Mediolanensis) necessitatem sollicitudine paterna pensantes, tibi deberemus licentiam indulgere manus posse illis ordinationis imponere, super hoc tuæ fraternitati taliter duximus respondendum quod, *ipsius ecclesiæ necessitate pensata, si aliqui fuerint de supradictis clericis, qui ad hoc videantur idonei et spontanea voluntate per tuum ministerium voluerint ad sacros ordines promoveri, eos auctoritate nostra tibi liceat ordinare*[1]. » — Sed ex hac epistola demonstrative non deducitur jus *universale*, sed solum jus *particulare*, in sola Italia et forsan in sola provincia aut diœcesi Mediolanensi vigens, et ideo forsan hæc epistola Innocentii relata non fuit in *Corpore Juris*.

d. Alii (fere omnes doctores) recurrunt ad varias comparationes. Quando episcopus in aliquo altari missam celebravit, nefas est presbytero in eodem altari eadem die celebrare, ex can. *In altari*, 97, dist. II, De consecr.; pariter in quatuor basilicis patriarchalibus Urbis Romæ, in altari principali solus R. Pontifex missam celebrare potest[2]. Addunt etiam principium generale : Quoties alicui negotio *manum apposuit* R. Pontifex, nefas est inferioribus in hoc negotium se intromittere. — Sed, ut patet, hæc omnia debilia sunt argumenta; nam *comparatio non est ratio;* ceterum, quoad prius exemplum, de episcopo celebrante in aliquo altari, lex illa, utpote lata in concilio Antissiodorensi (an. 578), can. 10[3], nunquam fuit lex universalis, et hodie in desuetudinem abiit[4]. Quoad principium de *appositione manus pontificiæ*, quod valet præser-

[1] Innocentii III epist. xxii; Migne, *P. L.*, t. ccxiv, col. 18.
[2] Cf. *Prælectiones de Locis sacris*, n. **63**, 3°.
[3] Bruns, *Concilia*, t. ii, p. 238.
[4] Alicubi observabatur tempore Benedicti XIV, *loc. cit.*, § 9.

tim in collationibus beneficiorum[1], præcise quæstio est num applicari debeat casui præsenti; imo potius videtur hic non applicabile, cum ordines sint ab invicem distincti, et proinde singulæ collationes constituant negotia distincta.

e. Alii addunt praxim Romanorum Pontificum ; sic Giraldi (*loc. cit.*) ait suo tempore Benedictum XIII pluries *honoris causa* clericos ordinasse, et simul *dispensasse* ut hi clerici a se ordinati superiores ordines recipere possent ab episcopis propriis. — Sed omnes norunt indulta et dispensationes aliquando dari *ad cautelam*, vel ut ratio habeatur opinionum doctorum.

2° Unde potius dicendum videtur, revera, tempore Innocentii III, consuetudinem extitisse in diœcesi aut provincia Mediolanensi, et forsan in aliis regionibus, vi cujus, si quis recepisset aliquem ordinem a R. Pontifice, nefas erat illi superiorem ordinem recipere ab alio episcopo, sine licentia R. Pontificis. Hæc autem consuetudo scripta fuit a Pseudo-Gregorio in *Dictatu ;* inde tum auctor *Summarii* (cap. *Cum in distribuendis*), tum Glossa (in eod. cap.), tum ceteri doctores consuetudinem illam in jus commune transtulerunt : quæ tamen, ut patet, non valet nisi ut *consuetudo,* et in iis tantum locis, ubi legitime inducta est et certo viget. Non enim juri certo, præsertim concluso in *Corpore juris* (juri nempe, quod habet episcopus proprius, propria potestate, ordinandi suos subditos), derogari potest per textus aliquot incertos.

[1] De quo cf. Reiffenstuel, in tit. *De præbendis,* n. 413 sq.

II. De potestate cardinalis Urbis vicarii

44. — Potestas cardinalis vicarii quoad subditos exteros. — Cardinalis vicarius, ut vicarius papæ in diœcesi Romana stricte dicta [1], habet proprios subditos, sicut quilibet episcopus in propria diœcesi, ad normam bullæ *Speculatores;* habet insuper specialia jura in clericos *suburbicarios*, qui nempe pertinent ad unam e sex diœcesibus *suburbicariis*, ut infra dicitur. Agitur hic de subditis, non propriis, nec suburbicariis, sed *exteris*, qui, ad quamcumque diœcesim pertinentes præter Romanam et suburbicarias, *Romæ commorantur,* studiorum causa, aut alia. De his ergo subditis *exteris* hæc dicenda :

1° Ut clerici sæculares exteri, Romæ commorantes, possint ordinari *in Urbe,* non sufficiunt litteræ dimissoriales episcopi proprii, sed quatuor alia requiruntur :

a. Ut cardinalem Urbis vicarium « adeant, et de ipsius mandato ab examinatoribus ad hoc deputatis, non pauciores quam tribus ac simul congregatis, super scientia ad unumquemque ordinem requisita sedulo examinentur ». — Ita Alexander VII, in brevi *Apostolica sollicitudo*, 7 aug. 1662, § 1 [2].

b. Ut proferant *testimonia idoneitatis,* nempe : 1. Si agatur de ordinibus minoribus, bonum testimonium tum parochi, in cujus parochia commorantur, tum magistri aut rectoris scholæ, in qua studiis vacant; — 2. Si agatur de ordinibus majoribus, *proclamationes futuræ ordinationis* (de quibus agit concilium Trid., cap. *Ad minores,* 5,

[1] De qua cf. Petra, *In Const. I Pauli II,* n. 74 sq., Venetiis, 1741, t. v, p. 190.

[2] *Bull. Rom.,* t. vi, part. 5, p. 245; illud etiam habes apud Honorante, p. vi.

sess. XXIII, De ref.) publice factas tum in basilica Lateranensi, tum in parochiali ecclesia hujus parochiæ, in qua quisque commoratur. — Ita Alexander VII, *ibid.*

c. Ut, si agatur de ordinibus majoribus, vacent, ante ordinationem, exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum. — Ita etiam Alexander VII, *ibid.;* non loquitur de sacerdotibus Missionis, sed tantum de *sacerdotibus in id deputatis;* verum ad hoc postea deputati sunt, et adhuc hodie deputati manent, sacerdotes Missionis[1].

d. Ut ordinentur ab ipsomet cardinali vicario, vel, si ab alio ordinentur, *habeant licentiam cardinalis vicarii.* — Constat expresse ex textu mox referendo constitutionis *Apostolicæ Sedis,* IV idus oct. 1869.

2° Ut clerici sæculares exteri, Romæ commorantes, possint ordinari *extra Urbem*, non sufficiunt litteræ dimissoriales episcopi proprii, sed duo præterea requiruntur : *a.* Ut ab examinatoribus in Urbe deputatis super scientia requisita examinentur, ut supra dictum est; — *b.* Ut habeant in scriptis licentiam cardinalis vicarii. — Constat utrumque tum edicto cardinalis vicarii, de mandato Clementis VIII, publicato 24 novembris 1603[2], quod fuit renovatum de mandato Alexandri VII, 15 maii 1664, et Benedicti XIV, 20 martii 1743[3]; — tum textu mox referendo const. *Apostolicæ Sedis.*

3° Pœnæ contra delinquentes feriunt tum ordinatos, tum ordinantes, prout statutum est in Pii IX bulla *Apostolicæ Sedis*, de suspensionibus, n. 7 : « Clerici sæculares exteri

[1] Adsunt in favorem plurium collegiorum, varia privilegia, vi quorum fieri possunt exercitia spiritualia in alia domo; standum igitur est his privilegiis.

[2] Vide tenorem edicti apud Riganti, *In regulam 24 Cancellariæ*, § 3, n. 179, t. II, p. 364, vel apud *Acta S. Sedis*, t. II, p. 586, not. 1.

[3] Vide tenorem hujus ultimi edicti apud Honorante, p. XIV.

ultra quatuor menses in urbe Roma commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario, *absque licentia cardinalis Urbis vicarii*, — vel *absque prævio examine coram eodem peracto*, — vel etiam *a proprio Ordinario postcaquam in prædicto examine rejecti fuerint*, ... suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt; episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum. » Igitur suspensio lata est, sive ordinatio fiat in Urbe, sive extra Urbem, sed tantum in triplici casu in bulla contento.

4° Clerici sæculares exteri, Romæ commorantes, possunt, ut patet, recipere ordines a proprio suo episcopo, sive in Urbe, sive extra Urbem, modo episcopus satisfaciat legi Tridentinæ (cap. *Nulli*, 5, sess. VI, De ref.) de non exercendis pontificalibus in diœcesi aliena, sine licentia Ordinarii loci. — Tunc autem præfatis legibus non tenentur; non enim tenentur bulla Alexandri VII, quæ non respicit nisi eos qui ordinantur in Urbe « cum litteris dimissorialibus proprii Ordinarii », ut expresse cavetur in hac bulla; — nec tenentur edicto an. 1603, ut responsum fuit in speciali Congregatione, an. 1668, ad 2 : « Non afficiuntur edicto, si ab *ipsomet Ordinario* recipiant ordines[1]. » Et per hunc episcopum seu Ordinarium *proprium*, intelligitur episcopus vel originis, vel domicilii, vel beneficii, vel triennalis familiaritatis, ut per se patet, et ut responsum est in eadem speciali Congregatione, ad 4. — Unde præfati clerici non tenentur ad examen coram cardinali vicario[2], nec ad hujus licentiam habendam, etc. — Attamen, si de facto *rejecti fuerint in hoc examine*, prohibentur recipere ordines etiam a proprio episcopo, sub pœna suspensionis,

[1] Videas has resolutiones apud Honorante, c. xvi, p. 165, vel *Acta S. Sedis*, t. ii, p. 586-587.

[2] Quod etiam responsum est in dicta speciali Congregatione, ad 2.

uti videmus in præfato textu constitutionis *Apostolicæ Sedis*[1].

3° Clerici qui tenentur prædictis legibus, sunt « *clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes* », ut fert ipse textus bullæ *Apostolicæ Sedis*. — Unde : 1. Non tenentur his legibus *laici*, in ordine ad recipiendam tonsuram ; revera tum bulla Alexandri, tum edictum Clementis loquuntur tantum de ordinibus minoribus et majoribus ; — 2. Non tenentur his legibus clerici *regulares*, qui tantum suis specialibus juribus reguntur[2] ; — 3. Non tenentur his legibus clerici sæculares *per quatuor primos menses*, quibus Romæ commorantur ; quod jam decisum fuerat in supradicta speciali Congregatione, ad 1, et nunc, per bullam *Apostolicæ Sedis*, transiit in jus commune ; unde obligatio præfatarum legum non incipit nisi a primo die post quatuor primos menses ; — 4. Cum agatur de clericis *in Urbe commorantibus*, obligatio præfatarum legum cessat pro ipsis, non quidem quando *ad tempus* discedunt ab Urbe (v. g., tempore feriarum), sed quando *relinquunt Urbem, non amplius reversuri ;* tunc ergo recidunt in jus commune, ideoque possunt liberrime a propriis episcopis ordinari, licet rejecti fuerint in examine coram examinatoribus urbanis[3].

45. — Potestas cardinalis vicarii quoad subditos suburbicarios. — Hi sunt qui pertinent ad unum e sex episcopatibus suburbicariis ; porro, a longissimo tempore, cardinalis vicarius habet, super illos, quædam jura non parvi momenti[4], specialiter quoad ordinationem, ut sequitur :

[1] Quod jam responsum erat in dicta speciali Congregatione, ad 3.

[2] De his cf. Honorante, c. XII, p. 113 sq.

[3] Cf. Honorante, c. XVI, p. 167 ; — Pennacchi, *In const. Apostolicæ Sedis*, t. II, p. 424-425.

[4] Quæ enumerat Petra *In const. I Pauli II*, n. 74 sq., t. V, p. 190 sq.

1° Ut clerici suburbicarii possint ordinari (exceptis tribus casibus infra referendis), duo requiruntur :

a. Ut muniantur « litteris dimissoriis sui Ordinarii *ad memoratum vicarium* (nempe cardinalem vicarium), *et non ad alium antistitem directis*, ... ibique (nempe Romæ), et non alibi ordinentur, servata in omnibus forma superius præscripta ». Ita expresse Alexander VII in cit. brevi *Apostolica sollicitudo*, 7 aug. 1662, § 2. — Unde ordinari debent ab ipso cardinali vicario, vel ab alio episcopo, sed de ejus licentia.

b. Ut ordinentur « *servata in omnibus forma superius præscripta* »; sunt etiam verba Alexandri in dicto brevi. Forma autem hæc, ea est quæ præscripta fuit pro clericis sæcularibus exteris, Romæ commorantibus, ibique ordinari cupientibus (supra, n. **44**); unde pro suburbicariis requiruntur etiam examen coram examinatoribus urbanis, testimonia idoneitatis, et exercitia spiritualia per decem dies in domo sacerdotum Missionis. — Notandum est, ut clerici suburbicarii his legibus teneantur, nullam eorum requiri Romæ commorationem, sed sufficere ut sint suburbicarii.

2° Pœnæ contra delinquentes feriunt tam ordinatos quam ordinantes, prout statutum est in cit. Pii IX bulla *Apostolicæ Sedis*, de suspensionibus, n. 7 : « ... Nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, *si ordinentur extra suam diœcesim dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad card. Urbis vicarium, vel non præmissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum*, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt, episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum. » Unde suspensio non respicit nisi duplex delictum in hoc textu enuntiatum.

3° Attamen clerici suburbicarii possunt ordinari : 1. Ab episcopo *suffraganeo* (id est, *auxiliari*) ejus diœcesis, ad quam pertinent; constat ex ipso Alexandri VII brevi, quod hunc casum præcise excipit[1]; — 2. A fortiori, ab ipso suo Eminentissimo *Ordinario,* sed tantum in sua diœcesi; — 3. Ab episcopo extraneo, *quem Ordinarius in suam suburbicariam diœcesim vocaverit* ut peragat ordinationem; ita textum Alexandri interpretata sunt tribunalia Romana et usus constans[2]. — Unde, in his tribus casibus, hi clerici possunt ordinari ab alio quam a card. Urbis vicario, sed *in sua tantum diœcesi,* ideoque supradicta suspensio ex bulla *Apostolicæ Sedis,* non respicit nisi casum quo hi clerici ordinati fuerint *extra suam diœcesim.* Sive autem fiat ordinatio Romæ, sive in diœcesi suburbicaria, semper requiruntur exercitia spiritualia per decem dies in domo Missionis peracta, ut patet tum brevi Alexandri VII, tum cit. textu const. *Apostolicæ Sedis.*

4° Ipsi cardinales suburbicarii non possunt ordinare etiam *suos subditos in capella palatii, in quo Romæ resident.* — Id enim prohibitum est tum brevi Alexandri VII, quod, extra casum ordinationis in diœcesi suburbicaria peractæ, requirit omnino *dimissoriales litteras, ad card. Urbis vicarium directas;* — tum lege Tridentina (cap. *Nulli,* 5, sess. VI, De ref.), quæ prohibet ne quis episcopus exerceat pontificalia in aliena diœcesi, sine expressa licentia Ordinarii loci. — Quæ duo argumenta longe lateque evolvit Benedictus XIV, in cit. epist. *Ad audientiam,* 15 feb. 1753; unde concludit nullo modo posse cardinales episcopos suis subditis conferre quoscumque ordines in propria urbana

[1] Duo cardinales episcopi, nempe Ostiensis-Veliternensis, et Sabinensis, *tenentur* habere suffraganeum, seu coadjutorem; ceteri *possunt* habere. — Cf. Honorante, c. vi, not. 1, p. 72.

[2] Ita Benedictus XIV, epist. *Ad audientiam,* 15 feb. 1753, § 12, *Bull. Bened.,* t. iv, n. 11; — Honorante, *loc. cit.,* p. 72.

capella, *sine licentia card. vicarii.* — Excipit, *ibid.*, § 22, primam tonsuram, quia nempe, ut ait Benedictus XIV, breve Alexandri non loquitur nisi de *ordinibus;* verum id intelligendum est, modo prima tonsura conferatur *sine pontificalibus* (alioquin obstaret lex Tridentina in cit. cap. *Nulli*), et juxta opinionem eorum qui dicunt episcopum non exercere pontificalia, si conferat tonsuram sine pontificalibus[1].

III. De privilegiis

46. — Privilegium cardinalis archipresbyteri basilicæ Vaticanæ. — Cum privilegia sint res *facti*, potius quam *juris*, unum tantum, exempli causa, memorabimus privilegium, quod deroget bullæ *Speculatores*. Cardinalis archipresbyter basilicæ Vaticanæ, si sit insignitus charactere episcopali, jus habet conferendi omnes ordines, usque ad presbyteratum inclusive, *omnibus suæ basilicæ addictis*, nempe canonicis, beneficiatis, clericis et ministris basilicæ actu inservientibus, sine cujusquam episcopi, ne quidem cardinalis vicarii, licentia, dimissoriis aut examine. Si non sit charactere episcopali insignitus, jus habet advocandi quemlibet episcopum, ut prædictos ordines conferat. — Hoc privilegium, juxta antiqua privilegia, concessit præfato cardinali archipresbytero Benedictus XIV, bulla *Ad honorandam*, VI kal. apr. 1752, § 6[2]; illudque memorat in præfata epist. *Ad audientiam*, § 16.

§ 7. De usu Galliarum quoad episcopum originis.

47. — Facta præcipua.

1° In comitiis generalibus cleri, an. 1635, initum est hoc consilium : « Nos seigneurs les archevêques et évêques...

[1] Non sic Honorante, *loc. cit.*, p. 72, qui male allegat Benedictum XIV.
[2] *Bull. Bened.*, t. III, n. 59.

seront *exhortés* à l'observation des articles qui s'ensuivent, conformément aux conciles et canons : ... 3. *De ne donner les ordres à ceux qui ne sont pas de leurs diocèses,* sans lettres de dimissoires en due forme *de l'évêque du lieu d'où seront ceux qui désireront être promus aux ordres*[1]. » Et revera epistola encyclica missa est ad omnes regni episcopos, prædicta de verbo ad verbum referens[2].

2° In comitiis generalibus cleri, an. 1655, hæc animadversa sunt ab episcopo Catalaunensi : « Qu'encore que, dans le Sexte, le pape Boniface semble marquer trois propres évêques, de l'origine, du domicile et du bénéfice, cet usage néanmoins avait été peu reçu en France[3]; et, de plus, qu'il y avait beaucoup de difficulté à reconnaître quel est le séjour suffisant pour établir domicile, et d'inconvénients à considérer comme propre évêque celui du bénéfice, parce qu'on n'est plus comme autrefois attaché au service d'une église, on peut le quitter sans la participation de son prélat, et en posséder même plusieurs simples en plusieurs diocèses : ce qui par conséquent apporterait une grande confusion, et donnerait lieu à la désobéissance ouverte des clercs. Qu'il semblerait nécessaire de remédier à ces abus... Et toutes ces considérations ayant paru fort importantes, il a été résolu que *messeigneurs les évêques seront exhortés de ne donner les ordres qu'à ceux qui sont de leurs diocèses,* conformément au Droit[4]. » Idcirco missa est ad

[1] *Collection des procès-verbaux des assemblées générales du clergé de France,* Paris, 1768, t. II, p. 779.

[2] Hæc epistola relata est opere cit., t. IV, ad calcem, *Pièces justificatives,* n. 6, p. 158.

[3] Quod tamen falsum esse demonstrant verba inferius relata ex opere De Héricourt; in Gallia, sicut alibi, plene recepta fuerat decretalis Bonifacii, simul et Tridentini concilii decretum de episcopo familiaritatis, ut constat multis conciliis provincialibus quæ memorat collator Andegavensis; *Conférences d'Angers, Sur le sacrement de l'ordre,* 2e conf., 3e quest., Paris, 1830, t. XVI, p. 78.

[4] *Collection des procès-verbaux,* etc., t. IV, p. 295.

omnes Galliarum episcopos epistola encyclica, quæ in extenso referebat encyclicam an. 1636[1].

48. — Indoles hujus usus.

1° Ut patet ipsis relatis verbis, non agebatur de lege nova aut præcepto, sed tantum de *consilio* aut *hortatione*. Revera, ut ait collator Andegavensis, comitia generalia cleri potestate non pollebant jus mutandi aut novam legem condendi; et addit : « Dans les assemblées du clergé, on n'a pas arrêté que les évêques ne pourraient conférer les ordres qu'à ceux qui seraient nés dans leurs diocèses: on y est seulement convenu d'écrire une lettre circulaire à tous les évêques de France, pour les exhorter à en user de la sorte, ce qui paraît par la délibération des assemblées de 1635, de 1655, de 1660 et de 1665[2]. »

2° Eamdem interpretationem dabat doctissimus Hallier, qui suum opus *De sacris electionibus et ordinationibus* edebat an. 1636, circa tempus comitiorum primo loco supra relatorum; ait enim : « Ob hanc itaque difficultatem probandi domicilii, itemque ob ejus incertitudinem, ... *consulto in Gallia ab ordinatione clericorum, qui alibi nati sint, episcopi sibi temperare solent, non quod, ut opinor, id sibi interdictum putent, sed quod originis probatio facilior sit et expeditior*[3]. »

3° Item de Héricourt, vir tamen usibus gallicanis addictissimus. Postquam enim jus commune exposuit de quatuor episcopis propriis, addit : « Mais les évêques de France sont convenus, dans les assemblées du clergé, qu'ils n'ordonneraient sans démissoire que les clercs originaires de

[1] *Collection des procès-verbaux*, t. IV, *Pièces justificatives*, n. 6, p. 157-158.

[2] *Conférences d'Angers, loc. cit.*, p. 79.

[3] *De sacris electionibus*, etc., part. II, sect. V, c. III, art. 4, n. 10, ed. Migne, p. 998.

leurs diocèses, et *ils observent cette règle avec assez d'exactitude, quoiqu'il n'y ait point sur ce sujet de loi qui ait révoqué l'ancien usage.* Ils croient que l'évêque de l'origine est plus en état que les autres d'être instruit de la naissance et des qualités du clerc qui se présente pour recevoir les ordres[1]. » Scribebat an. 1721.

4° Eamdem interpretationem legere potes apud multos alios, v. g., Van Espen, qui refert verba comitiorum generalium an. 1655[2]; — Durand de Maillane, qui pariter refert verba comitiorum an. 1655[3]; — Gibert[4]; — Bouix[5]; — Craisson[6]; — Icard[7], etc. — Unde non satis accurate loquitur Auctor operis *Abrégé des Mémoires du clergé*, dum dicit : « C'est une question sur laquelle *la discipline de France et celle des autres églises ne sont pas conformes, quel est le propre évêque pour l'ordination*, et combien on peut en distinguer... Dans l'usage présent *on ne peut guère reconnaître pour propre évêque que celui de la naissance*, y ayant beaucoup de difficulté à déterminer le séjour suffisant pour établir domicile, etc.[8]. »

5° Unde, juxta hæc documenta, episcopi Galliarum morem gerebant comitiis generalibus, eorumque *hortationibus* obtemperabant, licet nulla lege se adstrictos probe nossent, et proinde aliquando, attentis adjunctis, proprio jure ute-

[1] De Héricourt, *Loix ecclésiastiques*, part. III, c. IV, art. 1, n. 30, Paris, 1748, t. II, p. 38.

[2] *Jus eccl. univ.*, part. II, tit. IX, c. II, n. 27-28, Coloniæ Agrippinæ, 1702, p. 385.

[3] *Dictionnaire de droit canonique*, v° *Ordre sacrement*, Lyon, 1770, t. III, p. 515.

[4] Gibert, *Corpus juris canonici*, tit. XX, sect. XXIV, Lugduni, 1737, t. II, p. 277-278.

[5] *De episcopo*, Parisiis, 1859, t. II, p. 145-149.

[6] *Manuale totius juris can.*, n. 1966-1967, Parisiis, 1865, t. II, p. 236.

[7] *Prælectiones juris can.*, n. 165, Parisiis, 1893, t. I, p. 282.

[8] *Abrégé du recueil des... Mémoires du clergé*, v° *Ordination*, § 4, n. 4, Paris, 1771, col. 1083.

rentur, ordinando clericos sibi alia ratione subditos, quam ratione originis; quod deducitur ex relatis verbis de Héricourt : « Ils observent cette règle *avec assez d'exactitude.* »

49. — Usus hodiernus. — Hic usus quem episcopi Galliarum sæculis præteritis observabant, ad nostrum usque ævum permansit; unde etiam hodie episcopi non solent ordinare nisi *suos ratione originis subditos,* et si quando subditos *ratione domicilii* ordinaturi sunt, exigere solent ut impetrentur ab episcopo originis litteræ *excorporationis.* Verumtamen hunc usum non habent ut *præceptivum,* et ideo nonnunquam proprio jure utuntur. — Imo concilium provinciæ Rhemensis, Suessione habitum an. 1849, tit. x, c. 1, plene restituit jus commune, juxta bullam *Speculatores*[1]. — Notandum est, in usu Galliarum, sicut in jure communi, non intelligi episcopum *originis,* episcopum illius diœcesis, in qua quis *fortuito* natus est, sed illius diœcesis, in qua quis *normaliter* natus est, juxta supra exposita (n. **29**). Sic rem explicabant Hallier[2], collator Andegavensis[3], etc.

[1] *Acta et decreta concilii provinciæ Rhemensis,* etc., Lutetiæ Parisiorum, 1850, p. 84.

[2] *Loc. cit.*

[3] *Loc. cit.,* p. 80-81.

CAPUT III

DE EXTRAORDINARIO ORDINATIONIS MINISTRO

N. B. — Ut supra dictum est, n. **27,** presbyter est minister *extraordinarius* ordinationis; quod tamen non est verum de *omnibus* presbyteris, sed de *quibusdam*, de quibus dicendum est.

§ 1. De abbatibus regularibus.

50. — Potestas abbatum quoad ordinationem. — *Abbates regulares* (de quibus solis nunc agitur) *potestate pollent, jure communi, conferendi subditis suis tonsuram et quatuor ordines minores.* — Constat :

1° *Concilio Nicæno II* (an. 787), can. 14, in quo legitur : « *Lectoris* autem *manuum impositionem* licet, in proprio monasterio tantum, unicuique *monasterii præfecto* (ἡγουμένῳ) facere, si ipsi præfecto scilicet ab episcopo manus est imposita ad præfecturam hegumeni, dum sit et ipse presbyter[1]. » Hoc est primum documentum authenticum[2],

[1] Mansi, *Concilia*, t. XIII, col. 753. Videas textum græcum apud Balsamonem, *Canones apostolorum et conciliorum*, in hunc canonem; Migne, *P. G.*, t. CXXXVII, col. 960, ubi etiam legere est ejusdem textus interpretationem Balsamonis, Zonaræ et Aristeni.

[2] De hujus abbatum potestatis origine historica, cf. etiam D. Chamard, in *Revue des questions historiques*, juill. 1885, p. 71 sq.

in quo appareat concessa abbatibus aliqua potestas circa ordinationem; non agitur in textu nisi de *lectoratu,* forte quia tunc hic erat, in Ecclesia Orientali, solus ordo minor infra subdiaconatum; sed, in Ecclesia Occidentali, concessio intellecta est, vi consuetudinis, non tantum de tonsura, sed etiam de aliis ordinibus minoribus infra subdiaconatum. — Canon Nicænus insertus est Decreto Gratiani, can. *Quoniam,* 1, dist. LXIX.

2° Cap. *Cum contingat,* 11, De ætate et qualitate, etc., Innocentius III ait : « Cum in septima synodo sit statutum, ut lectores per manus impositionem licentia sit unicuique abbati, in proprio monasterio solummodo, faciendi, dummodo ipsis ab episcopo, secundum morem præficiendorum abbatum, manus impositio facta noscatur, et constet eum existere sacerdotem, *per primam tonsuram, juxta formam Ecclesiæ datam, a talibus clericalis ordo confertur.* » Ubi vides Innocentium authentice interpretari Nicænum canonem de prima tonsura. — Idem clarissime deducitur ex cap. *Abbates,* 3, De privilegiis, in VI, infra relato (n. **52**).

3° *Concilio Tridentino,* cap. *Abbatibus,* 10, sess. XXIII, De ref. : « Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre. » In hoc textu clarissime supponitur jus abbatum minores omnes ordines conferendi.

Dixi : *Jure communi...;* simplex presbyter non potest valide conferre ullum ordinem sine privilegio Romani pontificis; unde nec abbates conferunt ordines sine privilegio pontificio; cum autem hoc privilegium abbatum *clausum* sit *in Corpore Juris,* in relatis nempe textibus, recte dici

potest eos, *jure communi*, potestate pollere conferendi ordines.

51. — Requisita ut abbates habeant hanc potestatem. — Duo requiruntur ut abbas prædicta potestate polleat, nempe, *ut sit presbyter*, et *ut benedictionem abbatialem receperit ab episcopo.*

1° *Prius requisitum*, nempe ut sit *presbyter*. Clare constat ex relatis verbis tum canonis Nicæni, « dum sit et ipse *presbyter;* » tum cap. *Cum contingat*, « dummodo... constet eum existere *sacerdotem.* » De facto, nunquam Romani pontifices aut concilia œcumenica concessere diacono potestatem conferendi minores ordines; quanquam, si non sint sacramenta, ut probabilius existimo, non video quare non possit R. Pontifex diacono dictam potestatem conferre [1].

2° *Alterum requisitum*, nempe ut abbas *benedictionem abbatialem receperit ab episcopo.* — De quo hæc dicenda :

A. *Necessitas benedictionis abbatialis.* — 1. Dubium est num hæc necessitas demonstretur ex ipso textu græco canonis Nicæni, qui concedit abbati facultatem conferendi lectoratum, εἰ αὐτῷ τῷ ἡγουμένῳ ἐπετέθη χειροθεσία παρὰ ἐπισκόπου πρὸς προεδρίαν ἡγουμένου δηλονότι ὄντος αὐτοῦ πρεσβυτέρου; qui textus revera quoad hoc obscurus est [2]. Unde contendit Van Espen benedictionem (χειροθεσία) a canone requisitam non esse distinctam a benedictione seu ordinatione *sacerdotali* [3]; — 2. Quidquid id est, necessitas bene-

[1] Qui putant minores ordines esse sacramenta, negant diacono committi posse dictam facultatem, v. g., Hallier, *De sacris electionibus*, etc., part. II, sect. v, c. I, art. 3, n. 5, ed. Migne, col. 919.

[2] Sat etiam obscuri sunt Balsamon, Zonaras et Aristenus in interpretatione hujus canonis; Migne, *P. G.*, t. CXXXVII, col. 959-966.

[3] Van Espen, *Jus eccl. univ.*, part. I, tit. XXXI, c. VI, n. 11 sq., Coloniæ Agrippinæ, 1702, p. 253; cf. ejus *Commentarium in canones Juris...*, in canonem prædictum; *Scripta omnia*, Lovanii, 1753, t. III, p. 438-439.

dictionis specialis abbatialis demonstratur ex cit. cap. *Cum contingat:* « dummodo ipsis ab episcopo, *secundum morem præficiendorum abbatum, manus impositio facta noscatur;* » licet enim forsan hæc latina translatio textus græci, ex Gratiano desumpta[1], non sit accurata, constituit tamen jus commune; demonstratur pariter cap. *Statuimus*, 1, De supplenda negligentia prælatorum, in quo, ut statim dicetur, apponitur legi exceptio, quæ proinde firmat legem; — 3. Confirmatur, quatenus opus sit, *jurisprudentia S. Congr. Concilii*, quæ pluries in eodem sensu respondit, v. g., in *Panormitana*, 16 martii 1647, in qua ad hoc quæsitum : « 1. An abbas regularis *non benedictus* possit suis subditis regularibus ordines minores conferre, » respondit : « Ad primum, *abbatem non benedictum, si habeat privilegium speciale conferendi ordines minores, posse suis subditis regularibus conferre; secus, si id ei non fuerit ex privilegio apostolico concessum*[2]. » Unde non audiendi sunt quidam tenentes abbatem *etiam non benedictum* posse conferre ordines, v. g., Emmanuel Rodericus[3], Ferraris[4]. — Abbas autem hanc benedictionem suscipere debet *infra annum a die electionis computandum*, ut præscripsit Benedictus XIII in bulla *Commissi*, pridie nonas maii 1725[5].

B. *Casus excepti*, in quibus scilicet non requiratur benedictio :

1. Per totum hunc annum, qui a Benedicto XIII conceditur abbatibus ad recipiendam benedictionem, abbas potest, etiam ante receptam benedictionem, omnia munera

[1] Cit. can. *Quoniam*, 1, dist. LXIX.

[2] Apud Petra, *In const. IX Pii II*, n. 34, Venetiis, 1741, t. v, p. 165.

[3] Egregie confutatus ab Hallier, *loc. cit.*, art. 2, n. 14 sq., p. 909.

[4] *Bibliotheca*, v° *Ordo*, art. 3, n. 2.

[5] *Bull. Rom.*, t. xii, p. cxxix. Impressa est etiam hæc bulla ad calcem concilii romani, an. 1725, in *Appendice*, n. 4, Bruxellis, 1726, *Appendix*, p. 148.

abbatialia implere, et proinde etiam collationem ordinum. Constat eadem Benedicti XIII bulla *Commissi :* « Volumus tamen et expresse declaramus, quod ipsimet abbates electi, *durante præfato termino* (unius anni) *ac interim omnia munia abbatialia libere ac licite exercere possint et valeant.* »

2. Si abbas *ter petierit inutiliter benedictionem ab episcopo,* potest, etiam non benedictus, omnia officia abbatis, et proinde collationem ordinum, exercere. — Constat cap. *Statuimus*, 1, De supplenda negligentia prælatorum : « Statuimus præterea, ut, si episcopus *tertio cum humilitate ac devotione, sicut convenit, requisitus*, substitutos abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem abbatibus liceat *proprios monachos benedicere, et alia quæ ad officium hujusmodi pertinent, exercere*, donec ipsi episcopi suam duritiem recogitent, et abbates benedicere non recusent. » Hoc autem caput confirmavit Benedictus XIII in præfata bulla *Commissi.*

3. Vi *specialis privilegii*, potest etiam abbas non benedictus conferre ordines; cum enim benedictio non sit essentialiter necessaria ut abbas conferat ordines, ut patet ex duobus relatis casibus, potest R. Pontifex privilegium hujusmodi concedere. De facto, pluribus ordinibus regularibus concessere Romani pontifices, *ut eorum abbates semel electi haberentur ut benedicti*[1]; quæ privilegia « inconcusse observari », præcipit Benedictus XIII in dicta bulla.

52. — Subditi hujus potestatis. — *Abbas non potest ordinare nisi suos subditos regulares.* — Ante concilium Trid., poterat abbas ordinare etiam suos subditos *sæcu-*

[1] Plura exempla recenset Petra, *loc. cit.*, n. 11-15, p. 162-163; cf. etiam Benedictum XIV, in *Adnotationibus* quas scripsit ut secretarius S. Congr. Conc., an. 1724; in *Thesauro S. C. C.*, t. III, p. 23-26.

lares, ut constat cap. *Abbates*, 3, De privilegiis, in VI : « Nec eis (abbatibus) licitum sit aliis quam monasteriorum suorum conversis, et qui ad illa convolaverint, et *in quos ecclesiasticam et quasi episcopalem jurisdictionem obtinent*, primam clericalem conferre tonsuram. » Sed concilium Trid., cit. cap. *Abbatibus*, 10, sess. XXIII, De ref., restrinxit eorum potestatem ad *eorum subditos regulares*, his verbis clarissimis : « Abbatibus... non liceat in posterum..., cuiquam qui *regularis subditus sibi non sit*, tonsuram vel minores ordines conferre. » Unde :

1° Non potest amplius abbas ordinare subditos suos *sæculares*.

2° Non potest ordinare suos *novitios*, quia novitius non est subditus *regularis;* quod confirmatur ex resolutione S. Congr. Conc., in *Mutinen.*, 14 maii 1689, in qua respondit *oblatum* quemdam non fuisse licite ab abbate ordinatum, quia S. Congregatio « non habuit oblatum illum pro *subdito regulari, cum non professus fuerit tribus votis solemnibus, et concilium præservavit facultatem ordinandi ad subditos regulares.* »[1] Atqui pariter novitius nulla vota professus est.

3° Potest ordinare suos *professos solemniter*, ut patet ; sed etiam illos qui, ad normam hodiernæ disciplinæ, *tria vota simplicia* triennalia emiserunt ; licet enim probabilius hi non sint *regulares stricte dicti*, attamen subditi sunt quoad ordinationem tonsuræ et quatuor ordinum minorum ; nam prælatus regularis potest his professis concedere litteras dimissoriales pro his ordinibus ; unde, si prælatus sit abbas, potest hos ordines eis per se ipsum conferre. Ita etiam Pennacchi, Piat, etc.[2].

[1] Apud Petra, *loc. cit.*, n. 40, p. 167.

[2] Pennacchi, *In constitutionem Apostolicæ Sedis*, Romæ, 1883, t. II, p. 465 ; — Piat, *Prælectiones juris regularis*, Tornaci, 1898, t. II, p. 151. — Contra Gasparri, n. 949, Parisiis, 1893, t. II, p. 180.

4° Non potest ordinare subditos *alienos*, v. g., subditos regulares alterius prælati, vel subditos sæculares alicujus episcopi, *etiam cum litteris dimissorialibus* horum Ordinariorum. — Hoc quidem mirum videri potest; sicut enim episcopus potest ordinare subditos alterius episcopi, cum hujus litteris dimissorialibus, sic etiam videtur dicendum, abbatem posse conferre minores ordines subdito alterius Ordinarii, cum hujus litteris dimissorialibus; et revera non semel ipsa S. Congr. Conc. id licitum esse declaravit, v. g., in *Bononien.*, 2 julii 1572, et in *Parmen.*, mense aug. 1586[1]. — Attamen standum est omnino assertioni positæ; nam : 1. S. Congregatio Conc. recentius, re maturius perspecta, in *Catanien.*, 23 nov. 1641, decrevit abbatem nullo modo posse ordinare subditos alienos, etiam cum litteris dimissorialibus Ordinariorum, et idcirco prohibuit ne hujusmodi dimissoriales litteræ concederentur ab Ordinariis, vel reciperentur ab abbatibus; quæ resolutio vim legis accepit ex approbatione Urbani VIII, et promulgatione jussu ejusdem Urbani peracta, an. 1642[2]; — 2. Mox secutum est S. Congr. Rituum *Decretum circa usum pontificalium*, 27 sept. 1659, vim pariter legis habens ex approbatione Alexandri VII, et promulgatione ejusdem jussu facta, in quo agitur de abbatibus, aliisque prælatis inferioribus; porro, n. 19, hæc leguntur : « Reliqua pontificalia extra loca ipsis abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ ecclesiæ, aut *in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum*, exercere non valeant : puta, campanarum benedictionem, calicum, et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, *necnon minorum ordinum collationes*[3]; » in eodem sensu etiam recentissime respondit

[1] Apud Giraldi, *Expositio*, etc., part. II, sect. XCVIII, p. 959.
[2] Decisionem in extenso legas, apud Giraldi vel Petra, *loc. citatis.*
[3] *Decreta authentica S. R. C.*, n. 1131, Romæ, 1898, t. I, p. 232.

S. Congregatio Inquisitionis (infrà, n. **54**, 4°); — 3. Revera magnum discrimen est inter episcopum et abbatem; in episcopo, potestas ordinandi oritur ex consecratione episcopali; in abbate, non oritur ex benedictione, sine qua, ut dictum est, sæpe possunt abbates ordinare, bene vero ex *privilegio pontificio;* porro privilegium recipit interpretationem strictam, præsertim quando lædit jus alterius (ut privilegium, de quo loquimur, quod lædit jura episcopi); cum ergo, juxta verba Tridentina, abbas non possit ordinare nisi *subditos regulares suos*, sequitur eum non posse ordinare, quocumque modo, subditos alienos; nec, ut patet, licentia episcopi potest supplere privilegium pontificium. Quæ ratio tam urgens est, ut, etiam ante decisionem an. 1641, moverit gravissimos doctores[1] ad amplectendam hanc sententiam.

53. — **Quæritur : 1°** *Num abbates Nullius comprehensi intelligantur in præfato decreto Tridentino.*

1° Agitur de concilii Trid. cit. cap. *Abbatibus,* 10, sess. XXIII, De ref., quod restringit potestatem ordinationis abbatum ad *subditos suos regulares.* Porro videtur primo aspectu abbates *vere Nullius* eo decreto non esse comprehensos, et proinde eos posse ordinare subditos suos *etiam sæculares.* Nam sic ait concilium : « Abbatibus, et aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, *intra fines alicujus diœcesis consistentibus*, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, etc. » Non agitur ergo de abbatibus vere Nullius; hi enim *non consistunt intra fines alicujus diœcesis*, sed sunt extra quamlibet diœcesim; habent enim *territorium separatum*, ut dicitur. Unde non desunt qui dicant decreto Tridentino

[1] V. g., Hallier, *De sacris electionibus,* etc., part. II, sect. v, c. 1, art. 2, n. 18, ed. Migne, p. 911-912.

non affici abbates *Nullius*, v. g., Barbosa, imo et Rota Romana, ab ipso allegata[1].

2° Attamen altera prævaluit sententia, quæ nempe tenet etiam abbates *Nullius* comprehensos esse relato decreto, ita ut nec ipsi possint ordinare suos subditos *sæculares*. — Nam : 1. Concilium Trid., in textu relato, post verba, *intra fines*, etc., addit : « Etiamsi *nullius diœcesis*, vel exempti esse dicantur ; » porro hæc verba addunt aliquid verbis prioribus, et complectuntur abbates *Nullius ;* — 2. Unde perpetua fuit in hoc sensu jurisprudentia S. Congr. Conc., ita ut auctores referant ad minimum quatuordecim hujus Congregationis resolutiones, quibus constanter tenet non posse prælatos *Nullius*, nec sæculares, nec regulares, concedere dimissorias subditis suis *sæcularibus*, vel, si sint abbates, eos ordinare (ad minores ordines[2]). Unde standum est huic sententiæ. Et ita gravissimi doctores[3].

3° Unde, posita hac sententia, tum ordinatio sæcularium, tum concessio litterarum dimissorialium his sæcularibus, pertinent ad episcopum ; nempe, ad episcopum *diœcesanum*, si non agatur de prælato *Nullius ;* ad episcopum vero viciniorem, si agatur de prælato *Nullius*.

54. — Quæritur : 2° *Num ordinatio, ab abbate illegitime collata, sit etiam invalida.*

Resp. : Ut clarior fiat solutio quæsiti, distinguendum est inter varios modos, quibus ordinatio, ab abbate peracta, sit illegitima :

[1] Barbosa, *De officio et potestate episcopi*, alleg. 7, n. 8, t. I, p. 219.

[2] Ita etiam recentissime censuit eadem Congregatio, in una *Nullius S. Luciæ*, die 28 martii 1903 ; *Acta S. Sedis*, t. XXXV, p. 598-611, vel *Canoniste*, t. XXVI, p. 302. — Hodierno tamen abbati S. Luciæ gratiose concessum est personale privilegium ordinandi.

[3] Fagnanus, in cap. *Significasti*, 8, *De officio archidiaconi*, n. 14-34 ; — Petra, *In const. IV Callisti III*, sect. II, p. 66-72, Venetiis, 1741, t. V, p. 62 ; — Benedictus XIV, *De synodo*, lib. II, c. XI, n. 14 ; — Giraldi, *loc. cit.* ; — Honorante, c. XII, not. 16, p. 135-136.

1° Si abbas *nondum sacerdos,* sed tantum, v. g., diaconus, præsûmpserit ordines minores conferre, ordinatio est *irrita.* — Ratio est quia, ex textibus concilii Nicæni et Romanorum Pontificum supra (n. **50**) relatis, ut abbas possit ordines conferre, requiritur omnino *ut sit presbyter.* Ergo, si non sit presbyter, ei non prodest privilegium seu concessio concilii et Pontificum Romanorum, et ideo prorsus irrita est ordinatio ab ipso forte peracta.

2° Si abbas sit quidem presbyter, sed non *benedictus ab episcopo,* pariter irrita est collatio tonsuræ aut ordinum ab ipso peracta (nisi tamen inciderit unus ex *casibus exceptis* supra, n. **52,** 2°, descriptis). — Ratio eadem est ac supra; tunc enim agit sine ullo privilegio, et proinde tanquam simplex presbyter, qui proculdubio, si attentaret ordines minores conferre, nihil prorsus ageret. Confirmatur constanti S. Congr. Concilii jurisprudentia, quæ sæpe ea de re consulta, perpetuo in hoc sensu respondit, ut statim dicetur. — Notandum est abbatem *non presbyterum* benedici non posse; ritus enim hujus benedictionis supponunt omnino abbatem esse presbyterum.

3° Si abbas, quantumvis benedictus, *dimittat abbatiam,* pariter irrita est ordinatio ab eo facta post dimissam abbatiam. — Ratio est quia, ut patet ex relatis textibus conc. Nicæni et Romanorum Pontificum, privilegium conceditur *præfecto monasterii,* seu *abbati;* porro qui dimisit munus, non amplius est abbas. Confirmatur jurisprudentia S. Congr. Concilii, quæ non semel in hoc sensu respondit, v. g., in causa *Congregationis Olivetanæ,* 20 sept. 1788[1]; memorat aliud ejusmodi responsum Pignatelli[2].

4° Si abbas sit tantum *titularis,* id est, sine jurisdictione, nec habens subditos, pariter irrita est ordinatio ab eo

[1] Refertur in *folio* causæ *Collensis,* 24 jan. 1795; *Thesaurus,* t. LXIV, p. 6.
[2] *Consult. can.,* t. I, cons. 369, n. 5; Coloniæ Agrippinæ, 1718, p. 345.

facta; redit enim casus abbatis qui dimisit abbatiam nec habet amplius subditos. — Confirmatur decreto S. Congregationis Inquisitionis, die 15 julii 1903, ut sequitur : « Beatissime Pater, archiepiscopus *N. N.*, ad pedes S. V. provolutus, quæ sequuntur exponit : Prior quidam Ordinis Cisterciensium, abbas titularis, tonsuram et ordines minores contulit cuidam fratri in suo monasterio degenti, obtenta in casu ab archiepiscopo oratore opportuna delegatione. Nunc vero sibi innotuit non posse abbatem titularem gaudere prædicta facultate, et proinde implorat benignam sanationem. — *Feria IV, die 15 julii 1903.* In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis, proposito supradicto supplici libello, re mature perpensa, attentis omnibus tum juris tum facti momentis, præhabitoque DD. CC. voto, Emi ac Rmi DD. cardinales... decreverunt : *Repetendam in casu ordinationem ex integro a collatione sacræ tonsuræ inclusive.* — Eadem feria ac die SS. D. N. Leo div. prov. PP. XIII, per facultates Emo Secretario factas, resolutionem Emorum patrum adprobavit. — J. Can. Mancini, *Not.*[1]. »

5° Tandem, si abbas, rite benedictus, vel aliunde privilegio fruens collationis ordinum, ordines conferat aliis quam *suis subditis regularibus*, contra Trid. decretum cap. *Abbatibus*, 10, sess. XXIII, De ref., valde controvertitur, etiam inter doctissimos, utrum hæc ordinatio sit *invalida*, et proinde iteranda, an *tantum illicita :*

A. Alii dicunt esse quidem illicitam, sed *validam.* Ita Fagnan, Tamburini, Petra, Riganti, Benedictus XIV, Giraldi (qui exscribit Benedictum XIV), quibus adhærent hodierni, Bouix, Piat, etc.[2]. — Adducunt in probationem

[1] *Acta S. Sedis*, t. xxxvi, p. 167, vel *Canoniste*, t. xxvi, an. 1903, p. 662.

[2] Fagnan, in cap. *Statuimus* (1, *De supplenda negligentia prælatorum*), n. 21-53; — Tamburini, *De jure abbatum*, t. ii, disp. II, quæst. viii, Lug-

plures resolutiones S. Congr. Concilii, quæ revera sæpe in hoc sensu respondit, v. g., in *Catanien.*, 23 nov. 1641, cujus verba sunt : « Collationem autem ordinum supradictis *non suis subditis, etiam regularibus,* factam, si... dictus abbas non benedictus non habeat privilegium apostolicum, ordines collatos remanere invalidos, et ordinatos indigere alia ordinatione ; si vero abbas non benedictus habeat dictum privilegium, et ordines minores tantummodo contulerit *suis non subditis, ordinatos non indigere alia ordinatione,* sed solummodo absolutione et rehabilitatione a sede apostolica obtinenda [1]. » Quæ resolutio norma fuit plurium aliarum decisionum in eodem sensu editarum [2]. Quam jurisprudentiam secuta est etiam S. Congr. Episcoporum et Regularium, in recenti causa S. Hippolyti, 20 aug. 1852, cujus decisio approbata fuit a Pio IX [3]. — Ratio autem hujus opinionis est illa quam late evolvit Fagnanus [4], nempe quod in privilegio conferendi ordines duo implicite continentur, videlicet *nuda et simplex potestas ordinandi* (quæ est proinde ad instar *potestatis ordinis*), et *jurisdictio limitata ad personas designatas ;* at, *ex limitatione jurisdictionis,* inferri legitime nequit *limitatio dictæ potestatis.*

B. Alii vero tenent prædictam ordinationem, *non tantum*

duni, 1650, p. 14; — Petra, *In const. IX Pii II,* n. 38-39, Venetiis, 1741, t. v, p. 166; — Riganti, *In regulam 24 Cancellariæ,* § 3, n. 315 sq., Coloniæ Allobrogum, 1751, t. II, p. 379; — Benedictus XIV, *De synodo,* lib. II, c. XI, n. 13; — Giraldi, *Expositio,* etc., part. II, sect. XCVIII, p. 960; — Bouix, *De episcopo,* Parisiis, 1859, t. II, p. 202; — Piat, *Præl. juris regularis,* Tornaci, 1898, t. II, p. 152.

[1] Apud Benedictum XIV, *loc. cit.*

[2] Referuntur apud laudatos auctores, et in *folio* causæ *Anglonen.,* 15 maii 1802, *Thesaurus,* t. LXVIII, p. 94. — Inter alias, cf. decisionem in *Brixinen.,* 28 nov. et 12 dec. 1733, ad 6, 7, 8, *Thesaurus,* t. VI, p. 199, 213.

[3] Bizzarri, *Collectanea,* Romæ, 1885, p. 127. — Alia decisio ejusdem Congr. Ep. et Reg. (Bizzarri, *ibid.,* p. 662), quæ pro hac opinione refertur, non venit ad rem.

[4] *Loc. cit.*

esse illicitam, sed etiam invalidam. Ita Suarez, Hallier, Pignatelli, Barbosa, Leurenius, quibus adhærent recentiores, Lucidi, Gasparri, etc.[1]. — Adducunt pariter in probationem plures decisiones S. Congr. Concilii, quæ quidem ab anno 1641 et tempore Benedicti XIV contrariæ sententiæ adhæsit, ut dictum est, sed *ante* et *post* pro *invaliditate* prædictarum ordinationum stetit; v. g., *ante*, in *Gravinen.*, 26 aug. 1616[2], et in alia, an. 1637, apud Petra[3]; *post*, nempe in *Collen.*, 24 jan. 1795[4], in qua firmiter decidit pro invaliditate. Quoad S. Congr. Ep. et Reg., etiam pro *invaliditate* tenuit, in causa 27 junii 1631[5]. — Valde confirmata videtur hæc sententia ex relato supra (n. **52**, 3°) decreto, vim legis habente, Alexandri VII, in quo declaratur abbates *non valere exercere* collationem ordinum minorum in *subditos alienos*, etiam de licentia Ordinariorum; porro hæc verba *non valere exercere* ostendunt agi non tantum de *licito*, sed etiam de *valido*. — Ratio autem hujus opinionis est quod abbates potestatem habent ordinandi, non *ex benedictione*, sed ex *privilegio* seu *concessione pontificia;* porro hoc privilegium, vi conc. Trid. cit. cap. *Abbatibus*, restrictum est, pro unoquoque abbate, ad *suos subditos regulares;* ergo pro aliis non est amplius privilegium, et idcirco *nulla* est ordinatio. Quod

[1] Suarez, *De religione*, tract. VIII, lib. II, c. XXIX, n. 7-10; cf. n. 20-22; — Hallier, *loc. cit.*, n. 19, ed. Migne, p. 912; — Pignatelli, *loc. cit.*, n. 2, p. 345; — Barbosa, *De officio episcopi*, alleg. 4, n. 11, t. I, p. 202; — Leurenius, in tit. *De temporibus ordinationum*, q. DLXII, n. 4; — Lucidi, *De visitatione*, etc., c. I, n. 31, Romæ, 1878, t. I, p. 56; — Gasparri, n. 955-959, t. II, p. 184-187.

[2] Apud Ferraris, v° *Abbas*, n. 23.

[3] *Loc. cit.*, n. 38.

[4] *Thesaurus*, t. LXIV, p. 4-7. — Hæc decisio an. 1795 videtur ultima sententia S. Congr. Conc., in præsenti controversia; nam decisio in *Anglonen.*, 15 maii 1802 (*Thesaurus*, t. LXVIII, p. 90), quæ affertur in contrarium, diversa prorsus adjuncta respicit.

[5] Apud Ferraris, *loc. cit.*

autem tenet Fagnan, nempe in privilegio ordinandi duo implicite contineri, scilicet *potestatem ordinandi*, et *jurisdictionem limitatam ad personas designatas*, prorsus gratuitum est. Unde præferenda est hæc opinio, et tenendum pro invaliditate.

55. — Specialia de abbatibus non perpetuis.

Abbates regulares de quibus hucusque dictum est, sunt abbates *perpetui ratione tituli*, quales fuerunt antiquitus et nunc etiam esse solent, qui nempe eliguntur *ad vitam*, sicut episcopi, non ad tempus determinatum. Præter hos autem, sunt duæ aliæ species abbatum; nam :

1° Sunt, ait Benedictus XIII, in cit. bulla *Commissi*, pridie nonas maii 1725[1] : « Abbates regulares perpetui, *non quidem ratione tituli*, quia ad triennium vel sexennium vel aliud limitatum tempus eliguntur, sed *ratione administrationis*, quia ab unius monasterii regimine, expleto limitato tempore, transferuntur ad aliud. » Porro, juxta eamdem bullam, hi abbates tenentur ad suscipiendam benedictionem infra terminum unius anni, a die electionis computandum; interim vero, nempe intra hunc annum, possunt omnia officia abbatialia exercere, et proinde etiam collationem ordinum, ut dictum est supra (n. **51**, 2°) de abbatibus perpetuis ratione tituli. Semel autem benedicti, non amplius benedicuntur, licet ad aliud monasterium, etiam extra diœcesim, transferantur; quod statuit ibidem Benedictus XIII. — Unde hi abbates, quando *de facto* præsunt alicui monasterio, sive primo, sive secundo, aut alii, et sic habent *subditos regulares*, possunt his conferre ordinationem.

2° Quoad abbates qui nullo modo sunt perpetui, sed mere *temporales*, v. g., triennales, sexennales, non tenentur reci-

[1] *Bull. Rom.*, t. XII, p. CXXIX.

pere benedictionem ; imo nequeunt illam recipere, quia benedictio est quasi consecratio, quæ perpetua est, et ideo male cohæret officio temporali ; unde, in documentis quæ respiciunt hos abbates, R. Pontifices sæpe cavent de non recipienda benedictione. — Proinde, *jure communi*, hi abbates nequeunt conferre tonsuram aut minores ordines. Verum sæpe R. Pontifices illis eadem jura et privilegia conferunt ac abbatibus perpetuis ; sic Eugenius IV, in bulla *Etsi pro cunctorum*, septimo kalendas octobris an. 1437, pro Cisterciensibus regularis observantiæ in Hispania, de hujusmodi abbatibus temporalibus loquens, ait : « Abbates triennales existant, et per triennium dumtaxat monasteriis, quibus præficiuntur, præsint, *nec munus benedictionis eis impendatur*, et alias ipsi... omnibus et singulis honoribus, præeminentiis, *privilegiis, prærogativis, juribus* et insigniis abbatialibus fungi possint[1]. » Cf. etiam Julii II bullam *Sacræ*, quarto nonas julii 1506, n. 9, ubi expresse eisdem Cisterciensibus abbatibus triennalibus conceditur jus conferendi clericalem tonsuram[2]. Et sic de pluribus aliis Ordinibus, in quibus abbates sunt temporales.

§ 2. De Abbatibus sæcularibus et commendatariis.

56. — Abbates sæculares. — De his hæc dicenda : 1° *Jure communi, nullam habent ordinandi potestatem.* — Ratio est quia abbates, quibus, in supra relatis (n. **50**) textibus concilii Nicæni II et cap. *Cum contingat*, data est ordinandi potestas, sunt abbates *regulares, habentes* nempe *proprium monasterium, cui præsint*, ut expresse dicunt hi textus. Porro abbates sæculares non præsunt monasterio

[1] *Regula et privilegia Ordinis Cisterciensis*, Antuerpiæ, 1630, p. 262.
[2] *Ibid.*, p. 298.

regulari, sed ecclesiæ sæculari, titulo abbatiæ insignitæ. — Confirmatur ex conc. Trid., cit. cap. *Abbatibus*, 10, sess. XXIII, De ref., ubi potestas ordinandi, quibuslibet abbatibus concessa, restringitur ad *eorum subditos regulares;* porro abbates sæculares non habent subditos *regulares*, sed tantum sæculares. — Quod si, in territorio, etiam separato, cui præsit abbas sæcularis, situm sit aliquod monasterium regulare, hoc procul dubio exemptum est a jurisdictione abbatis[1]. — Unde, licet abbas sæcularis fruatur usu pontificalium, nihil, jure communi, potest quoad ordinationem.

2° Vi *privilegii specialis*, potest abbas sæcularis habere facultatem ordinandi; quod per se patet. Verum privilegia concessa ante conc. Trid. nihil valent, quia ea suppressit concilium, cit. cap. *Abbatibus;* unde ordinationes, vi privilegiorum hujusmodi factas, irritas esse semper declaraverunt S. Congregationes[2]. Requiritur ergo privilegium *post Trid. concessum*, nec ab hoc tempore revocatum[3]. Plura hujus generis privilegia memorat Benedictus XIV[4].

57. — Abbates commendatarii. — Abbas commendatarius, cui nempe aliqua abbatia regularis, non *in titulum*, sed *in commendam* auctoritate competenti data est, *jure communi nullam habet ordinandi facultatem.* — Ratio est quia nullos habet subditos *regulares;* illi enim regulares, qui professi sunt in abbatia commendata, non sunt subditi regulares *commendatarii*, qui in eorum per-

[1] Cf. Benedictum XIV, *De synodo*, lib. II, c. XI, n. 10.

[2] V. g., S. Congr. Ep. et Reg., in *Tarvisina*, 8 apr. 1859; Bizzarri, *Collectanea*, ed. 1885, p. 662.

[3] De quo cf. doctas lucubrationes Benedicti XIV, tunc secretarii S. Congr. Conc., in *Lucana*, 14 apr. 1725, *Thesaurus*, t. III, p. 155, 214, 230, 293.

[4] *De synodo, loc. cit.*

sonas jus nullum habet; remanent enim prorsus subditi suis superioribus regularibus (de quo cf. S. Congr. Episc. et Reg., in *Messanen.*, 20 sept. 1697[1]). Unde omnino assimilandi sunt, sub hoc respectu, abbatibus sæcularibus.

§ 3. De S. R. E. Cardinalibus.

58. — De cardinalibus in suis titulis. — *Cardinales, modo sint presbyteri, possunt, in Titulis suis, conferre tonsuram et minores ordines iis qui sunt addicti servitio ecclesiæ Tituli sui.* — Afferri solet in demonstrationem hujus propositionis cap. *Iis quæ*, 11, De majoritate et obed., in quo conceduntur cardinalibus in capellis Titulo suo subjectis, et a fortiori in ipso Titulo, jura episcopalia, seu quasi episcopalia, nempe *jus ad obedientiam et reverentiam, jus ad capitulum habendum, jus ferendi censuras.* Rigorose quidem ex hac concessa potestate jurisdictionali non sequitur concessam fuisse etiam potestatem ordinis, nempe potestatem conferendi tonsuram et ordines minores; attamen cum hæc, in eadem collectione decretalium Gregorii IX, concessa fuerit etiam abbatibus, propter eorum dignitatem, a fortiori intelligitur concessa eminentissimis cardinalibus, inter prædicta jura episcopalia, quibus revera valde affinis est : quod etiam firmavit optima legum interpres consuetudo. — Nec dicas consuetudinem nihil posse quoad potestatem *ordinis*, ex cap. *Quanto*, 4, De consuetudine; nam responderi potest : 1. In nostro casu, agi potius de consuetudine *secundum jus*, quam de consuetudine *contra jus;* — 2. Consuetudinem, de qua agimus, in usu fuisse in ipsa Urbe Roma, sciente et vidente R. Pontifice, ideoque introductam fuisse, non via præscriptionis, sed

[1] Bizzarri, p. 282.

via *conniventiæ*, et proinde non tam esse proprie dictam consuetudinem, quam *privilegium pontificium tacitum*. — Unde prædictum jus cardinalium affirmant plurimi et insigniores canonistæ, v. g., Joannes Andreas, Barbosa, Fagnanus, Albitius, Hallier (licet hic paululum dubitet), Fermosini, Pirhing, Schmalzgrueber, Benedictus XIV, Andreucci, Ferraris, etc., quibus calculum adjiciunt recentiores, v. g., Bouix, Icard, Zitelli, Gasparri, etc.[1].

De qua potestate notandum est, ea cardinales uti posse in titulis suis, *sine licentia cardinalis Urbis vicarii*. — Sicut enim abbates, intra fines alicujus diœcesis constituti, conferre possunt, in suis ecclesiis, tonsuram et minores ordines suis subditis regularibus, *sine licentia episcopi diœcesani*, et hoc licet sint episcopali charactere insigniti, sic et cardinales idem facere possunt in suis titulis, *sine licentia cardinalis vicarii*, et hoc licet sint episcopali charactere insigniti. Decretum enim Tridentinum, cap. *Nulli episcopo*, 5, sess. VI, De ref., quod prohibet ne *episcopi* in alterius diœcesi pontificalia exerceant, *sine licentia episcopi diœcesani*, non respicit abbates aut cardinales, qui præfata pontificalia agunt in suis ecclesiis aut titulis. Et hoc omnino supponit Benedictus XIV, cit. epistola *Ad*

[1] J. Andreas, in tit. *De supplenda negligentia*, c. 1, n. 14, Venetiis, 1612, t. 1, fol. 153, verso; — Barbosa, *Jus eccl. univ.*, lib. I, c. IV, n. 40, Lugduni, 1645, p. 72; — Fagnanus, in cap. *Cum contingat* (9, *De ætate et qualitate...*), n. 9, Vesuntione, 1740, t. 1, p. 385; — Albitius, *De jurisdictione Card. in ecclesiis suorum Tit.*, n. 69-71, Romæ, 1668, p. 22; — Hallier, *loc. cit.*, part. II, sect. V, c. 1, art. 2, n. 25-26, Migne, p. 916; — Fermosini, in tit. *De temp. ordin.*, q. II, n. 9, Coloniæ Allobr., 1741, t. II, p. 209; — Pirhing, in tit. *De temp. ordin.*, n. 47, ed. 1722, t. 1, p. 350; — Schmalzg., in tit. *De temp. ordin.*, n. 30, Neapoli, 1738, t. 1, p. 129; — Benedictus XIV, in epist. *Ad audientiam*, 15 feb. 1753, § 16 (*Bull. Bened.*, t. IV, n. 11); — Andreucci, *De cardinalibus in genere*, n. 17, Romæ, 1766, t. II, p. 28; — Ferraris, v° *Cardinales*, art. 3, n. 22; — Bouix, *De curia romana*, p. 120, Parisiis, 1859; — Icard, *Prælectiones juris can.*, n. 93, Parisiis, 1893, t. 1, p. 164; — Zitelli, *Apparatus juris eccl.*, p. 273, Romæ, 1888; — Gasparri, *De ordinatione*, n. 965, Parisiis, 1893, t. 1, p. 191.

audientiam. — Notat tamen Honorante aliquando hanc licentiam postulatam fuisse[1].

§ 4. De specialiter privilegiatis.

59. — Specialia privilegia quoad potestatem ordinandi. — Jure communi, privilegia ministro extraordinario ordinationis, nempe presbytero, concessa, non extenduntur, quoad ordines, ultra tonsuram et quatuor minores; quoad personas, ultra abbates regulares et cardinales in suis titulis, juxta supradicta. — Porro quæritur num specialia privilegia possint concedi vel fuerint concessa aliis personis aut quoad alios ordines :

1° *Quoad ordines minores.* Ante concilium Trid., multi, præter abbates regulares et cardinales, fruebantur privilegio conferendi ordines minores, v. g., multi abbates sæculares, commendatarii, aut alii in dignitate constituti; verum hæc omnia privilegia revocata sunt a conc. Trid., cit. cap. *Abbatibus,* 10, sess. XXIII, De ref. — Post conc. Trid., nonnullis concessum est idem privilegium, v. g., abbati commendatario S. Mariæ Farfensis, Primicerio S. Marci Venetiis, etc.[2].

2° *Quoad subdiaconatum.* — 1. Nemini dubium esse potest, licet quidam contradixerint[3], quin R. Pontifex possit alicui presbytero dare potestatem conferendi subdiaconatum, tum quia, ex se, hic ordo, ut constat ex supradictis, n. **8, 11,** in eodem gradu ponendus est ac ordines minores; tum quia re ipsa Gelasius hoc docet, in epist. ad episcopos Lucaniæ, n. 6 : « Nec sibi meminerit (presbyter) ulla ratione concedi, *sine summo pontifice, subdiaconum*

[1] Honorante, *Praxis vicariatus,* c. I, not. 2, p. 7-8.

[2] Apud Benedictum XIV, *De synodo,* lib. II, c. XI, n. 10 (cf. supra, n. **56,** 2°).

[3] V. g., D. Thomas, Suppl. part. III, q. XXXVIII, art. 1, ad 3.

aut acolythum *jus habere faciendi*[1]. » — 2. De facto, plura memorántur privilegia a Romanis pontificibus presbyteris concessa, conferendi subdiaconatum. Unum memorat Navarrus, abbati cuidam Cisterciensi in Germania concessum[2]; alterum memorat Alviset, alii abbati Cisterciensi in Polonia suo tempore (nempe sæculo XVII) concessum[3]. Alia etiam memorantur apud Vuitasse[4].

3° *Quoad diaconatum :*

A. Legitur in opere *Collecta quorumdam privilegiorum Ordinis Cisterciensis,* fol. CLXIX (edit. Parisien.), Innocentii VIII bulla *Exposcit,* ad Joannem abbatem Cisterciensem, V idus aprilis 1489, in qua hæc habentur : « Ac ne monachi dicti ordinis pro suscipiendis subdiaconatus et diaconatus ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi et successoribus tuis ut quibuscumque dicti ordinis monachis, aliis vero quatuor abbatibus præfatis ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum prædictorum religiosis, quos ad id idoneos repereritis, *subdiaconatus et diaconatus ordines hujusmodi* alias rite conferre... possitis et possint, auctoritate apostolica et ex certa scientia indulgemus. » Prædicta collectio typis edita est, curante ipso Joanne abbate, Divione an. 1491, nempe duobus tantum annis post bullam Innocentianam, et vivente adhuc Innocentio (1484-1492)[5]. Præfata bulla iterum edita est in

[1] Gelasii epist. XIV (an. 494), apud Thiel, *Epist. rom. pontif.,* p. 365.

[2] Navarrus, *Consilia,* lib. V, *De privilegiis,* cons. XIV, Coloniæ Agrippinæ, 1616, t. II, p. 217.

[3] Alviset, *De privilegiis omnium Regularium,* sect. III, c. XX, § 1, n. 10, Campidonæ, 1673, p. 191.

[4] *De sacramento ordinis,* part. I, q. V, art. 2, sect. II, *Tract. theol.,* Venetiis, 1730, t. VI, p. 181.

[5] Hujus operis, his ultimis annis, duo exemplaria reperta et collata sunt. P. Pie de Langogne exscripsit exemplar e bibliotheca dicta *Vittorio Emanuele,* Romæ, depromptum, in periodico *Études franciscaines,* fév. 1901, p. 129 sq., et deinde in opusculo *De bulla Innocentiana,* Romæ, 1902; D. Boudinhon cum textu romano accurate contulit exemplar quod prostat hic Parisiis, in *Bibliotheca nationali;* vide doctissimam ejus hac de re

opere *Regula, Constitutiones et privilegia Ordinis Cisterciensis*, Antuerpiæ, 1630, in quo, p. 190, sub n. 6, eadem omnino verba, quæ supra relata sunt, leguntur[1]. — Durum porro est rejicere ut spurium hoc privilegium, quod edidit vir sanctus, Joannes abbas Cisterciensis, studiosa facta collatione cum textu originali[2]; quod insuper multi præclarissimi doctores habent ut genuinum, non solum Cistercienses, ut Robertus Sala, sed etiam ex aliis Ordinibus, v. g.; Navarrus, Vasquez (qui dicit se vidisse bullam Innocentii), Suarez, Berti, Reiffenstuel, Engel, Tamburini, Alviset, Martène, Giraldi, Morinus (ut videtur), etc.[3], eo magis quod abbates Cistercienses eo privilegio usi sunt, non tantum toto tempore ante conc. Trid., sed etiam post concilium, nempe annis 1662, 1663, imo in

dissertationem in *Canoniste*, t. XXIV, an. 1901, p. 257-272; 321-335; 385-400; t. XXV, an. 1902, p. 705-707.

[1] Ita etiam legitur in opere *Privilèges de l'ordre de Cisteaux*, Paris, Mariette, 1713, p. 135, et in recentissimo *Collectaneo Cisterciensi*, Brugis, 1901.

[2] Unde ipse dixit, in præfatiuncula ad bullam Innocentianam : « Quod vidimus, *fides adhibeatur sicut originali;* » *Canoniste*, t. XXIV, p. 261.

[3] R. Sala, ad Bona, *Rerum liturg.*, lib. I, c. XXIV, § 14, not. 6, Augustæ Taurinorum, 1749, t. II, p. 255-263; — Navarrus, *Consilia*, lib. V, *De privilegiis*, cons. XIII, Coloniæ Agrippinæ, 1616, t. II, p. 216; — Vasquez, *In partem III D. Thomæ, De ordine*, disp. CCXLIII, c. IV, Lugduni, 1631, t. III, p. 596; — Suarez, *De religione*, tract. VIII, lib. II, c. XXIX, n. 24, Parisiis, 1866, t. XVI, p. 269; — Berti, *De theologicis disciplinis*, lib. XXXVI, c. XIII, § 4, Romæ, 1745, t. VIII, p. 436 sq.; — Reiffenstuel, in tit. *De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit*, etc., n. 14 sq., Maceratæ, 1746, t. I, p. 278; — Engel, in tit. *De temp. ordin.*, n. 12, Beneventi, 1760, p. 42; — Tamburini, *De jure abbatum*, t. II, disp. II, q. V, Lugduni, 1650, t. II, p. 10-11; — Alviset, *loc. cit.;* — Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. I, c. VIII, art. 5, n. 1, Bassani, 1788, t. II, p. 12; — Giraldi, *Expositio juris pontif.*, part. I, sect. CV, p. 69; — Morinus, *De sacris ordinationibus*, part. III, exerc. IV, c. III, n. 2, cit. ed., p. 38. — Hodie præfatum privilegium uti authenticum agnoscunt Pie de Langogne, *locis cit.;* — Planchard, in periodico *Revue théologique française*, 1897, p. 598 sq.; — Philibertus Panhölzl, Ordinis Cisterciensis, in periodico *Studien und Mittheilungen aus dem Benedictiner und Cistercienser Orden*, 1884, p. 441-450. — D. Boudinhon, *loc. cit.*, documenti etiam agnoscit authenticitatem, non tamen absque ulla dubitatione.

ipsa urbe Roma, sub oculis Alexandri VII, ut narrat dictus Robertus Sala [1] : quem usum ante et post concilium testatur etiam Morinus, aliique [2]. — Nec refert quod hucusque bulla Innocentiana non fuerit inventa in archivis Romanis, tum quia potuit destrui ut alia multa documenta, tum quia non nota sunt omnia quæ continentur in his archivis, tum quia, quidquid dicunt quidam, non funditus introspecta sunt regesta Innocentii VIII; ceterum hoc non est nisi argumentum negativum.

B. Memorantur aliæ similes concessiones pontificiæ, quoad *diaconatum*. Sic simile privilegium prælatis Franciscanis in India concessum fuisse narrant plures, quos allegat Berti [3]. Sic etiam ait Engel [4] : « Ipse scio quædam monasteria ordinis S. Benedicti similia (privilegia, quoad diaconatum) habere [5]. »

C. His ergo positis, valde difficile est negare jus Pontificis Romani committendi simplici presbytero potestatem conferendi diaconatum. Sola quidem inspecta traditione antiqua, supra, n. **2**, probabilius esset jus pontificium non ita extendi, quia nempe tres isti ordines, episcopatus, presbyteratus et diaconatus, ponuntur in eodem gradu, quoad ministrum, nempe episcopum. Verum acta et gesta Romanorum Pontificum, quando agunt, non ut privati, sed ut totius Ecclesiæ pastores, constituunt etiam aliquo modo partem traditionis. Unde multi doctores, attentis præfatis privilegiis, tenent Romano Pontifici vere jus competere delegandi presbyteros ad conferendum diaconatum; ita omnes allegati, et etiam plures alii, v. g., Barbosa,

[1] *Loc. cit.*

[2] V. g., apud Pellizzarium, *Manuale regularium*, tit. VIII, c. II, n. 176, edit. 2, Lugduni, 1665, t. II, p. 253.

[3] *Loc. cit.*, p. 438.

[4] *Loc. cit.*, p. 42.

[5] Cf. etiam Vasquez, *loc. cit.*, p. 596.

Schmalzg., etc.[1]. Licet ergo non pauci doctores[2], quibus communiter adhærent hodierni[3], teneant præfatum jus non competere R. Pontifici, opinionem contrariam multo probabiliorem existimaverim[4].

D. Quidquid est de supradictis, certum est, quod attinet ad abbatem Cisterciensem, non amplius hodie locum esse usui præfati privilegii; nam, in brevi *Non mediocri,* 30 julii 1902[5], quo Leo XIII approbat constitutiones Ordinis Cisterciensium Reformatorum[6] abbatique generali hujus Ordinis confert titulum abbatis Cisterciensis, renovat et confirmat, in favorem Ordinis, privilegia concessa Familiæ Cisterciensi, sed cum hac notanda clausula : « incluso etiam privilegio abbatum conferendi, servatis servandis, regularibus suis subditis primam tonsuram et quatuor ordines minores *tantummodo.* »

4° *Quoad presbyteratum.* — Plures quidem doctores, a Morino allegati[7], tenent R. Pontificem posse committere simplici presbytero ut ordinet etiam *presbyteros.* Verum, cum ex una parte, traditio antiqua supra, n. **2**, descripta, huic opinioni omnino contraria sit, et, ex altera parte, nullum unquam memoratum fuerit exemplum hujusmodi commissionis pontificiæ, ableganda est hæc opinatio inter fabulas.

[1] Barbosa, *Jus Eccl. univ.,* lib. I, c. XI, n. 51, Lugduni, 1645, t. I, p. 167; — Schmalzg., in tit. *De temp. ord.,* n. 35, Neapoli, 1738, t. I, p. 130.

[2] V. g., post D. Thomam, *loc. cit.,* Vuitasse, *De ordine,* part. I, q. V, art. 2, sect. III, *Tract. theol.,* Venetiis, 1730, t. VI, p. 182-184; — Hallier, *loc. cit.,* art. 3, n. 11 sq., ed. Migne, p. 924.

[3] V. g., Perrone, *Prælect. theol., De ordine,* n. 134, ed. Migne, t. II, p. 484.

[4] Ita etiam hodie opinari videtur De Angelis, in tit. *De temp. ord.,* n. 2, t. I, p. 200.

[5] *Acta S. Sedis,* t. XXXV, p. 385, vel *Canoniste,* t. XXV, an. 1902, p. 665.

[6] In quem coaluerunt tres *Observantiæ* Trappistarum, vi Leonis XIII brevis *Pastoralis muneris,* 17 martii 1893; *Acta S. Sedis,* t. XXVI, p. 168, vel *Canoniste,* t. XVI, an. 1893, p. 536.

[7] V. g., Glossa, Innocentius IV, Hugo, Hugolinus, Panormitanus, Petrus Aureolus, etc., apud Morinum, *loc. cit.,* p. 48-50.

CAPUT IV

DE LITTERIS DIMISSORIALIBUS ET EXCORPORATIONE

§ 1. De litteris dimissorialibus [1].

60. — Prævia.

1° *Notio.* — Per *litteras dimissoriales* nunc intelligitur *potestas ab auctoritate competenti concessa alicui episcopo, ordinandi non proprium subditum*, vel, quod ad idem recidit, et correlativum est, *licentia ab auctoritate competenti concessa subdito, recipiendi ordinem ab episcopo non proprio.* Per *ordinem* hic intelligitur etiam prima tonsura, de qua idem omnino dicendum quod de ordinibus, nisi aliter expresse statuatur.

2° *Discrimen cum aliis litteris.* — Hinc differunt *litteræ dimissoriales*, tum a *litteris excardinationis* seu *excorporationis* (apud nos dictis *Exeat*), quibus episcopus renuntiat omni jurisdictioni super aliquem subditum, ut alii episcopo eum subjiciat; — tum a *litteris testimonialibus*, quibus episcopus dat de aliquo clerico bonum testimonium, in ordine ad recipiendam aliquam ordinationem; — tum a *litteris receptam ordinationem attestantibus* (*certificat* ou

[1] Cf. præcipue Hallier, *De sacris electionibus*, etc., part. II, sect. v, c. III, art. 10-11, ed. Migne, col. 1035 sq.; — Reiff., in tit. *De temp. ord.*, n. 109 sq., et ceteros canonistas in eumdem tit.

lettres d'ordination); — tum a *litteris commendatitiis* (apud nos sæpius dictis *celebret*), quibus episcopus presbyterum vel alium clericum peregrinaturum commendat Ordinariis et clero locorum, ut possit admitti ad missæ celebrationem vel ad alia ecclesiastica munia.

3° *Varia nomina*[1]. — 1. Nomen hodie solitum est *litterarum dimissorialium*, quod vocabulum (quod forsan alicui videri possit minus accuratum) sumptum est ab antiquis litteris *dimissorialibus*, quibus episcopus plene dimittebat a se clericum, ut alii diœcesi incardinaretur[2]; — 2. Vocantur etiam *licentia* ordinandi vel recipiendi ordinationem (cap. 1, 2, 3, 4, De temp. ordin., in VI); — 3. Item vocantur *Reverendæ* (conc. Trid., cap. 10, sess. VII, De ref.), quia incipere solent a vocabulis *Reverendo, Reverendissimo,* quibus episcopi se salutare solent; — 4. Item *Commendatitiæ* (conc. Trid., cap. 2, 3, sess. XIV, De ref.), quia continere solent commendationem subditi dimissi.

61. — Auctoritas competens ad concedendas dimissorias.

1° *De Romano Pontifice.* — Sicut Romanus Pontifex potest per se ordinare quemlibet, ad quamcumque diœcesim pertinentem, laicum aut clericum, ratione supremæ potestatis, directæ, ordinariæ et immediatæ, in omnes fideles et ecclesias, sic, eadem ratione, potest quibuslibet ad quoslibet ordines concedere litteras dimissorias. — Hoc autem jus exercuit aut exercet triplici præsertim modo :

a. Concessit variis collegiis ut eorum alumni possint

[1] Cf. Hallier, *loc. cit.*, art. 10, n. 8-11, col. 1040.

[2] Nomen *litterarum dimissorialium* sæpe legitur in conc. Trid., v. g., cap. 10, sess. VII, De ref.; cap. 2, sess. XIV, De ref.; cap. 3, sess. XXIII, De ref.

ordinari *sine litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum.* — Hoc privilegio fruuntur plura collegia urbis Romæ, v. g., Germanicum, Anglorum, Scotorum, Hibernorum, collegium de Propaganda Fide, etc.[1]; quod etiam Clemens IX concessit seminario pontificio Brunsbergensi, in Prussia[2].

b. Concedit aliquando *facultatem de promovendo a quocumque,* id est, licentiam ut quis recipere possit ordines a quocumque episcopo catholico. Has *facultates* memorat expresse conc. Trid., cap. *Facultates,* 11, sess. VII, De ref., et implicite cap. *Ordinationes,* 8, sess. XXIII, De ref. Vi horum decretorum, hæ *Facultates* non prosunt nisi sub his condicionibus : 1. Causa, propter quam dicti privilegiati non ordinantur a propriis episcopis, in litteris Pontificiis exprimi debet; — 2. Ordinationi *diligens examen* ordinandi præire debet; — 3. Ordinatio fieri debet ab episcopo *in sua diœcesi residente,* aut ab alio *pro eo pontificalia exercente;* — 4. Tandem requiruntur *litteræ commendatitiæ proprii episcopi,* et hoc quidem ultimum sub his pœnis : « Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus (cap. *Ordinationes,* 8, sess. XXIII, De ref.). » — His cautionibus, R. Pontifex, sacro approbante concilio Tridentino, moderationem quamdam adhibuit amplissimæ Romanorum Pontificum potestati circa præfatas facultates concedendas[3]; verumtamen, ut per se patet, his legibus non tenetur R. Pontifex (ut ipsum concilium fatetur, cavendo ut semper *salva sit auctoritas sedis apostolicæ,* cap. *Po-*

[1] Cum hæc sint *facti,* potius quam *juris,* remitto, pro documentis et textibus, ad Honorante, *Praxis,* etc., c. xvii, p. 171 sq.

[2] Brevi *Dilectos,* 16 aug. 1667, apud De Martinis, *Juris pontificii de Prop. Fide,* part. I, Romæ, 1888, t. I, p. 374.

[3] Cf. Hallier, *loc. cit.,* art. 9, n. 16, col. 1034.

stremo, 21, sess. XXV, De ref.); unde iis derogare potest, modo intentionem suam clare manifestet. — Notandum tandem est, has *facultates de promovendo a quocumque* aliquando concessas esse collegiis aut seminariis, in favorem suorum alumnorum, v. g., Collegio de Prop. Fide[1]; quo in casu, standum est clausulis in indulto appositis.

c. Concedit aliquando episcopis, ut *ordinare possint subditos non proprios, absque dimissoriis episcopi proprii.* Sic sæpe concessit ut ordinarentur, sine propriorum episcoporum dimissoriis, fideles aut clerici degentes in diœcesibus ab infidelibus, aut hæreticis occupatis, vel expulsi a propriis diœcesibus[2]. — Memorabile est privilegium cardinalis Urbis vicarii, qui, vi oraculi vivæ vocis Gregorii XIV, 20 martii 1591, insignire potest prima tonsura quoscumque commorantes in Urbe, etiam sine dimissoriis suorum Ordinariorum[3].

2° *De Legatis, Patriarchis et Metropolitanis.* — 1. Legati et Nuntii non possunt concedere dimissorias in sua provincia; id enim jure communi nunquam eis concessum est; — 2. Item Metropolitani non possunt concedere dimissorias subditis suffraganeorum suorum; quod pariter non eis concessum est; — 3. In Ecclesia Orientali, Patriarcha Antiochenus Maronitarum potest ordinare subditos episcoporum sibi subditorum, itemque eis concedere dimissorias: quod patet ex concilio Montis Libani, an. 1736, part. II, c. XIV, n. 10, ubi tamen rogatur « ut, pro sua prudentia, nisi urgente necessitate, facultate hujusmodi non utatur[4]. »

3° *De Episcopo proprio.* — Episcopus proprius potest,

[1] Honorante, c. XVII, p. 173.

[2] Exempla habes in *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide,* n. 1163, 1165, 1166, Romæ, 1893, p. 396-397.

[3] De quo privilegio cf. Honorante, c. XI, not. 1, p. 110-112.

[4] *Collectio Lacensis,* t. II, col. 231.

procul dubio, concedere dimissorias subditis suis, ut ab alio episcopo ordinentur, tum quia, juxta Regulam Juris 68, in VI : « Potest quis *per alium*, quod potest facere per seipsum; » tum quia id passim ei conceditur aut concessum supponitur in Jure, v. g., in cap. 1, 2, 3, 4, De temporibus ordinationum, in VI. — De qua potestate hæc dicenda : 1. Concessio dimissoriarum est actus *jurisdictionis*, non ordinis; unde episcopus hunc exercere potest, statim ac cepit possessionem sedis suæ, licet nondum sit consecratus; — 2. Pariter Metropolitanus potest propriis subditis dare dimissorias, etiam antequam receperit pallium, licet tunc temporis non possit eos ordinare.

4° *De Capitulo, sede vacante.* — 1. Prohibitum est ne capitulum, sede vacante, *infra primum annum vacationis*, dimissorias concedat, nisi *arctatis;* constat conc. Trid., cap. *Non liceat*, 10, sess. VII, De reformatione; *arctati* autem dicuntur, qui, occasione beneficii accepti vel accipiendi (ad quod jus habent), coguntur ad ordinem aliquem recipiendum; — 2. Pœna statuta contra capitulum hac in re delinquens est *interdictum ecclesiasticum*, ut constat eod. cap. *Non liceat :* « Si secus fiat, capitulum contraveniens *ecclesiastico subjaceat interdicto;* » unde interdictum est *latæ sententiæ* et *totale;* cum autem nemini sit reservatum, poterit episcopus successor illud tollere, non vero simplex confessarius, quidquid dicunt aliqui[1]; nam, cum interdictum illud cadat directe et immediate *in ipsum Capitulum*, simplex confessarius, qui non habet jurisdictionem in Capitulum, sed tantum in singulos canonicos, nequit illud tollere[2].

5° *De Vicario Capitulari sede vacante.* — Item prohibitum est ne Vicarius Capitularis, sede vacante, *infra*

[1] V. g., Pennacchi, *In const. Apostolicæ Sedis*, t. II, p. 526.
[2] Ita Thesaurus, *De pœnis*, v° *Ordo*, c. XIX, p. 324.

primum annum vacationis, concedat dimissorias; synodus enim Tridentina præfatum cap. *Non liceat*, 10, sess. VII, De reform., quod directe afficit capitulum, extendit ad eos omnes qui in jurisdictione episcopi, sede vacante, succedunt, ut constat cap. *Abbatibus*, 10, sess. XXIII, De reform. Unde etiam ab hac prohibitione excipiuntur *arctati;* item probabilius excipitur collatio tonsuræ, quia non est ordo; quod amplius evolvam in *Prælectionibus de Capitulis.*

6° *De Vicario apostolico, sede vacante, aut quolibet administratore sedis vacantis.* — Potest deputari sedis vacantis administrator, non tantum a Capitulo, sed etiam a Romano Pontifice, aut, in casibus a jure prævisis, a Metropolitano. Porro hi omnes prohibentur ne, *infra primum annum vacationis*, concedant dimissorias nisi arctatis. — Constat conc. Trid., cap. *Abbatibus*, 10, sess. XXIII, De ref., in quo dicitur : « Pœnam quoque impositam iis qui, contra hujus sanctæ synodi sub Paulo III decretum [1], a capitulo episcopali, sede vacante, litteras dimissorias impetrant, ad eos qui easdem litteras, non a capitulo, sed ab *aliis quibusvis in jurisdictione episcopi, loco capituli, sede vacante, succedentibus*, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam decreti, ab officio et beneficio per annum, sint ipso jure suspensi. » Unde, quoad prohibitionem, et quoad pœnam sive contra dimittentes, sive contra ordinatos, idem omnino dicendum est quod de Vicario capitulari [2].

7° *De Vicario generali.* — Juxta cap. *Cum nullus*, 3, De temporibus ordin., in VI, vicarius generalis, vi mandati sui generalis, non potest litteras dimissorias conce-

[1] Agitur de cap. *Non liceat*, 10, sess. VII, De ref.

[2] Cf. etiam Lucidi, *De visitatione*, etc., c. II, n. 73, Romæ, 1878, t. I, p. 153.

dere; expresse excipitur si *episcopus in remotis agat*, v. g., si episcopus Americanus, Hibernus, Scotus, sit in Gallia; in casu dubii, utrum episcopus in remotis agat, an non, æstimatio, juxta meliorem opinionem, relinquitur judicio ipsius vicarii.

8° *De Prælatis Episcopo inferioribus.* — Non agimus nisi de eorum subditis *sæcularibus*, nam pro subditis eorum *regularibus*, dicitur in cap. IX. — Porro quod attinet ad subditos eorum *sæculares*, hæc dicenda :

A. Nequeunt hi Prælati concedere dimissorias *subditis suis sæcularibus ad quoslibet ordines.* — Constat conc. Trid., cap. *Abbatibus*, 10, sess. XXIII, De ref. : « Nec ipsi Abbates, et alii exempti, aut collegia vel capitula quæcumque, etiam ecclesiarum cathedralium, *litteras dimissorias aliquibus clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant;* sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quæ in hujus sanctæ synodi decretis continentur, ad episcopos, intra quorum diœcesis fines existant, pertineat : non obstantibus quibuscumque privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus... Concedentes autem dimissorias contra formam decreti, ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi. »

B. Agitur, in textu Tridentino, de quibuscumque Prælatis (episcopo inferioribus), sive regularibus, sive sæcularibus, sive primæ, sive secundæ et etiam tertiæ, seu supremæ, speciei; imo agitur etiam de collegiis aut capitulis quæ quasi episcopali jurisdictione fruantur in clerum et populum, ut multa olim erant; iis ergo omnibus prohibetur, ne dimissorias concedant subditis suis sæcularibus, ut patet ex relato textu Tridentino. — Difficultas non est nisi pro *Prælatis supremæ speciei*, seu *Nullius*, ob hæc verba Tridentina, *intra quorum diœcesis fines existant*,

quæ non videntur applicari posse Prælatis *Nullius,* qui nempe habent territorium omnino separatum. Verum hi etiam comprehenduntur in dicta prohibitione, ut constat firma et constanti jurisprudentia S. Congr. Concilii, quæ supra asserta fuit (n. **53**), dum agebatur de collatione ordinum minorum ab abbatibus facienda ; decisiones enim S. Congregationis utramque partem capitis Trid. (cap. *Abbatibus,* 10, sess. XXIII, De ref.), nempe collationem ordinum minorum et concessionem dimissoriarum pro quibuslibet ordinibus æque respiciunt.

C. Horum itaque subditorum sæcularium ordinatio (ad quoscumque ordines et ad primam tonsuram) nullo modo pertinet ad dictos Prælatos, sed ad Episcopum, in cujus diœcesi consistunt ecclesiæ abbatiales seu prælatitiæ, ut patet expresse ex relato textu Trid.; quod si agatur de Prælatis *Nullius,* ordinatio pertinet ad episcopum *viciniorem,* seu ad episcopum cujus ecclesia cathedralis proximior est ecclesiæ abbatiali, ad normam conc. Trid., cap. *Quæ alias,* 9, sess. XXIV, De ref. — Hi ergo Episcopi ordinant subditos sæculares Prælatorum, *sine ullis horum dimissoriis;* si per se ordinare nequeant, ipsi dant dimissorias ad alios episcopos. Verum, si agatur de Prælatis *Nullius,* Episcopi horum subditos ordinare aut dimittere nequeunt, *sine litteris Prælatorum testimonialibus*, quæ litteræ non requiruntur, si agatur de Prælatis qui non sint *Nullius;* quod ultimum (de litteris testimonialibus requisitis aut non requisitis) nititur jurisprudentia S. Congregationis Concilii, quæ ita decidit, ad mentem canonum[1].

D. Si quis abbas, aut Prælatus, aut capitulum, concedat dimissorias contra formam decreti Tridentini, incurrit pœnam eodem decreto statutam, nempe : « Concedentes

[1] Cf. decisiones S. Congr. Conc., apud Riganti, *In reg. 24 Canc.,* § 3, n. 247 sq., t. II, p. 371; vel Giraldi, part. II, sect. XCIX, p. 196.

autem dimissorias contra formam decreti, *ab officio et beneficio per annum ipso jure sint suspensi.* » Hæc enim sanctio, quæ claudit totum caput 10, respicit, non tantum propinquiora verba, sed etiam remotiora, quæ continent prohibitionem, abbatibus factam, concedendi dimissorias[1].

Notandum est, multos Prælatos *Nullius* impetrasse indulta apostolica, vi quorum jus habent concedendi dimissorias suis subditis sæcularibus. Vide exempla apud Riganti aut Giraldi[2].

62. — Necessitas litterarum dimissoriarum, *quando agitur de ordinatione alieni subditi.*

1° *Nullus episcopus ordinare potest alienum subditum, sine litteris dimissorialibus Ordinarii proprii.* — Constat multiplici documento :

a. Legem jam tulit concilium Nicænum, can. 16[3], cujus pars secunda sic legitur apud Gratianum, can. *Si quis ausus*, 3, dist. LXXI : « Si quis ausus fuerit aliquem, qui *ad alterum pertinet*, in ecclesia ordinare, *cum non habeat consensum illius episcopi, a quo recessit clericus*, irrita sit (ἄκυρος) hujusmodi ordinatio[4]. »

b. Legem postea multa concilia aut Romani Pontifices renovaverunt et confirmarunt (cf. fere omnes canones dist. LXXI et dist. LXXII, in Decreto Gratiani) ; sufficiat hic allegare cap. *Eos qui*, 2, De temporibus ordin., in VI (ex concilio Lugdunensi, an. 1274) : « Eos qui clericos

[1] Cf. Thesaurus, *De pœnis*, v° *Ordo*, c. xx, p. 324-325 ; — Pennacchi, *In constitutionem Apostolicæ Sedis*, t. II, p. 460-467. Hic tamen nimius est, dum asserit, p. 460, abbates *ordinantes* suos subditos sæculares incurrere eamdem suspensionem ; suspensio enim fertur contra *dimittentes*, non contra *ordinantes*, nec, in re pœnali, fit extensio ad casus similes, imo graviores ; cf. Thesaurus, *De pœnis*, v° *Ordo*, c. xxi, p. 325.

[2] *Loc. cit.*

[3] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 18.

[4] Ex versione Dionysii Exigui ; Migne, *P. L.*, t. lxvii, col. 150.

parochiæ alienæ *absque superioris ordinandorum licentia*, scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, præsumpserint ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus esse suspensos; his, quæ jura statuunt contra taliter ordinatos, in suo robore duraturis. Clericis quoque parochiæ taliter suspensorum, postquam eorum suspensio fuerit manifesta, absque ipsorum etiam licentia, interim recipiendi ordines ab aliis vicinis episcopis, alias tamen canonice, liberam concedimus facultatem. »

c. Hæc lex specialiter urgetur tum erga episcopos Italiæ, pro ordinandis *ultramontanis* (cap. *Sæpe contingit*, 1, De temp. ord., in VI); — tum erga omnes episcopos, aut etiam alios ordinantes, *pro collatione primæ tonsuræ*, quæ viam aperiebat beneficiis et privilegiis clericalibus (cap. *Nullus*, 4, eod. tit., in VI); — tum etiam erga omnes episcopos, pro collatione *ordinum majorum* (Pii II bulla *Cum ex sacrorum*, XV Kal. dec. 1461[1]).

d. Legem demum renovat concilium Tridentinum, cap. *Ordinationes*, 8, sess. XXIII, De ref. : « *Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur.* Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus, permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus; » illud autem *generale vel speciale rescriptum aut privilegium*, de quo loquitur concilium, nihil aliud est quam ordinandi licentia seu dimissoriæ a R. Pontifice concessæ; unde sufficiunt

[1] *Bull. Rom.*, t. III, part. 3, p. 109; hanc editam etiam habes apud Honorante, p. x.

quidem dimissoriæ R. Pontificis, sed ita ut tunc habeantur etiam litteræ commendatitiæ proprii episcopi; si non habeantur dimissoriæ R. Pontificis per *generale aut speciale rescriptum vel privilegium,* tunc non sufficiunt litteræ *commendatitiæ* proprii episcopi, sed requiruntur hujus *dimissoriæ,* nam « unusquisque a *proprio episcopo ordinetur* », utique per se, vel per alium.

e. Legem renovat specialiter conc. Trid., quoad *episcopos titulares,* cap. *Et quoniam,* 2, sess. XIV, De ref. : « Nemo episcoporum qui titulares vocantur, ... vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ, *absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut litteris dimissoriis,* ad aliquos sacros aut minores ordines, vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promoti ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi. » Unde episcopi titulares omnino prohibentur ordinare *sine dimissoriis;* imo illud, ipsis forte concessum, promovendi quoscumque privilegium, sic explicatur, ut neminem possint ordinare, non tantum sine *commendatitiis* proprii episcopi, sed nec etiam sine *proprie dictis proprii episcopi dimissoriis.*

2° *Pœnæ contra delinquentes :*

A. *Contra ordinantes :* 1. Sic statuitur in bulla *Apostolicæ sedis, De suspensionibus,* n. 3 : « *Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure* incurrunt ordinantes alienum subditum ... absque ejus episcopi litteris dimissorialibus ; » hæc est ipsissima pœna a conc. Trid. lata in relato cap. *Ordinationes;* est *latæ sententiæ,* et *simpliciter reservata R. Pontifici,* ut constat titulo præ-

misso in bulla *Apostolicæ sedis ;* cum autem agatur de *ordinantibus,* et tonsura non sit *ordo,* pœna non afficiuntur episcopi qui conferunt tantum primam tonsuram ; ceterum episcopus delinquens suspenditur a collatione non tantum ordinis male collati, sed *omnium ordinum* (non tamen tonsuræ), cum lex non distinguat[1]. — 2. Si ordinans sit *episcopus titularis,* applicanda est pœna statuta a conc. Trid., in relato cap. *Et quoniam,* quæ amplior est quam pœna decreta a constitutione *Apostolicæ sedis,* cum complectatur non tantum collationem ordinum, sed etiam *omnia pontificalia ;* est etiam reservata (licet simpliciter) R. Pontifici, cum sit lata *ad certum tempus.*

B. *Contra ordinatos,* nulla pœna sancita est in bulla *Apostolicæ sedis,* sed manet pœna Trid., in relato cap. *Ordinationes* contenta (et in cap. *Et quoniam,* quando ordinatio facta fuit ab episcopo titulari) : « Ordinatus *a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus ;* » quæ suspensio non respicit nisi ordines *male susceptos*[2].

3° *Specialis legi apposita exceptio.* — In supra relato cap. *Eos qui,* 2, De temporibus ordin., in VI, statuit Gregorius X, ut si quis episcopus ordinet alienum subditum sine dimissoriis, sit suspensus a collatione ordinum, et, postquam hæc suspensio fuerit *manifesta,* clerici, qui subditi sunt episcopi sic suspensi, possint legitime ordinari a vicinis episcopis, etiam sine licentia episcopi suspensi. — Supponunt communiter auctores[3] hanc decretalem nec a concilio Tridentino, nec a bulla *Speculatores* fuisse sublatam, quia nempe hæc duo documenta generi-

[1] Cf. Piatus, *In const. Apostolicæ sedis,* de susp., n. 3, Tornaci, 1884, p. 295.

[2] Hæc suspensio retroascendit ad concilium Nicænum quod, ut vidimus, statuit talem ordinationem esse *irritam.*

[3] Giraldi, part. I, sect. xciii, p. 61.

cam, præfata decretalis specificam dispositionem continent; generi autem per speciem derogatur. — Verum notandum est vix locum esse hodie applicationi hujus decretalis, quia, ut suspensio episcopi sit *manifesta*, ad normam decretalis, non sufficit notorietas *facti*, sed requiritur notorietas *juris* (hæc enim decretalis, utpote pœnalis, et valde restrictiva jurium episcopi, recipit interpretationem strictiorem), id est *juridica declaratio* censuræ, quæ hodie fieri nequit nisi per Romanum Pontificem; hic ergo declarando censuram, providebit futuris ordinationibus clericorum; si non provideat, signum est ipsum velle ut observetur decretalis. — Ceterum hæc non est proprie *exceptio* legi de requisitis dimissoriis; nam dimissoriæ episcopi supplentur per dimissorias generales R. Pontificis in prædicta decretali contentas[1].

63. — Forma qua dari debeant litteræ dimissoriæ.

1° Certum est, ante omnia, non sufficere consensum episcopi proprii *præsumptum* aut *tacitum*, sed requiri *expressum*. — Constat conc. Trid., cit. cap. *Et quoniam*, 2, sess. XIV, De ref., quo prohibentur episcopi titulares, ne subditos alienos ordinent « absque sui proprii prælati *expresso consensu*, aut litteris dimissoriis; » unde, ut vidimus, suspensione plectuntur, in bulla *Apostolicæ sedis*, ordinantes alienum subditum *sine litteris dimissoriis :* quod vocabulum indicat consensum *expressum*. — Quidquid ergo dicendum est de antiqua disciplina, qua visus fuit aliquando sufficere consensus episcopi proprii *præsumptus*[2], nunc non amplius sufficit.

[1] Dispositio cap. *Eos qui* extendi nequit ad alias suspensiones, quas forte incurrerit episcopus, sed restringi debet ad specialem casum quem contemplatur legislator in hoc capite; nam odia restringenda.

[2] Hallier, *loc. cit.*, art. 10, n. 1, col. 1035.

2° Dimissoriales, jure communi, concedi possunt *verbo*, ita ut non requiratur scriptura. — Constat relato textu conc. Trid., in quo non requiruntur absolute *litteræ dimissoriales*, sed *expressus consensus aut litteræ dimissoriales;* sufficit ergo *expressus consensus,* qui, utique, *verbis* optime exprimi potest. Unde, quando episcopus proprius impeditus curat ordinationem suorum subditorum ab alio episcopo faciendam, non semper dat delegationem in scriptis, sed, si præsens sit hic alius episcopus, eum deputare solet verbo tenùs : quod procul dubio sufficit[1]. — Attamen, hoc excepto casu, multo satius est, ad avertendas fraudes, et majorem habendam de dimissoriis certitudinem, dare dimissorias in scriptis, et revera ita communiter dari solent. — De dimissoriis ultramontanorum in Italia ordinandorum, cf. infra n. **66**.

3° In genere, *non requiritur ut dimissoriæ dirigantur ad unum certum et determinatum episcopum;* hoc enim nulla jura præscribunt ; unde dirigi possunt vel *ad quemcumque episcopum catholicum*, vel *ad quemcumque episcopum gratiam et communionem cum sede apostolica habentem,* vel *ad talem episcopum determinatum, et alium quemcumque ab eo deputatum*, etc. etc. — Quod si dirigantur *ad unum determinatum episcopum*, v. g., archiepiscopum Parisiensem, et hic non faciat ordinationem, non propterea dimissoriæ irritæ sunt, sed, si dimissoriæ concessæ sint *in gratiam ipsius ordinandi* (ut plerumque fit), subditus dimissus recipere potest ordinationem, vel ab episcopo qui facit ordinationem loco archiepiscopi Parisiensis, vel ab episcopo designato ab archiepiscopo Parisiensi, vel etiam ab alio qui tempore opportuno faciat ordinationem. Ratio est quia, cum dimissoriæ concessæ

[1] Cf. Hallier, *loc. cit.*, n. 3, col. 1037.

sint *in gratiam ordinandi*, *substantia* gratiæ est licentia recipiendi ordinationem, persona autem aut qualitas episcopi ordinantis non est nisi accidens. Ita communiter auctores[1].

Dixi : 1. *In genere,* nam, aliquando, *de jure particulari*, dimissoriæ dirigi debent ad unum determinatum episcopum ; sic, in provinciis quæ pertinent ad vetus regnum Neapolitanum, dimissoriæ *pro prima tonsura* et *ordinibus minoribus* dirigi debent ad unum determinatum episcopum[2]. — Quoad clericos suburbicarios, et clericos extraneos Romæ commorantes, cf. dicta supra, n. **44, 45.**

Dixi : 2. Dimissorias dirigi posse *ad quemcumque episcopum catholicum ;* sed id intelligendum est *intra eumdem ritum ;* nam, sine indulto apostolico, subditus latini ritus dimitti nequit ad episcopum ritus orientalis, et, vice versa, subditus ritus orientalis dimitti nequit ad episcopum ritus latini, aut etiam alterius ritus orientalis[3]. — Attamen patriarcha Antiochenus Maronitarum jus habet dimittendi suum aut suffraganeorum subditum ad episcopum ritus latini, aut alterius ritus orientalis, ut constat concilio Montis Libani, an. 1736, part. II, c. XIV, n. 50[4]. Patriarcha Antiochenus Melchitarum eodem jure utitur. Quoad autem Patriarcham Ciliciæ Armenorum, mihi non in comperto est[5].

4° Quoad *tenorem* ipsarum dimissoriarum, hæc dicenda :

[1] S. Alph., lib. VI, n. 788, not. 11 ; — d'Annibale, *Summula,* ed. 3, t. III, n. 292, not. 12, p. 243 ; — Gasparri, n. 878, t. II, p. 134.

[2] Cf. Riganti, *In regulam 24 canc.,* § 3, n. 171, t. II, p. 363, et præsertim Honorante, c. VII, p. 81-84, qui refert documenta ad rem pertinentia.

[3] Cf. concilium Montis Libani, part. II, c. XIV, n. 33, 50 ; *collect. Lacensis*, t. II, p. 240, 256.

[4] *Conciliorum collectio Lacensis,* t. II, p. 256.

[5] Anno 1894, ipse patriarcha Armenorum postulandam curavit a Sede apostolica dispensationem, ut subditus armenus ordinaretur ab archiepiscopo Parisiensi ad presbyteratum : quæ revera dispensatio, die 14 aprilis 1894, concessa est.

1. Continere debent, verbis claris et apertis, licentiam ipsam vel ordinandi vel recipiendi ordinationem ; quia hæc est *substantia* harum litterarum ; unde non sufficit bonum testimonium de moribus subditi, etc. ; — 2. Concedi possunt *ad tempus*, v. g., ad tres, quatuor, sex menses, ita ut, hoc elapso tempore, sint omnino irritæ ; — 3. Continere solent varias clausulas de dispensatione (aut de delegatione episcopi ordinaturi ad faciendam dispensationem) in interstitiis, temporibus ordinationum, ætate, etc. ; — 4. Continere etiam solent commendationem subditi relative ad ordinem suscipiendum, ut nempe probe sciat episcopus ordinaturus omnes leges ecclesiasticas servatas fuisse ; — 5. Continere possunt varias restrictiones, v. g., modo subditus in examine probatus fuerit, etc. ; unde, in hoc casu, litteræ dimissoriales non valent, nisi variæ condiciones adimpletæ fuerint.

64. — Examen subditi dimittendi.

1° Episcopus non potest dimittere subditum, ut ab alio episcopo ordinetur, *nisi probatum et examinatum.* — Constat conc. Trid., cap. *Episcopi*, 3, sess. XXIII, De ref. : « Episcopi per semetipsos ordines conferant ; quod si ægritudine fuerint impediti[1], subditos suos, *non aliter quam jam probatos et examinatos*, ad alium episcopum ordinandos dimittant. » Ceterum clara est ratio ; sicut enim episcopus ordinare nequit per se ipsum subditum suum, nisi probatum et examinatum, sic nec potest illum dimittere, seu ordinare per alium, nisi probatum et examinatum ; juxta enim regulam 72 Juris, in VI : « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum ; » sicut ergo onerata remanet conscientia episcopi ex ordi-

[1] Ægritudine, aut *alia causa legitima*, ut fert communis interpretatio hujus textus.

natione subditi, ita et ex ejus dimissione. — Hoc autem examen et probatio complectitur totam illam inquisitionem de qua præcipit idem concilium, cap. *Sancta Synodus*, 7, sess. 23, De ref. : « Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet. »

2° Attamen receptum est ut episcopus proprius committere possit episcopo ordinaturo examen, vel in totum, vel quoad partem præcipue, ut sæpe fit, quoad examen de *doctrina*), v. g., si ordinandus sit absens, et non sit illi commodum adire proprium episcopum. — Ita legum optima interpres consuetudo et communis doctorum opinio [1].

3° Quando episcopus dimittens testatur in dimissoriis subditum fuisse *probatum et examinatum*, episcopus ordinaturus potest illi fidem habere, et ideo nullo modo tenetur novum examen facere aut inquirere num satisfactum fuerit bullæ *Speculatores*, etc. — Ratio est quia præsumi nequit episcopum defuisse officio suo, illique testanti fides debetur: ita pluries decidit S. Congr. Concilii, v. g., in una *Nullius*, 16 jan. 1595 [2], et in *Elboren.*, 2 et 23 aug. 1721, ad 3 [3]. — Imo, ut ait Giraldi, non videtur conveniens ut episcopus ordinaturus utatur facultate subditum iterum examinandi, tum ut consulatur honori Ordinarii, tum ut vitetur absurdum, ne scilicet idem subditus forsan ab uno episcopo admittatur, ab alio rejiciatur [4]. — Attamen, in rigore juris, episcopus ordinaturus

[1] V. g., Reiff., in tit. *De temp. ord.*, n. 115; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 50.

[2] Allegata a Lambertini (Benedicto XIV) in *folio* causæ *Elboren.*, 2 aug. 1721; *Thesaurus*, t. II, p. 67.

[3] *Thesaurus*, t. II, p. 65, 69.

[4] Giraldi, *Expositio*, etc., part. II, sect. XC, t. III, p. 937; — ita etiam Fagnan, in cap. *Cum secundum*, 16, *De præbendis et dignit.*, n. 50-60; — Lucidi, *De visitatione*, c. II, n. 75-77, t. I, p. 154.

potest subditum examini subjicere, ut decidit S. Congr., in cit. causa *Nullius*.

65. — Valor et cessatio litterarum dimissoriarum.

1° Cum concessio dimissoriarum sit *actus jurisdictionis*, validæ sunt hæ litteræ, modo concedens habeat jurisdictionem. Unde : 1. Episcopus (aut alius concedens dimissorias) valide dimissorias concedit, licet censuræ excommunicationis, suspensionis aut interdicti subjaceat, modo hæc censura non sit juridice denuntiata ; — 2. Item valide dimissorias concedit episcopus aut alius superior, licet inciderit in crimen hæresis aut schismatis, imo, juxta meliorem opinionem (de quo suo loco agitur), licet hoc crimen sit publicum, modo nondum lata fuerit sententia condemnatoria aut declaratoria.

2° Litteræ dimissoriæ *non cessant morte concedentis*. — Ratio est quia continent *gratiam factam* ordinando ; porro *gratia semel facta* non perit morte concedentis, licet nondum sit executioni tradita, ut definivit Bonifacius VIII cap. *Si super*, 9, De officio et potestate delegati, in VI ; quod caput agit quidem de gratiis a R. Pontifice concessis, sed applicari debet etiam gratiis ab aliis factis, ob regulam generalem Juris 16, in VI : « Decet concessum a principe beneficium esse mansurum. » Unde in hoc sensu non semel responderunt Congregationes Romanæ, v. g., S. Congr. Ep. et Reg., in *Oritan.*, 21 nov. 1600[1]. — Et ita communiter doctores[2].

3° Unde, si clerici, jam probati et examinati, se præparent ad ordinationem proximis quatuor temporibus recipiendam, et episcopus ægrotans deputaverit episco-

[1] Bizzarri, *Collectanea*, Romæ, 1885, p. 232.

[2] Hallier, *loc. cit.*, art. 11, n. 24, col. 1066 ; — Reiff., in tit. *De temp. ord.*, n. 139 ; — Giraldi, part. II, sect. c, p. 962.

pum quemdam ad hanc ordinationem sua vice faciendam, episcopus deputatus peragere potest ordinationem, licet episcopus proprius mortuus fuerit ante diem ordinationis. Ratio est quia hæc deputatio episcopi ordinaturi nihil aliud est quam *dimissoriæ collectivæ* clericis ordinandis concessæ, et proinde *gratia iisdem facta;* non enim agitur de gratia *facienda* clericis nondum cognitis, sed de *gratia facta* clericis certis et determinatis; unde hæc gratia, seu hæ dimissoriæ non cessant morte concedentis. — Attamen, si ordinatio facienda sit in diœcesi episcopi defuncti, episcopus ordinaturus tenebitur habere consensum vicarii capitularis, ex conc. Trid., cap. *Nulli,* 5, sess. VI, De ref. — In dicto casu, curandum est, ad vitandas difficultates, ut deputatio episcopi ordinaturi fiat in scriptis, vel saltem coram testibus.

4° Quod dictum est de *morte* concedentis dimissorias, dicendum est etiam de *depositione, translatione, renuntiatione,* uno verbo, de quovis modo quo cesset officium superioris dimittentis. Unde si agatur de vicario capitulari, dimissoriæ ab ipso concessæ non cessant per captam possessionem sedis, a novo episcopo peractam.

5° Dimissoriæ cessant, vel *per lapsum temporis,* si quod tempus in eis assignatum fuerit, vel per *revocationem* a legitimo superiore peractam.

66. — Jus speciale quoad dimissorias ultramontanorum in Italia ordinandorum.

1° Ut ultramontanus ordinari possit in Italia, nempe ab episcopis Italiæ, non sufficiunt dimissoriæ quæcumque proprii episcopi; sed insuper tria requiruntur : 1. Ut hæ dimissoriæ proprii episcopi dentur *in scriptis,* et contineant « causam rationabilem, quare ipsum nolit aut nequeat ordinare »; quod constat expresse cap. *Sæpe con-*

tingit, 1, De temporibus ordinationum, in VI; — 2. Ut hæ dimissoriæ recognoscantur et approbentur a nuntiis apostolicis, in quorum provincia sunt episcopi dimittentes; quod constat expresse Urbani VIII constitutione *Secretis*, 11 dec. 1624[1]; — 3. Ut subscriptiones nuntiorum recognoscantur et approbentur a card. Urbis vicario, licet non ab ipso ordinatio facienda sit; quod constat expresse eadem Urbani VIII constitutione *Secretis*. Quæ tria servanda sunt, licet ordinandi commorentur in collegiis aut seminariis Italiæ; lex enim non distinguit, unde in hoc sensu respondit S. Congr. Conc., in *Bononien.*, 15 martii 1692[2].

2° Cum non soleant hodie nuntii apostolici recognoscere dimissorias ordinandorum in Italia, ordinandi dispensationem in hac lege postulant a Sancta Sede, quæ remittit preces ad cardinalem Urbis vicarium; unde apud istum dimissoriæ recognoscuntur a testibus juratis, qui sint ejusdem gentis ac ordinandi, præsertim sacerdotibus, et negotiorum gestore (in Urbe) episcopi dimittentis[3].

3° Hæc non pertinent ad ultramontanos, qui, *ratione familiaritatis*, ordinentur ab episcopo italo, quia, ex dictis, hic est vere episcopus proprius, ratione ordinationis. Nec litteræ testimoniales episcopi originis vel domicilii, quæ hoc in casu requiruntur ad normam const. *Speculatores*[4], egent recognitione nuntiorum aut cardinalis vicarii, quia bulla Urbani non loquitur nisi de dimissoriis.

4° Vocabulum *Ultramontani* complectitur, juxta ipsum Urbanum VIII, in bulla *Secretis*, « Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, aliosque quoscumque ultramontanos,

[1] *Bull. Rom.*, t. v, part. 5, p. 289, vel apud Honorante, p. viii.
[2] Apud Monacelli, *Formularium*, tit. iii, form. 19, n. 3, t. i, p. 71.
[3] Sic usum exponit Honorante, c. x, not. 2, p. 105-106.
[4] Bulla *Speculatores*, § 6; *Bull. Rom.*, t. ix, p. 376.

et ex *quibusvis locis extra Italiam oriundos;* » non tamen complectitur eos qui sunt ex Sicilia, Sardinia, aliisque insulis Italiæ adjacentibus, qui proinde ordinari possunt in Italia solo servato jure communi. — Ratio est, ut ait Honorante, quia Romani Pontifices hos etiam solent exprimere (nempe Sicilianos, etc.), quando volunt eos suis constitutionibus obligatos; cum ergo Urbanus eos non memoret, signum est eum noluisse eos obligare, præsertim cum sit lex pœnalis et odiosa[1]. — Unde etiam, quia Siciliani, etc., Italis accensentur, ultramontani non videntur posse ordinari in Sicilia, etc., nisi servatis præfatis regulis : quod tamen non est clarum.

§ 2. De excorporatione et incorporatione.

67. — Notitia prævia. — Ante annum 1898, quo editum est a S. Congr. Concilii decretum *A primis*, de excardinatione et ordinatione clericorum, fiebant in multis locis, in Gallia, Germania, Italia, etc., et etiam Romæ, excardinationes et incardinationes clericorum. Clerici nempe aut laici, qui, ob varias causas, nolebant aut non poterant commorari in diœcesi originis aut domicilii paterni, petebant excorporationem e propria diœcesi et incorporationem alii diœcesi in qua deinde recipiebant ordines. Sed hic non deerant fraudes. Clerici enim aut laici quos proprius episcopus, ob justas causas, ordinare detrectabat, facile impetrabant excardinationem a propria diœcesi, et in aliam se recipiebant, in qua, minus noti, facilius promovebantur ad ordines, postea in suam reversuri diœcesim. Insuper graviter controversum erat, utrum laicus aut clericus, semel incardinatus novæ diœcesi, posset,

[1] Honorante, *loc. cit.*, not. 3, p. 106-107.

necne, recipere ordines a novo episcopo, non adimpletis condicionibus præscriptis in bulla *Speculatores*. In Gallia, omnino receptum erat, ut laicus aut clericus incardinatus posset, arbitrio novi episcopi, recipere ordines, non adimpletis præfatis condicionibus, et licet in litteris excorporationis nulla fieret mentio de potestate ordinandi facta novo episcopo. Ita etiam Romæ fiebat, ubi clericus incardinatus, postquam juraverat se Romæ deinceps commoraturum, statim habebatur uti idoneus ordinibus recipiendis[1]. Quidam vero tenebant clericum incardinatum nullo modo recipere posse ordines in nova diœcesi, nisi adimpleret præscripta bullæ *Speculatores*, vel nisi litteræ excorporationis continerent etiam expresse dimissorias[2]. Præfatum autem decretum *A primis* has diremit controversias, simulque præcavit fraudes, varias condiciones ad excorporationem statuendo.

68. — Varia requisita ad excorporationem et incorporationem. — Juxta hoc decretum *A primis*, 20 julii 1898[3], in quo S. Congregatio Concilii authentice interpretatur plura decreta conc. Trid., quæ referuntur ad episcopum proprium ratione ordinationis, varia requisita sunt, ut rite fiat excorporatio et subsequens incorporatio :

1° Ex parte ipsius *excorporationis*, duo requiruntur : 1. Ut fiat « justis de causis », quarum æstimatio relinquitur judicio episcopi excorporantis ; — 2. Ut fiat « absolute et in perpetuum », id est sine ulla restrictione quoad

[1] Quod testatur Avanzini, *Acta S. Sedis*, t. VI, p. 497, not. 1 ; unde etiam hic, scribens an. 1871, dicit *incardinationem* esse novum titulum sortiendi episcopum proprium ratione ordinationis, *ibid.*

[2] Ita scriptor periodici *Il Monitore ecclesiastico*, t. VIII, part. 2, p. 274-276 ; ita etiam Gasparri, *De sacra ordinatione*, n. 864, 891, t. II, p. 126, 141.

[3] *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 49-51, vel *Canoniste*, t. XXI, an. 1898, p. 678. — Hoc decretum habes ad calcem hujus voluminis, *Documentum V*.

res aut quoad tempus, ita ut vinculum subjectionis cum diœcesi *a qua* sit plene solutum. — Ita in præfato *decreto*, n. 1 et 3. — Notandum est istam excorporationem nullum effectum sortiri, « nisi incardinatione in alia diœcesi executioni demandata, » ut legitur in *decreto*, n. 1.

2° Ex parte *incardinationis*, quatuor requiruntur : 1. Ante incardinationem, ut episcopo incardinaturo « ex legitimo documento constiterit alienum clericum *a sua diœcesi fuisse in perpetuum dimissum*, et obtenta insuper fuerint ab episcopo dimittente, sub secreto si opus sit, de ejus *natalibus*, *vita*, *moribus* ac *studiis*, *opportuna testimonia* » ; — 2. Ut clericus incardinandus præstet *juramentum* « ad instar illius quod constitutio *Speculatores* pro domicilio acquirendo præscribit » ; — 3. Ut incardinatio fiat *in scriptis* ; — 4. Ut fiat « *absolute* et *in perpetuum*, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus ». — Ita in *decreto*, n. 2 et 3.

3° Ex parte *subditi* : 1. Si subditus sit *ejusdem nationis et linguæ* ac episcopus incardinaturus, sufficiunt quæ dicta sunt ; — 2. Si agatur de clericis *diversæ linguæ et nationis*, « oportet ut episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac nunquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint, *secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem*, onerata super hoc graviter episcoporum conscientia. » — Ita in *decreto*, n. 5.

69. — Effectus incorporationis. — Duo præcipui sunt effectus incorporationis :

1° Ut clericus, solutus ab omni vinculo cum diœcesi *a qua*, omnino mancipetur diœcesi *ad quam*, ita ut ad hanc novam diœcesim pertineat, eodem prorsus modo quo clerici qui sunt in hac diœcesi nati aut domiciliati, cum iisdem

proinde juribus et oneribus. — Ita passim traditur aut supponitur in *decreto*.

2° Ut, quod pertinet ad *auctoritatem* et *competentiam* novi episcopi, possit clericus, etiam statim, promoveri ad ordines, non adimpletis præscriptionibus bullæ *Speculatores*. — Ita jam fiebat, ut dictum est, in Gallia et alibi, et nunc fieri ubique potest ex præfato decreto, quod decernit, n. 4 : « Hac ratione adscriptos *posse* quidem *ad ordines promoveri*. » — Verumtamen, quod pertinet ad *probationem* novi clerici, cum magna prudentia agendum est; unde, *ibid.*, pergit *decretum* : « Cum tamen nemini sint cito manus imponendæ, officii sui noverint esse episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut nullus debet ordinari qui judicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, ut in cap. 16, sess. XXIII, De ref., Tridentinum statuit, ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate diœcesis. »

70. — Quæritur : 1° *Quodnam juramentum emittendum sit a subdito incardinando.*

Resp. : Juxta *decretum*, n. 2, juramentum emitti debet « ad instar illius quod constitutio *Speculatores* pro domicilio acquirendo præscribit » ; juxta autem bullam *Speculatores* (cf. supra, n. **33**), qui ordinandus est ab episcopo proprio *ratione domicilii*, debet habere animum perpetuo permanendi in diœcesi hujus episcopi, et jurare « se vere et realiter animum hujusmodi habere ». Porro sæpe eveniet ut clericus incardinandus non possit hujusmodi juramentum emittere, quia nondum domicilium fixit

in nova diœcesi, et parentes ejus, quorum domicilii particeps est, adhuc in priori diœcesi, vel alibi, commorantur. Et revera tale juramentum non exigitur, cum præcipiatur tantummodo juramentum *ad instar illius*, etc. — Unde sufficit ut novus subditus jurejurando affirmet se per totam vitam suam permansurum esse sub jurisdictione novi episcopi, et, sub ejus directione, labores suos impensurum in servitio diœcesis. — Ubi duo notanda : 1. Licet novus subditus omnia onera contrahat, quibus adstringuntur ceteri subditi diœcesis, non tamen majora contrahit ; unde, sicut subditi possunt, *cum licentia sui episcopi*, operam suam navare ad tempus alii diœcesi, vel ingredi aliquam congregationem, sic profecto poterit novus subditus ; juramentum enim ejus non tollit nec minuit potestatem episcopi ; — 2. Imo, sicut ceteri subditi possunt ingredi ordinem regularem, licet ab episcopo petitam licentiam non impetrent, sic et novus subditus ; non enim intendit se subjicere novo episcopo, nisi juxta leges canonicas.

71. — Quæritur : 2° *Num laicus excorporari possit.* *Resp. :* Decretum, n. 6, declarat : « Denique quoad *laicos*, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus const. *Speculatores*, etc. » Unde quidam dicunt laicos non posse excorporari, ita ut, si nolint aut nequeant recipere ordines in propria diœcesi, non possint eos in alia recipere, nisi postquam ibi satisfecerint præscriptionibus bullæ *Speculatores*, v. g., acquirendo ibi domicilium[1]. — Verum omnino improbabile est hunc esse sensum *decreti*, tum quia in se nihil magis impedit laicum excorporari

[1] Ita doctissimus scriptor periodici *Il Monitore eccl.*, t. x, part. 2, p. 137.

quam clericum; tum quia nulla ratio specialis urget ne laicus excorporetur; tum quia valde curiosum esset non posse subditum e diœcesi dimitti, nisi postquam receperit clericalem tonsuram, per quam novum vinculum contrahit cum ista diœcesi. Unde potius dicendum est hunc esse sensum *decreti*, nempe : Denique quoad laicos (aut etiam quoad clericos) *qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt*, etc., ita ut hæc verba, *qui nequeunt vel nolunt*, etc., cadant tam super laicos quam super clericos. — Ceterum *usus* est *immemorialis* in Gallia et præsertim hic Parisiis, ut etiam laici excorporentur; porro *decretum* non tollit expresse consuetudines contrarias; ergo hæ consuetudines, ceteroquin rationabiles et legitime præscriptæ, dici debent, vi cap. *Licet*, 1, De constitutionibus, in VI, adhuc valere. — Si quis tamen tantum dicat, non posse laicum excorporari, quia revera non est de *corpore cleri diœcesani*, et ideo episcopus nullum habet, quod exerceat, *jus clericale* super ipsum, non contradixerim, modo simul admittatur posse episcopum renuntiare, in favorem alterius episcopi, juri, quod habet, laicum illum promovendi ad tonsuram et ordines.

CAPUT V

DE SUBJECTO ORDINATIONIS

§ 1. De subjecto, quoad validam ordinationem.

I. De feminis

72. — Notitia historica de diaconissis [1].

1° *Origo historica diaconissarum.* — I. S. Paulus (Rom., xvi, 1) commendat Romanis Phœben, « quæ est *in ministerio ecclesiæ* quæ est in Cenchris (οὖσαν διάκονον τῆς ἐκκλησίας...) » Plinius, lib. X,

[1] Cf. Morin, *De sacris Ecclesiæ ordinationibus,* part. III, exercit. x, Antuerpiæ, 1695, p. 143-151; — Thomassin, *Discipline de l'Église,* part. I, liv. III, c. l-liii, Bar-le-Duc, 1865, t. iii, p. 169 sq.; — Martène, *De antiquis Eccl. ritibus,* lib. II, c. vii, Bassani, 1788, t. ii, p. 198 sq.; — Bona, *Rerum liturg.,* lib. I, c. xxv, § 15, Augustæ Taurinorum, 1749, t. ii, p. 352; — Bingham, *Origines ecclesiasticæ,* lib. II, c. xxii, Halæ, 1751, t. i, p. 351 sq.; — Assemani, *Bibliotheca orientalis,* t. ii, diss. *De monophysitis,* § 10 (sine numero paginarum); t. iii, part. II, diss. *De syris Nestorianis,* § 10, p. dcccxlvii-dccclvi, Romæ, 1721, 1728; — Goar, *Rituale Græcorum,* tit. *De diaconissis,* p. 262-267; cf. etiam p. 14, Lutetiæ Parisiorum, 1647; — J. Pinius, *De Ecclesiæ diaconissis,* apud *Acta sanctorum,* sept. t. i, Antuerpiæ, 1746, p. i-xxviii; — Hallier, *De sacris electionibus,* part. II, sect. iv, c. ii, n. 14-20, ed. Migne, col. 830 sq.; — Juveninus, *De sacramentis,* diss. IX, q. v, Lugduni, 1696, p. 930; — Lamy, *De Syrorum fide et disciplina,* Lovanii, 1859, p. 202-206; — Rahmani, *Testamentum D. N. J. C.,* Moguntiæ, 1899, p. 163-166; — Binterim, *Denkwürdigkeiten der christ-katholischen Kirche,* part. I, sect. ii, c. i, § 6, Mainz, 1825, t. i, p. 434-455; — Wordsworth, *The ministry of grace,* c. v, 2, London, 1903, p. 276-282.

epist. XCVII, *Ad Trajanum*, memorat duas ancillas christianas, « quæ *ministræ* dicebantur[1]. » Sæpius deinde memorantur diaconissæ, v. g., in *Didascalia*, in *Testamento D. N. J. C.*, in *Constitutionibus Apostolorum*, locis infra referendis; — 2. Verum, nisi male confundas *diaconissas* cum *viduis*, prima initia diaconissarum parum sunt conspicua. Inter enim feminas Deo sacratas, Ecclesia ineunte, primum locum obtinent, ratione dignitatis et officiorum, *viduæ*, quas jam S. Paulus memorat tanquam *ordinem*, seu *collegium ecclesiasticum* constituentes (I Tim., v, 9 sq.). Primævam hac in re disciplinam nobis exhibet *Testamentum D. N. J. C.*[2]; juxta hoc documentum, viduæ speciali ritu benedicuntur ab episcopo[3], locum tenent inter diaconos et clericos inferiores[4], invigilant et inquirunt super diaconissas[5], assistunt mulieribus dum baptizantur, easque ungunt[6], etc.; econtra, diaconissæ non benedicuntur ab episcopo, humiliorem locum tenent, in sacra liturgia nominantur post hypodiaconos[7], imo non percipiunt sacram communionem nisi post viros laicos, dum viduæ eam percipiunt post diaconos[8]; insuper diaconissæ non assistunt mulieribus baptizandis; deferunt tamen sacram communionem mulieribus, sed tantum prægnantibus et nocte Paschæ, nam alias hoc munus pertinet ad diaconum[9]. Unde etiam solæ viduæ (χῆραι) memorantur in epistolis Ignatii et Polycarpi et in sic dictis *Canonibus ecclesiasticis Apostolorum*[10]; — 3. Paulatim vero imminuta sunt dignitas

[1] Ed. Lemaire, Parisiis, 1823, t. II, p. 200.

[2] Licet hic liber, quoad definitivam compilationem, forsan rejiciendus sit (ut Funk opinatur) in sæculum V, attamen, quoad plures partes, et præcipue quoad rem de qua agimus, antiquius ævum redolet, et facile ascribendus est sæculo II desinenti; Rahmani, *loc. cit.*, p. XLV.

[3] Lib. I, c. XLI, Rahmani, p. 99.

[4] Lib. I, c. XXIII, p. 37.

[5] Lib. I, c. XL, p. 97.

[6] Lib. II, c. VIII, p. 129; cf. etiam de his omnibus, *ibid.*, p. 163 sq.

[7] Lib. I, c. XXIII, p. 37.

[8] Lib. I, c. XXIII, p. 47.

[9] Lib. II, c. XX, p. 141, 143; cf. *ibid.*, p. 165, et prolegomena, p. XLIII.

[10] Ignatius, *Ad Smyrn.*, XIII, 1, ed. Funk, p. 245; *Ad Polyc.*, IV, 1, *ibid.*, p. 249; — Polycarpus, IV, 3, p. 271; — *Can. eccl.*, c. 21, 24, 28, ed. Funk. Tubingæ, 1887, p. 67, 69.

et officia viduarum, creverunt vero diaconissarum; hanc mutationem jam exhibet *Didascalia*[1], sed præsertim *Constitutiones apostolicæ*, ubi videmus diaconissas *ordinari* (χειροτονία)[2], non vero viduas, quæ dicuntur expresse *non ordinari*, sed tantum *cooptari in gradum seu ordinem vidualem* (κατατάσσεσθαι εἰς τὸ χηρικόν)[3], imo quæ *jubentur obedire diaconissis*[4]; — 4. In Ecclesia latina, serius apparent *diaconissæ;* Cornelius, qui in sua epistola ad Fabium Antiochenum, describit omnes cleri et Ecclesiæ Romanæ ordines, et expresse memorat *viduas*[5], nihil habet de *diaconissis;* duo loca Tertulliani, quæ afferunt Morinus[6] aliique, ut demonstrent tunc esse jam *ordinationem* diaconissarum, non exhibent nisi lectiones dubias[7]; concilium Carthaginense III (an. 397), quod memorat omnes ordines cleri et Ecclesiæ, cum *viduis* et *virginibus* (can. 4, 25)[8], tacet omnino *diaconissas;* primum memorant *diaconissas* et earum *ordinationem* concilia sæculorum v et vi, ut infra dicetur[9].

2° *Ordinatio diaconissarum.*

A. Pro Ecclesia Orientali, describitur hæc ordinatio in duobus antiquissimis manuscriptis græcis (sæc. ix et x), quæ edidit Morinus, et in tertio recentiore ab eodem edito[10]. His autem attentis, simillima est ordinatio diaconissæ ordinationi diaconi : vocatur

[1] *Didascalie,* c. xvi (trad. Nau), Paris, 1902, p. 93-94. Hoc documentum refertur ad initia sæculi iii.

[2] *Const. apost.,* lib. VIII, c. xix, xx; Migne, *P. G.,* t. i, col. 1115.

[3] *Ibid.,* lib. VIII, c. xxv, col. 1122; forsan cooptabantur aliqua *benedictione,* juxta antiquam disciplinam, sed non *ordinatione.*

[4] *Ibid.,* lib. III, c. vii, col. 779.

[5] Euseb., *H. E.,* lib. VI, c. xliii; Migne, *P. G.,* t. xx, col. 622.

[6] *Loc. cit.,* c. ii, n. 6, p. 146.

[7] In loco priori, *Ad uxorem,* lib. I, c. vii (« adlegi in *ordinationem* »), legitur in pluribus codd. « adlegi in *ordinem* », in ordinem nempe seu collegium viduarum, Migne, t. i, col. 1286; in loco altero, *De exhortatione castitatis,* c. xiii (« *ordinari* in ecclesia solent »), legitur in pluribus codd. « in *ordinibus ecclesiasticis* », Migne, *P. L.,* t. ii, col. 930.

[8] Bruns, *Concilia,* t. i, p. 123, 126.

[9] In *Statutis Ecclesiæ antiquis,* c. xii, memorantur « Viduæ, vel sanctimoniales, quæ ad *ministerium baptizandarum mulierum eliguntur* »; hæc verba, ex se, sonant tantum aliquam deputationem sine ullo ritu sacro.

[10] *Loc. cit.,* part. II, p. 56, 65, 80; — cf. etiam Goar, *loc. cit.;* — pro ordinatione diaconissarum apud Syros, cf. Assemani, *loc. cit.*

eodem nomine (χειροτονία, χειροθεσία); utraque ad altare ab episcopo perficitur, et eodem liturgiæ loco; in utraque manum imponit episcopus, et oratio (quam vocamus *formam*) quam recitat in ordinatione diaconissæ continet, sicut oratio diaconi, invocationem Spiritus Sancti : « Eamque (ordinandam) advoca *ad opus ministerii tui*, et *immitte in eam divitem et abundantem donationem Sancti tui Spiritus*, » et infra : « Largire *gratiam tui Sancti Spiritus* et huic ancillæ tuæ... ; » in utraque ordinatione, collo stola apponitur; in altari ordinatus et ordinata recipiunt communionem; calix sanguinis Christi in utriusque manus ad sumptionem traditur. — Concilium Nicænum, can. 19, et concilium Calcedonense, can. 15, adhibent, pro inauguratione diaconissarum, vocabula χειροθεσία, χειροτονεῖσθαι [1].

B. Pro Ecclesia Occidentali, *Ordo Romanus IX* (a Mabillonio editus [2]), qui describit omnes *ordinationes* Ecclesiæ Romanæ, indicat tantum, n. 3, ordinationem diaconissarum : « Similiter etiam (procedunt ad ecclesiam) feminæ diaconissæ et presbyterissæ, *quæ eodem die benedicuntur.* » *Ordo* autem *Romanus* Vulgatus (ab Hittorpio editus [3]) describit ordinationem diaconissæ, quæ accurate distinguitur a consecratione virginis et viduæ; celebratur « missa ad consecrandam diaconam »; post *Graduale* et *Alleluia*, ordinanda prosternitur, cantatur litania, episcopus invocat super eam gratiam Spiritus Sancti, et imponit orarium seu stolam collo ejus; nulla tamen mentio fit de impositione manus super caput ejus [4].

3° *Requisita varia in ordinandis.* — 1. Diaconissæ solebant eligi vel ex virginibus, vel ex viduis Deo sacratis, ut legitur in

[1] Bruns, *Conc.*, t. I, p. 19, 29; — concilium Nicænum, dicto can. 19, distinguit inter diaconissas jam ordinatas, et illas quæ nondum habent, quacumque de causa, manuum impositionem, χειροθεσίαν. Priores habet ut *canoni* ecclesiæ inscriptas et quasi *de clero;* posteriores, ut mere *laicas*. Hæc est genuina interpretatio hujus canonis; ita Morin, *loc. cit.*, c. II, n. 13-16, p. 148; — Arcudius, *De concordia Eccl. occid. et orient.*, lib. VI, c. X, Parisiis, 1626, p. 473.

[2] Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 1003 sq.

[3] Refert disciplinam sæculi IX, et forsan anteriorem.

[4] Hittorpius, *Ordo Romanus* (editus initio operis ejus *De divinis officiis*), tit. *Ordo ad diaconam faciendam*, Coloniæ, 1568, p. 144.

Const. Apost., lib. VI, c. XVII [1]; attamen eligi poterant etiam ex uxoribus episcoporum, quæ in utraque Ecclesia ad continentiam tenebantur [2], vel ex uxoribus presbyterorum aut diaconorum, apud Latinos [3]; — 2. Non quælibet vidua apta erat diaconatui, sed tantum *univira;* verba enim D. Pauli (I Tim., v, 9) : « Unius viri uxor, » intellexit Ecclesia a fortiori de *diaconissis* [4]; unde *Const. Apost.*, lib. VI, c. XVII, dicunt : « Diaconissa vero eligatur virgo pudica; sin minus, *saltem vidua unius quondam viri uxor* [5]. » Ita etiam Epiphanius, *Expositio fidei*, n. 21 : « Illæ quidem *univiræ* et continentes esse debent, etc. [6]; » — 3. Quoad *ætatem*, D. Paulus, *loc. cit.*, requirit pro *viduis* 60 annos, quod multi intellexerunt etiam de *diaconissis;* Theodosius imperator, lege lata an. 390, pro his requirit 60 annos [7]; concilium Calcedonense, cit. can. 15, reducit ad 40 annos; Justinianus, *Novella* 6, c. VI, requirit « circa quinquaginta annos »; *Novella* autem 123, c. XIII, satis habet *annos quadraginta;* tandem concilium *in Trullo*, can. 14, ætatem determinat *quadraginta annorum* [8]. — 4. Quoad *probationem* et *virtutes*, Ecclesia semper intellexit de diaconissis verba D. Pauli de viduis, *loc. cit.* : « In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit..., si omne opus bonum subsecuta est. » Unde concilium Calcedonense, cit. can. 15, non vult ordinari diaconissam, nisi *post accuratam probationem.* — Prætermitto plura requisita vi legum imperialium, de quibus vide commentaria Gothofredi in dictam legem Theodosianam [9].

4° *Varia officia diaconissarum.* — Officia diaconissarum erant ut sequitur : 1. Assistebant mulieribus, dum baptizabantur, ad

[1] Migne, *P. G.*, t. I, col. 958.

[2] Cf. Conc. *in Trullo*, an. 692, can. 48; Bruns, t. I, p. 52.

[3] Cf. Morin, *loc. cit.*, c. II, n. 4, p. 146.

[4] Imo non pauci putaverunt *viduas*, de quibus loquitur apostolus, esse ipsasmet *diaconissas*, hoc nomine tunc vocatas, cf. Hallier, *loc. cit.*, n. 25 sq., col. 837; quod tamen mihi minus probabile est.

[5] Migne, *P. G.*, t. I, col. 958.

[6] Migne, *P. G.*, t. XLII, col. 826.

[7] L. *Nulla*, 27, cod. Theod., lib. XXVII, tit. II, ed. Ritter, t. VI, p. 59.

[8] Bruns, *Conc.*, t. I, p. 42.

[9] Cod. Theod., ed. Ritter, *loc. cit.*, t. VI, p. 60-63.

consulendum earum pudori et morum honestati; Epiphanius, *Hæres.* LXXIX, n. 3; *Expositio fidei*, n. 21 [1]; — 2. Ungebant oleo sancto feminas, intra ritus baptismi, juxta consuetudinem Ecclesiæ Orientalis; *Constit. Apost.*, lib. III, c. XV [2]; — 3. Privatim docebant catechumenas, ubi opus esset; pseudo-Hieronymus, *In epist. B. Pauli ad Rom.*, c. XVI, vers. 1 [3]; *Statuta Ecclesiæ antiqua*, c. XII [4]; — 4. Ministrabant mulieribus infirmis, vel alia necessitate laborantibus; *Const. Apost.*, lib. III, c. XV, XIX [5]; — 5. Præerant viduis, comitabantur honestatis causa mulieres volentes alloqui episcopum, diaconum, etc., aliaque id genus; *Const. Apost.*, lib. II, c. XXVI, LVIII; lib. III, c. VII [6]; — 6. Custodiebant portas, per quas mulieres in ecclesiam introibant, saltem quando hæ portæ diversæ erant a portis virorum; *Const. Apost.*, lib. II, c. LVII; lib. VIII, c. XXVIII [7]; pseudo-Ignatius, *Ad Antiochenos*, c. XII, n. 2 [8]. — Hæc quidem officia diaconissarum erant passim in tota Ecclesia [9]; sed, apud Syros monophysitas, alia quædam, præter supradicta, eisdem commissa erant: 1. Curabant et lavabant sacram supellectilem; Joannes Telensis, *Resolutiones canonicæ*, c. XXXVI [10]; — 2. In monasteriis sororum, ubi non erat diaconus neque presbyter, accipere poterant sacramentum ex theca in qua reconditum erat, illudque distribuere tum sororibus monialibus, tum puerulis infra quintum annum; Jacobus Edessenus, *Resolutiones canonicæ*, c. XXIV [11]; Joan. Telensis,

[1] Migne, *P. G.*, t. XLII, col. 743, 826.
[2] Migne, *ibid.*, t. I, col. 795.
[3] Migne, *P. L.*, t. XXX, col. 714.
[4] Bruns, *Conc.*, t. I, p. 142.
[5] Migne, *P. G.*, t. I, col. 794, 802.
[6] Migne, *ibid.*, col. 667, 742, 779.
[7] Migne, *ibid.*, col. 730, 1126.
[8] Funk, *Opera patrum apostolic.*, Tubingæ, 1881, t. II, p. 171.
[9] Cf. etiam *Notas* Cotelerii in *Const. Apost.*, lib. III, c. XV, apud Migne, *loc. cit.*, not. 86, col. 795.
[10] Primo editæ a D. Lamy, *Dissertatio de Syrorum fide*, Lovanii, 1859, p. 89; cf. p. 91; — cf. versionem gallicam Nau, ex textu syriaco, in *Canoniste*, t. XXVI, an. 1903, p. 417.
[11] Lamy, *loc. cit.*, p. 127; — hic canon Jac. Edesseni relatus est in *Pontificali* Jacobitarum seu Monophysitarum, teste Assemani, *Bib. orient.*, t. II, *De monophysitis*, § 10 (sine numero paginarum).

Res. can., c. XXXIII [1]; — 3. Poterant, cum licentia episcopi, infundere vinum et aquam in calicem; Joan. Telensis, *Res. can.*, c. XXXVIII [2]; — 4. Poterant etiam, absentibus presbytero et diacono, verrere altare, et lampades in sanctuario accendere; Jac. Edessenus, *Res. can.*, cit. c. XXIV [3].

5° *Quo tempore desierint diaconissæ.* — 1. In patriarchatu Antiocheno, tempore Balsamonis, patriarchæ Antiocheni (def. circa an. 1214), desierant diaconissæ, ut ipse testatur *In can. 15 conc. Calced.* : « Diaconissa hodie non ordinatur, etiamsi quædam ascetriæ abusive diaconissæ dicantur [4]; » — 2. In patriarchatu Constantinopolitano, adhuc eodem tempore constituebantur diaconissæ, sed, propter incommoda muliebria, ab altari remotæ erant, teste eodem Balsamone, *Responsa ad Interrogationes Marci*, resp. 35 [5]; — 3. In Ecclesia Syriaca, diutius duravit ordo diaconissarum [6]; imo apud Maronitas adhuc hodie perdurat, valde tamen restrictus; juxta enim conc. Montis Libani, an. 1736, diaconissæ non amplius reperiuntur nisi in monasteriis, quarum abbatissæ ordinantur in diaconas, et diaconissarum munia exercent erga solas moniales sibi subditas, excepta tamen distributione eucharistiæ (etiam absentibus presbytero et diacono); licet tamen episcopo ordinare diaconissas, ex necessitate, ad officia varia circa mulieres [7]; — 4. In Gallia, saltem in partibus ultra Ligerim ad meridiem, vix extitere diaconissæ; nam serius illuc invectæ, cito desierunt; concilium Arausicanum I (an. 441), can. 26, vetat ordinari diaconissas : « *Diaconæ* omnimodis non

[1] Lamy, *loc. cit.*, p. 87; vel in *Canoniste, loc. cit.*, p. 416.

[2] *Ibid.*, p. 89; vel in *Canoniste, loc. cit.*, p. 417.

[3] *Ibid.*, p. 127. — Resolutiones canonicas Joannis, episcopi Telensis (def. an. 519) et Jacobi Edesseni (def. an. 710), aliasque hujus generis, quæ respiciunt diaconissas apud monophysitas, in extenso retulit Bar-Hebræus (def. an. 1286) in suo *Nomocanone*, c. VII, sect. VII (cujus latinam versionem, ab Aloysio Assemani factam, primo edidit Maï, *Scriptorum veterum nova collectio*, Romæ, 1838, t. X, part. 2, p. 4-268).

[4] Migne, *P. G.*, t. CXXXVII, col. 442.

[5] Migne, *P. G.*, t. CXXXVIII, col. 987.

[6] Cf. Assemani, *Bibl. orient.*, t. III, part. 2, p. DCCCLI.

[7] Conc. Montis Libani, part. III, c. II, n. 5; *Collectio Lac.*, t. II, col. 272.

ordinandæ [1]; » — conc. Epaonense, sub Avito Viennensi (an. 517), can. 21, ait : « Viduarum consecrationem, quas *diaconas* vocitant, ab omni regione nostra penitus abrogamus [2]; » — quod conc. Aurelianense II (an. 533) extendit ad omnes feminas, etiam proinde virgines, can. 17, 18 [3]; — quos omnes canones, præsertim Epaonenses, suscepit conc. Turonicum II (an. 567), can. 20 [4]; — 5. In ceteris autem partibus Ecclesiæ Latinæ, diutius duravit ordo diaconissarum; nam : *a.* Præter *Ordinem Romanum* Vulgatum, supra citatum (p. 179), *Liber Pontificalis, Vita Leonis III,* n. 19 [5], memorat *diaconissas* cum sanctimonialibus; — *b.* Concilium Wormatiense (an. 868), can. 73 [6], jubet diaconissam non ordinari ante annum quadragesimum, fere referens canonem 15 Calcedonensem [7]; — *c.* Joannes XIX (1024-1033) concedit episcopo Silvæ Candidæ facultatem celebrandi, in basilica Vaticana, in certis adjunctis, « consecrationes altarium, sacerdotum, clericorum, diaconorum, seu *diaconissarum* totius civitatis Leonianæ... [8]; » — 6. Cum autem Hugo a S. Victore (def. an. 1140), et Petrus Lombardus, Gratiano coætaneus, qui accurate descripserunt quidquid refertur ad ordines ecclesiasticos et ad quaslibet consecrationes seu benedictiones, non memorent benedictionem aut ordinationem diaconissarum, signum est apertum illas hoc sæculo non amplius extitisse. Revera tunc temporis, baptismus solebat parvulis conferri, adultis rarissime, desieratque fere ubique in Ecclesia Latina baptismus per immersionem; unde, ut notat Juveninus [9], sine ullo concilii decreto, et quasi ex rerum natura, sensim sine sensu desierunt diaconissæ.

[1] Bruns, *Conc.,* t. II, p. 126.
[2] *Ibid.,* p. 170.
[3] *Ibid.,* p. 186-187.
[4] *Ibid.,* p. 232.
[5] Ed. Duchesne, t. II, p. 6; quidam tamen dicunt hic memorari *uxores diaconorum,* quod mihi minus probabile est.
[6] Mansi, *Concilia,* t. XV, col. 882.
[7] Memoratur etiam diaconissa in *additionibus* ad *Capitularia* regum Francorum, additio tertia, n. 78; *Capitularia,* ed. Baluze, t. I, col. 1171.
[8] Migne, *P. L.,* t. LXXVIII, col. 1056.
[9] *Loc. cit.,* diss. IX, q. V, c. II, p. 931.

His ergo dictis de ordinatione et officiis diaconissarum, facilius intelligemus quæ sequuntur de incapacitate mulierum ad ordines.

73. — Feminæ, jure divino, prorsus sunt incapaces sacerdotii. — Per *sacerdotium* hic intelligimus potissimum *potestatem offerendi sacrificium*, quale hoc Christus instituit.

1° Quidam hæretici contenderunt feminas idoneas esse sacerdotio et sacrificio; sic :

a. Pepuziani, seu *Quintilliani*, teste Epiphanio[1]. Hæc erat secta quædam ex Montanistis, ab oppido quodam, Pepuza, in Phrygia, dicti : « Apud eosdem, ait Epiphanius, mulieres episcopi sunt et presbyteri, et ad ceteros gradus alleguntur, nullum ut sexus discrimen servetur. Nam *in Christo Jesu neque mas est neque femina* (Gal., III, 28). » Vocabantur etiam *Artotyritæ*, quia in sacrificio, ad panem caseum, τυρόν, adhibebant. — Hos etiam memorat Augustinus, in opusculo *De hæresibus*, n. 27[2]; item, sub nomine Cataphrygarum (quia in Phrygia potissimum delirabant), eos etiam memorat Ambrosiaster, seu auctor *Commentariorum* (S. Ambrosio diu tributorum) *in Epistolas D. Pauli*, I Tim., III, 11[3].

b. Marcus magus, et ejus discipuli, teste Irenæo[4]. Hic enim munus sacrificii, sanctique calicis oblationem committere solebat mulieribus, quas suis magiis dementarat. — Hos etiam memorat Epiphanius, Irenæi verbis exscriptis[5].

c. Collyridiani, secta quædam in Arabia, in qua mulie-

[1] *Hæres.*, XLIX, n. 2-3; Migne, *P. G.*, t. XLI, col. 882.
[2] Migne, *P. L.*, t. XLII, col. 30.
[3] Migne, *P. L.*, t. XVII, col. 470.
[4] *Adversus hæreses*, lib. I, c. XIII, n. 2; Migne, *P. G.*, t. VII, col. 579.
[5] Epiphanius, *Hæres.*, XXXIV, n. 2; Migne, *P. G.*, t. XLI, col. 583 sq.

res, teste Epiphanio[1], sacrificium in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ offerebant.

2° *Demonstratur propositio :*

A. *Præceptis D. Pauli;* ait enim I Cor., XIV, 34-35 : « *Mulieres in ecclesiis taceant;* non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit[2]. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; *turpe est enim mulieri loqui in ecclesia;* » et I Tim., II, 11 sq. : « Mulier *in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto*, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eva... » Ergo : 1. Nullo modo mulieri permittitur loqui in ecclesia, non tantum ut doceat, sed ne quidem ut interroget ad discendum; ergo multo magis arcetur ab illa locutione maxime publica et maxime solemni, quæ essentialiter inest ipsi celebrationi et oblationi sancti sacrificii, in qua sacerdos loquitur ad Deum, nomine omnium, præmissis variis monitionibus, et hortationibus ad populum; — 2. Nullo modo mulieri permittitur præesse in ecclesia, sed esse debet *subdita* et *in omni subjectione;* ergo multo magis arcetur ab ipsa celebratione sacrificii, quæ, cum fiat nomine omnium et pro omnibus, essentialiter includit præeminentiam. — Ergo jure divino, maxime consentaneo juri naturali quo mulier viro subest, arcentur mulieres a sacerdotio et sacrificio.

B. *Traditione Ecclesiæ.* — *a.* Irenæus, Epiphanius, Augustinus, aliique, præfatos Pepuzianos, Marcosianos et Collyridianos, qui feminas sacerdotii et sacrificii capaces prædicant, habent ut *hæreticos*, et eorum opinationes *inter hæreses* computant; eos Epiphanius exagitat

[1] Epiphanius, *Hæres.*, LXXIX; Migne, *P. G.*, t. XLII, col. 739 sq.

[2] Alludit ad verba *Genesis*, III, 16 : « Et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. »

supra relatis D. Pauli textibus[1]; Cataphrygas *hæreticos* expresse vocat *Ambrosiaster*[2]; ergo, juxta hos doctores, non tantum contra disciplinam peccant hi hæretici, sed etiam contra jus divinum; — *b.* Tertullianus (*De Præscriptionibus*, c. XLI) ait : « Ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere[3]; » et, jam Montanista factus (*De virginibus velandis*, c. IX) : « Non permittitur mulieri in ecclesia *loqui*, sed nec *docere*, nec *tingere*, nec *offerre*, nec *ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii, sortem vindicare*[4]; » quod deinde asserit nec virgini licere; — *c.* Nunquam et nusquam in Ecclesia, si excipias præfatos hæreticos, facta est mulieri potestas offerendi sacrificium; sacerdotium femineum semper habitum est ut *pagana impietas*, quod jam notant *Const. apostolicæ*, lib. III, c. IX : « Quod si in præcedentibus non permisimus feminis docere, *quo pacto quispiam præter naturam eis fungi sacerdotio concedet? Nam deabus feminis sacerdotissas creare gentilis impietatis erratum est*[5]. » — Hanc ecclesiasticam traditionem jam suo tempore sic perstringebat S. Epiphanius : « Illud vero diligenter observandum est, *solum diaconissarum officium* ad ecclesiasticum ordinem necessarium fuisse, ac viduas quidem nominatim expressas, et inter illas, quæ anus essent, presbytidas (πρεσβύτιδας) vocatas, *nunquam presbyteridas* (πρεσβυτερίδας) *aut sacerdotissas esse factas*. Nam neque diaconis quidem ipsis ullum in ecclesiastico ordine sacra-

[1] *Hæres.*, XLIX; n. 3, Migne, *P. G.*, t. XLI, col. 882; — *Hæres.*, LXXIX; *ibid.*, t. XLII, col. 742 sq.

[2] *Loc. cit.*, Migne, *P. L.*, t. XVII, col. 470.

[3] *Tingere*, nempe baptizare; apud Migne, *P. L.*, t. II, col. 56. Procul dubio alludit Tertullianus ad sectam montanisticam Pepuzianorum.

[4] Migne, *P. L.*, t. II, col. 901-902.

[5] Migne, *P. G.*, t. I, col. 783-786.

mentum perficere conceditur[1]... ; » — *d.* Profecto, si per jus divinum licuisset feminis sacerdotio fungi, sacrificiumque offerre, ad tantam dignitatem evectæ fuissent tot sanctæ mulieres quas memorat Evangelium, et præsertim beatissima Virgo Maria : quod argumentum jam urgent *Const. apostol., loc. cit.*, et præsertim S. Epiphanius[2].

3° *Solvitur difficultas* ex vocabulis *episcopa*, *presbytera*, etc., quæ aliquando occurrunt in documentis antiquis : 1. Sæpissime hæc vocabula designant *uxorem* episcopi, presbyteri, etc. Sic in concilio Turonensi II (an. 567), can. 13, ubi dicitur : « Episcopum, *episcopam* non habentem, nulla sequatur turba mulierum, » et can. 19, in quo fertur pœna excommunicationis, « si inventus fuerit presbyter cum sua *presbytera*, aut diaconus cum sua *diaconissa*, aut subdiaconus cum sua *subdiaconissa*[3]. » Idem dicitur in conc. Antissiodorensi (an. 578), can 21[4]. In eodem sensu adhibet vocabulum *presbytera* S. Gregorius Magnus in *Dialogis*, ubi, loquens de quodam presbytero provinciæ Nursiæ, ait : « Qui, ex tempore ordinationis acceptæ, *presbyteram suam* ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, etc...[5]. » Loquitur etiam de *presbyterabus* in *Epistolis*, lib. IX, epist. VII[6], sed dubium est utrum hæ significent *uxores presbyterorum*, an *viduas seniores*, de quibus statim ; — 2. Apud Græcos, *presbyteræ* (πρεσβύτιδες) significant *viduas seniores*, ut omnino constat ex supra relato loco S. Epiphanii ; et hic est etiam probabilius sensus hujus vocabuli in conc.

[1] *Hæres.*, LXXIX, n. 4; Migne, *P. G.*, t. XLII, col. 746; cf. etiam *ibid.*, n. 3, col. 743.

[2] *Hæres.*, LXXIX, n. 3; Migne, *P. G., ibid.*, col. 743.

[3] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 228, 230.

[4] Bruns, *ibid.*, p. 239.

[5] *Dialog.*, lib. IV, c. XI; Migne, *P. L.*, t. LXXVII, col. 336.

[6] Migne, *P. L.*, t. LXXVII, col. 946. — Cf. etiam Morinum, *loc. cit.*, exercit. X, *De diaconissis*, c. I, n. 4-5, p. 144.

Laodiceno, can. 11, ubi dicitur, ex versione Dionysii : « Quod non oporteat eas, quæ dicuntur *presbyteræ* (πρεσβύτιδας) vel præsidentes, in ecclesiis ordinari[1]. »

74. — Feminæ, jure divino, incapaces sunt veri et proprii dicti diaconatus.

1° *Demonstratur* propositio ex *Traditione Ecclesiæ.* Verus nempe diaconatus, qualem Christus instituit, Ecclesiaque ab ipsis initiis intellexit, essentialiter complectitur *ministerium ad altare,* quo diaconus sancto sacrificio cooperetur, sacerdotique assistat et illum adjuvet in distributione Eucharistiæ : quod totum constat ex supra dictis in capite I. — Atqui :

a. Diaconissæ *constanter repulsæ sunt a ministerio altaris.* Non allegatur quidem ulla lex scripta universalis, qua id demonstretur[2]; verum ad id sufficiunt generalis Ecclesiæ consuetudo, concilia particularia et plura alia documenta : 1. In Ecclesia latina, nunquam auditum est de *ministerio altaris* diaconissæ commisso, sed tantum de aliquo ministerio in baptismo feminarum, ad consulendum harum pudori, vel de privatis catechesibus, aut aliis rebus hujusmodi; ita, v. g., *Statuta Ecclesiæ antiqua*, can. 12 : « Viduæ vel sanctimoniales, quæ *ad ministerium baptizandarum mulierum* eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint *apto et sano sermone docere imperitas et rusticas mulieres, tempore quo baptizandæ sunt, qualiter baptizatori interrogatæ respondeant*, et qualiter accepto baptismate vivant[3]; — 2. Unde, cum in quibusdam

[1] Migne, *P. L.*, t. LXVII, col. 166, sub n. 114; — Bruns, *Conc.*, t. I, p. 74. — Vide varios sensus hujus canonis apud Hefele, *Hist. des conciles,* § 93, trad. Delarc, t. II, p. 141.

[2] Pinius, *De ecclesiæ diaconissis,* n. 105; *loc. cit.,* p. XX; — Assemani, *Bibl. orient.*, t. III, part. 2, p. DCCCXLIX.

[3] Bruns, *Conc.*, t. I, p. 142.

Galliæ partibus, sæculo IV exeunte, quidam presbyteri, Orientales imitati, feminas ad altaris ministerium admittere præsumpsissent, hunc usum, veluti apostolicæ traditioni contrarium, episcopi et concilia severe prohibere non omiserunt; ita concilium Nemausence, an. 394, can. 2 : « Illud etiam a quibusdam suggestum est, ut, contra apostolicam disciplinam, incognito (*sic*) usque in hoc tempus, in ministerium feminæ nescio quo loco leviticum videantur assumptæ; quod quidem, quia indecens est, non admittit ecclesiastica disciplina; et contra rationem facta talis ordinatio destruatur; providendum ne quis sibi hoc ultra præsumat[1]; » ita etiam quatuor Gallica concilia supra citata (n. **72**, 5°), nempe Arausicanum I, Epaonense, Aurelianense II, Turonicum II; ita etiam, anno 511, tres episcopi, nimirum Licinius, Melanius, Eustochius, cum audissent quosdam presbyteros uti mulieribus in ministerio levitico, ita ut, intra missarum solemnia, hæ mulieres « positos calices teneant, et sanguinem Christi populo administrare præsumant », graviter damnarunt hos presbyteros, his usi verbis : « Cujus rei novitas et inaudita superstitio non leviter nos contristavit, ut tam horrenda secta, quæ intra Gallias nunquam fuisse probatur, nostris temporibus videatur emergere, quam Patres Orientales *Pepondianam*[2] vocant, pro eo quod Pepodius auctor hujus schismatis fuerit, mulieres sibi, in sacrificio Dei, socias habere præsumpserit; præcipientes ut quicumque huic errori voluerit inhærere, a communione ecclesiatica reddatur extraneus[3]; » — 3. In *Const. apost.*, lib. VIII, c. XXVIII, legitur : « Diaconissa *non benedicit*, sed nec peragit *quidquam eorum quæ presbyteri aut dia-*

[1] Hefele, *Histoire des conciles*, § 110, trad. Delarc, t. II, p. 248.
[2] Agitur, ut patet, de supra dictis Pepuzianis (n. **73**, 1°).
[3] Amort, *Elementa juris canonici*, Augustæ Vindelicorum, 1757, t. II, p. 407.

coni faciunt; dumtaxat portas custodit, et presbyteris, quando baptizantur mulieres, ministrat, propter decorum[1]; » — 4. In sic dictis *Canonibus ecclesiasticis apostolorum*, can. 21, 24, 25, 27, viduis (quibus, ut dictum est, successere diaconissæ) nullum committitur ministerium, nisi erga mulieres : « Quomodo possumus de mulierum ministerio decernere, *nisi ministerium quo valeant mulieribus egenis inservire*[2]? »

b. Imo, quo longius et efficacius arcerentur diaconissæ ab omni officio vere diaconali, prohibitæ sunt exercere etiam ea munia, quæ Ecclesia diaconatui ipsa annexuit, v. g., prædicationem, administrationem baptismi, etc., ut constat multis documentis, v. g., textu Tertulliani (*De virginibus velandis*, c. IX) supra relato (n. **73**, 2°); — *Const. apost.*, lib. III, c. VI, IX : « *Non igitur licere volumus mulieribus, ut in ecclesia doceant;* precentur duntaxat, et doctores audiant... Quod si oportuisset a mulieribus *baptismum administrari*, profecto Dominus a matre sua fuisset baptizatus, et non a Joanne; aut, quando nos (apostolos) ad baptizandum misit, una quoque misisset et mulieres ad idem ministerium; jam vero nihil tale usquam neque injunxit, neque scripto tradidit, quippe qui et *naturæ ordinem* et *rei decentiam* probe nosset, ut et naturæ conditor et constitutionis legislator[3]. » — Ita etiam Innocentius III strictissime prohibuit ne abbatissæ benedicant moniales, earum confessiones audiant, aut prædicent; cap. *Nova*, 10, De pœnitentia et remissionibus.

[1] Migne, *P. G.*, t. I, col. 1126.

[2] Apud Funk, in opere *Doctrina duodecim apostolorum*, Tubingæ, 1887, p. 71.

[3] Migne, *P. G.*, t. I, col. 770, 787. — Erravit Atto (qui fuit episcopus Vercellensis, an. 945), dum putavit diaconissis olim fuisse commissum munus baptizandi. Epist. VIII, *Ad Ambrosium;* Migne, *P. L.*, t. CXXXIV, col. 114.

Attenta ergo hac traditione perpetua, dicendum est jure non tantum ecclesiastico, sed etiam divino, feminas incapaces esse veri diaconatus.

2° *Solvuntur difficultates :*

A. Jacobus Edessenus, *Resolutiones canonicæ*, can. 24, ait : « Potestas in altari nulla omnino ei (diaconissæ) competit; quia, cum ordinatur, non propter altare ordinatur, sed propter ecclesiam dumtaxat; et potestas ejus hæc tantum est : ut *sanctuarium verrat, et in eodem sanctuario lampadem accendat*, et hæc tum cum non adest sacerdos vel diaconus; et ut, *si sit in monasteriis sororum, sacramenta, ubi deest presbyter vel diaconus, ex theca accipiat, detque tantummodo mulieribus sociis suis, aut pueris parvulis occurrentibus.* Illicitum autem est ei sacramenta sumere ex mensa sancta altaris, aut super hanc ea reponere, vel ullatenus illam tangere[1]. » Qui canon, teste Assemani[2], relatus est in *Pontificale* Jacobitarum; quem etiam exscripsit Bar-Hebræus, in suo *Nomocanone*[3]. Ergo etiam *ministerium altaris* commissum est diaconissis.

Resp. : 1. Quoad officium verrendi sanctuarium et accendendi lampades, non illud voco *altaris ministerium*, licet circa altare forsan versetur; ministerium enim altaris proprie dictum, quod Christus instituit, et cui annexuit gratiam sacramenti, illud est, ut supra dictum est, quo diaconus sancto sacrificio cooperetur, sacerdotique assistat et illum adjuvet in distributione eucharistiæ; — 2. Quoad illam distributionem eucharistiæ quæ permittitur diaconissis, notandum est has non posse sumere sacramentum in altari, sed in sacrario ubi asservatur; unde distribuunt communionem, *omnino extra missam*, et quidem *absenti-*

[1] Lamy, *loc. cit.*, p. 127.
[2] *Bibliotheca orient.*, t. II, *De monophysitis, loc. cit.*
[3] Maï, *loc. cit.*, p. 51-52.

bus presbytero et diacono, et *solis sororibus aut parvulis;* est ergo distributio *in casu necessitatis*, quæ implicare non videtur ministerium altaris proprie dictum, ut asserit in relato textu ipse Jacobus Edessenus[1]. Ceterum concilium Montis Libani, an. 1736, ut dictum est, diaconissis abstulit quamlibet licentiam distribuendi sacram communionem.

B. Juxta Balsamonem, interprete Assemani, « olim aliquando diaconissarum ordines cogniti fuere canonibus, *habebantque ipsæ gradum et officium circa altare;* » unde tenet Assemani diaconissas revera circa altare munus aliquod obiisse[2].

Resp., textum græcum Balsamonis (εἶχον καὶ αὗται βαθμον ἐν τῷ βήματι)[3] non necessario significare diaconissas habuisse *officium* in sanctuario aut altari, sed tantum *locum;* quod jam notatur in *Testamento D. N. J. C.*, lib. I, c. XXIII[4], ubi dicitur episcopum offerre *intra velum* sanctuarii, una cum presbyteris, diaconis, *viduis canonicis*, hypodiaconis, *diaconissis*, lectoribus.

C. Joannes Telensis, *Resol. can.*, can. 38, ait, de diaconissa : « Cum permissione episcopi, *infundere potest vinum et aquam in calicem*[5]. » Quem canonem refert Bar-Hebræus, in suo *Nomocanone*[6].

Resp., apud sectam hæreticam, qualis erat secta Monophysitarum, cui addicti erant Joannes Telensis et Bar-Hebræus, episcopum habuisse potestatem supremam in re

[1] Etiam in Ecclesia latina, in *casu extremæ necessitatis*, graves doctores tenent sacram communionem posse ministrari a *laicis*, et proinde etiam a mulieribus (vide apud S. Alph., lib. VI, n. 237, quær. 3). *Necessitas* plus minusve late intelligitur in Ecclesia, juxta varia loca et tempora.

[2] *Bibl. orient.*, t. III, part. 2, p. DCCCXLIX.

[3] *Resp. ad interrogationes Marci*, resp. 35; Migne, *P. G.*, t. CXXXVIII, col. 988.

[4] Cit. ed. Rahmani, p. 35, 37; cf. p. 164.

[5] Lamy, *loc. cit.*, p. 91.

[6] Ed. Maï, *loc. cit.*, p. 51.

liturgica, sicut apud nos Romanus Pontifex; sicut ergo Romanus Pontifex posset, ut puto, habilitare laicum ad infundendum vinum et aquam in calicem, sic poterat episcopus, apud Monophysitas, habilitare diaconissam ad eumdem actum, præsertim per modum exceptionis. — Ceterum si cui non arrideat hæc responsio, addam non omnia quæ fiunt apud hæreticos, posse imputari Ecclesiæ catholicæ, aut induci ut verum jus.

D. Ut supra visum est (n. **72**, 2°) simillima est ordinatio diaconissæ ordinationi diaconi, etiam in partibus essentialibus; signum ergo apertum est Ecclesiam, in his locis ubi in usu erat hæc ordinatio, putavisse vim ordinis et sacramenti jure divino instituti inesse huic ritui.

Resp., conclusionem minime sequi ex præmissis; semel enim ac Ecclesia in proposito habuit inaugurare diaconissas per aliquem ritum sacrum, pronum erat ut imitaretur ordinationem diaconalem; notum est enim Ecclesiam in suis *sacramentalibus* imitari, quantum fas est, *sacramenta* Christi. Ceterum, quoad *impositionem manuum*, eam sæpissime adhibet Ecclesia, etiam extra sacramenta; quoad *invocationem gratiæ Spiritus Sancti*, eam etiam sæpe adhibet extra quodlibet sacramentum, v. g., in benedictione abbatis, in coronatione regis, etc. — Unde ex ritu ordinationis diaconissarum nihil concludi potest quoad divinam institutionem diaconissarum; sed nec est etiam cur Arcadius invehatur in hunc ordinationis ritum, tanquam *erroneum* et *hæreticum*[1].

[1] Arcadius, *De concordia Ecclesiæ occidentalis et orientalis*, lib. VI, c. x, Lutetiæ Parisiorum, 1626, p. 474; « *erroneum* (hunc ritum), inquit, esse judico, imo *hæreticum*, per consequens *improbandum*, atque *omnino rejiciendum*. » — Cf. Pinius, *De eccl. diaconissis*, n. 37 sq., *loc. cit.*, p. VIII sq.

75. — Conclusio. — 1. Mulieres, jure divino, incapaces sunt presbyteratus, et hæc propositio videtur esse de fide, quia nempe assertio contradictoria semper habita est ut hæretica; — 2. Mulieres, eodem jure divino, incapaces sunt veri diaconatus, a Christo instituti, et complectentis altaris ministerium proprie dictum; — 3. Quoad ordines inferiores, aut aliquem *diaconatum* (seu ministerium) *improprie dictum*, non videtur femina radicaliter incapax esse ad hos suscipiendos; cum enim, juxta multo probabiliorem sententiam, hi ordines sint institutionis mere ecclesiasticæ, Ecclesia libera remanet in assignandis horum ordinum materia, forma et *subjecto;* et revera, uti demonstrant facta supra exposita (n. **72**, 2°), Ecclesia olim admisit aliqualem diaconissarum *ordinationem*. Attamen, cum Ecclesia, in constituendis suis ritibus et sacramentalibus, imitari soleat Christum in ordinandis divinis ritibus et sacramentis, Ecclesia nunc, et a multis jam sæculis, *arcere solet* feminas a quolibet ministerio rituum et sacramentalium, sicut arcuit eas Christus a quolibet ministerio sacrificii et sacramentorum.

II. De non baptizatis [1]

Quæritur num ii, qui non sunt baptizati, sint jure divino incapaces sacræ ordinationis.

76. — Quædam facta exponuntur.

1° Concilium Nicænum, can. 19, jubet Paulianistas, seu Pauli Samosateni discipulos, qui ad Ecclesiam catholicam redeant, iterum baptizari (ἀναβαπτισθέντες), quia nempe, ut ait Innocentius I, epist. xvii, *Ad Rufum*, n. 10: « Paulianistæ in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizant [2]. » Porro, si qui eorum

[1] Cf. Hallier, part. II, sect. iv, c. iii, art. 1, ed. Migne, col. 854.
[2] Migne, *P. L.*, t. xx, col. 533.

fuerint in clero, concilium permittit eos remanere unumquemque in ordine suo, modo, post novum baptismum, *ordinentur ab episcopo Ecclesiæ catholicæ* (χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου)[1]; hic autem agitur de vera *reordinatione*, ut constat tum hoc vocabulo χειροτονείσθωσαν, juncto cum expressione ministri *episcopi*, tum quia hæc impositio manuum non poterat esse *ad pœnitentiam* (pœnitentia enim non imponitur noviter baptizatis, qui nullam habent pœnam luendam), et ideo erat *ad ordinationem*, tum denique communi interpretatione; omnes enim versiones vocabulum χειροτονείσθωναν vertunt *ordinentur*, vel recipiant *impositionem manuum ab episcopo*[2]. Censuit ergo manifeste concilium Nicænum ordinationem receptam in hæresi Pauliniana, in qua baptismus nullus erat, non esse attendendam.

2° Hæc solutio concilii Nicæni extensa est ad omnes casus in quibus presbyter deprehenderit se non esse baptizatum. Sic cavetur in *Pœnitentiali Theodori*, cujus capita, si non sint ipsius Theodori, episcopi Cantuariensis (def. an. 690), sunt certe ad ejus mentem, et ejus circiter ætatis. Legitur enim c. II : « Si quis, presbyter ordinatus, deprehendit se non esse baptizatum, baptizetur et ordinetur iterum, et omnes quos prius baptizavit[3]. » — Hoc autem decretum iisdem terminis insertum est tum *Capitularibus* Benedicti Levitæ, lib. VI, c. XCIV[4]; — tum apud Burchardum, *Decret.*, lib. IV, c. LXXIV[5]; — tum apud Ivonem, sive in *Decreto*, part. I, c. CCLXVIII, sive in *Panormia*, lib. I, c. XCVI[6]; — tum apud Gratianum, can. *Si presbyter*, 60, Caus. I, q. I[7]. —

[1] Bruns, t. I, p. 19.

[2] Vide plures versiones apud Maassen, *Geschichte der Quellen*, etc., p. 903 sq.; et versionem Dionysii; Migne, *P. L.*, t. LXVII, col. 152.

[3] *Pœnitentiale Theodori*, ed. Petit, Lutetiæ Parisiorum, 1679, t. I, p. 3; vel apud Migne, *P. L.*, t. XCIX, col. 928.

[4] *Capitularia*, ed. Baluze, t. I, col. 937.

[5] Migne, *P. L.*, t. CXL, col. 741.

[6] Migne, *P. L.*, t. CLXI, col. 122, 1066.

[7] Canon ille, apud Gratianum, sicut apud Ivonem et Burchardum, tribuitur *Concilio apud Compendium;* sed prorsus ignoratur quandonam celebratum fuerit hoc concilium; origo canonis potius repetenda videtur e cit. *Pœnitentiali* Theodori, quod romanam disciplinam exhibet; sicut

Denique insertum est decretalibus Gregorii, cap. *Si quis*, 1, De presbytero non baptizato, omissis tamen ultimis verbis : *et omnes quos prius baptizavit.* Hinc *jure communi*, in *Corpore Juris* contento, si quis presbyter deprehendit se non fuisse baptizatum, tenetur omnino recipere de novo baptismum et ordinationem.

3° Initio sæculi xiii, testatur Innocentius III (cap. *Veniens*, 3, De presbytero non baptizato) quæstionem theoreticam, quam doctoribus ipse commiserat coram se disputandam, fuisse valde controversam. Alii enim dicebant, « cum baptismus sit *fundamentum omnium sacramentorum*, » ante susceptionem baptismi non posse valide recipi quodlibet sacramentum, neque proinde ordinationem, « quoniam, ubi fundamentum non est, superædificari non potest. » — Alii vero dicebant etiam a non baptizatis recipi posse valide ordinationem, præcipue propter quatuor : 1. Non tantum per sacramentum fidei, sed etiam per fidem sacramenti, efficitur quis membrum Christi, et proinde possidet verum fundamentum, Christum, super quo utique superædificari possunt et bona opera, et ecclesiastica sacramenta; — 2. Non est generaliter verum, baptismum esse fundamentum omnium sacramentorum, cum a non baptizatis recipi possint matrimonium et eucharistia; — 3. Sacramentum ordinis ex institutione sua præcessit baptismum; — 4. Si quis non baptizatus consecraretur in episcopum, « eruntne reordinandi omnes qui ab eo fuerint ordinati? Et quum de pluribus episcopis nesciatur, an renati fuerint aqua baptismatis, quum hoc nec ipsi reminiscantur, nec alii, dubitatur igitur an tales sint veraciter in episcopos consecrati; unde quot et quanta sequantur non solum absona, sed absurda, silendum est potius quam dicendum[1]. » — Ex qua expositione, videretur forsan Innocentius magis fuisse propensus

enim Augustinus a Gregorio, sic Theodorus a Vitaliano missus fuerat in Angliam. — In editione Romana decreti Gratiani, an. 1582, *Correctores Romani* suppresserunt hæc verba : « Et omnes quos prius baptizavit, » ut ipsi dicunt in *Annotatione* apposita.

[1] Hoc quartum argumentum omisit S. Raymundus in cit. cap. *Veniens;* vide textum integrum capitis vel in *Corpore Juris*, ed. Friedberg, eod. cap. *Veniens*, vel apud Migne, Innocentii *Epist.*, lib. IX, epist. liv, *Ad Ferrariensem episcopum, P. L.*, t. ccxv, col. 864-866.

ad secundam opinionem amplectendam; sed, quidquid est, deveniens ad solutionem practicam, rem decidit juxta cit. cap. *Si quis*, 1, De presbytero non baptizato, ex concilio Compendiensi (?), quod expresse allegat : « Quia vero, sic pergit Innocentius, in concilio apud Compendium legitur constitutum, quod, si quis in presbyterum ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur; nos, circa latorem præsentium, *in hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes*, mandamus, quatenus ipsum per singulos ordines usque ad sacerdotium promovere procures, et permittas eum in sacerdotio ministrare, *quia non intelligitur iteratum quod ambigitur esse factum.* »

4° S. Thomas, Suppl. part. III, q. xxxv, art. 3, clare et expresse docuit baptismum esse *januam sacramentorum*, ita ut nullum sacramentum, et proinde nec ordinatio, recipi possit a non baptizato; quem secuti sunt communiter theologi et canonistæ [1].

77. — Qui non sunt baptizati, jure divino sunt incapaces sacræ ordinationis.

1° *Demonstratur* propositio *traditione Ecclesiæ.* — In re, quæ unice pendet a voluntate Christi, sensus et traditio Ecclesiæ utique est potissimum veritatis argumentum. Porro :

a. Ante sæculum XIII, si quis sacerdos ante ordinationem non fuisset rite baptizatus, non attendebatur hujusmodi ordinatio, sed jubebatur omnino rebaptizari et reordinari. Quod constat ex cit. concilio Nicæno et aliis documentis supra allegatis. — Sane, ut ratio reddatur hujus solutionis, sufficit, in rigore juris, ut ordinatio, sine prævio

[1] Sic, inter theologos, Hallier, part. II, sect. IV, c. III, art. 1; Migne, col. 854; — Tournely, *De sacramento ordinis*, q. IV, art. 4, Parisiis, 1729, p. 170; — Billuart, *Summa, de baptismo*, diss. III, art. 1, petit. 3, Trajecti ad M., 1770, t. XVI, p. 525; — cf. etiam *De ordine*, diss. III, art. 3, t. XIX, p. 175; — Perrone, *De ordine*, n. 130, ed. Migne, t. II, p. 483. — Cf. canonistas, v. g., Reiffenstuel, Schmalzgrueber, in tit. *De presbytero non baptizato.*

baptismo recepta, habita fuerit ut *dubia*, quia, juxta principia theologica, in dubio quod tangit valorem sacramenti, præsertim ordinis, pars tutior est eligenda, uti revera ratiocinatus est Innocentius; verum, ante Innocentium, nusquam mentio facta est nec *dubiæ* ordinationis, nec horum principiorum theologicorum. Ergo rectius et simplicius explicantur præfata facta, per persuasionem, omnium animis insitam, de nullitate ordinationis sine prævio baptismo receptæ.

b. Post Innocentium, diserte et sine mentione controversiæ asseritur nostra propositio a S. Thoma, quem alii doctores communiter secuti sunt. Imo Bonifacius VIII, cap. *Per catechismum*, 2, De cognatione spirituali, in VI, expresse declarat, licet non directe definiat, esse baptismum « sacramentorum *fundamentum* et *januam* reliquorum ».

c. Eugenius IV, bulla *Exultate Deo*, x kal. dec. 1439, quam edidit in publica sessione conc. Florentini, *sacro approbante concilio*, pro unione Armenorum, declaravit : « Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod *vitæ spiritualis janua est;* per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ[1]. » Si baptismus est janua *vitæ spiritualis*, est etiam janua *aliorum sacramentorum;* cum enim per omnia sacramenta, tanquam per totidem canales, animæ infundatur vita spiritualis, si baptismus non sit janua sacramentorum, nec erit simpliciter janua vitæ spiritualis.

d. Tandem nemo non videt, quam rectæ rationi et sapienti ordinationi Ecclesiæ consentanea sit hæc voluntas Christi, quam statuimus. *Minister*, in aliqua societate, profecto esse debet de *corpore hujus societatis*, ut nempe possit ab omnibus agnosci, et discerni a non-ministris, seu

[1] Mansi, *Concilia*, t. xxxi, col. 1055.

a pseudo-ministris. Porro, diserte declarante Eugenio IV in præfata bulla *Exultate Deo :* « Per ipsum (baptisma) de *corpore efficimur Ecclesiæ ;* » quod adeo verum est ut postea declaraverit concilium Tridentinum, cap. 2, sess. XIV, De pœnitentia, eum qui non recepit baptisma, *foris esse*, nec in eum Ecclesiam ulla potiri judiciaria potestate : « Cum Ecclesia, inquit, in neminem judicium exerceat, qui *non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.* » Cum ergo per sacram ordinationem homo fiat Ecclesiæ *minister*, debet prius recipere baptismum.

Hinc pro *certa* teneri debet, ut videtur, nostra propositio.

2° *Solvuntur difficultates* supra relatæ ex cap. *Veniens :* 1. Licet per *fidem sacramenti*, juncta charitate, aliquis fiat aliquo modo membrum Christi, attamen non nisi *inchoative* et in ordine *necessario* et via ad ulteriorem et intimiorem unionem; unde non est simpliciter de *corpore Ecclesiæ ;* — 2. Qui non est baptizatus, recipere nequit matrimonium, quatenus *sacramentum novæ legis ;* major est difficultas quoad *eucharistiam ;* — 3. Sacramentum ordinis institutum fuit a Christo pridie quam pateretur; baptismus probabilius antea; ceterum parvi refert; — 4. Incommoda quidem gravia, ut notant adversarii, sequuntur ex nostra propositione; si quis enim, non rite baptizatus, consecretur in episcopum, omnes ordinationes, quas ipse peraget, nullæ erunt... Hæc omnia committenda sunt providentiæ Dei, nec tamen eo usque progrediendum est, ut dicamus cum D. Thoma, *loc. cit.*, ad 2 : « Sed tamen pie credi potest, quod, quantum ad ultimos effectus sacramentorum, *summus sacerdos suppleret defectum.* »

III. De infantibus

78. — Infantes jure divino capaces sunt sacræ ordinationis.

1° Hæc propositio est contra quosdam theologos qui putant *infantes non esse capaces, jure divino, sacræ ordinationis*, et proinde ordinationem, ipsis forte collatam, esse invalidam. — Ita Durandus, Tournely, Habert[1], præcipue propter duo : 1. Ad susceptionem cujuslibet sacramenti requiritur aliqua intentio, vel propria suscipientis, si sit adultus; vel saltem aliena et interpretativa, si sit parvulus; sic, in baptismo parvulis collato, deficiente intentione suscipientis, adest intentio parentum vel Ecclesiæ, qui rectissime interpretantur et præsumunt intentionem parvulorum, cum agatur de sacramento omnino necessario ad salutem, et quod ipsi parvuli non possunt non velle. Atqui, quoad sacramentum ordinis parvulis conferendum, non habetur intentio propria parvulorum, ut patet; nec etiam habetur intentio interpretativa Ecclesiæ vel parentum; non Ecclesiæ, quæ econtra prohibet tales ordinationes; non parentum, quia agitur de sacramento libero, imo oneroso, quod filii nullo modo tenentur recipere; ergo nulla intentio, et proinde nullum sacramentum; — 2. Ipsamet institutio et natura ordinis obstare videtur, ne conferatur parvulis; potestas enim non datur nisi propter usum, et ideo feminæ non possunt ordinari, quia non possunt uti ordinibus; similiter et de parvulis.

2° *Demonstratur* propositio :

A. Cap. *Tuæ litteræ*, 1, De clerico per saltum promoto

[1] Durandus, in *Sent.*, lib. IV, dist. XXV, q. II, n. 8, Lugduni, 1622, p. 818; — Tournely, *loc. cit.*, q. IV, art. 4, p. 173 sq.; — Habert, *De sacramentis in genere*, c. XVII, q. IV, Lugduni, 1755, *Theologia*, t. V, p. 118.

(Innocentii III). Quidam receperat ordines minores et subdiaconatum *ante annos discretionis;* postea autem, omisso diaconatu, recepit presbyteratum. Porro Innocentius, hac de re consultus, respondit clericum illum recipere debere diaconatum, et ministrare posse in ordine presbyterali, quin actum fuerit de iterandis ordinibus minoribus et subdiaconatu. Ergo Innocentius existimavit hos ordines fuisse valide receptos. — Me non latet hanc locutionem *ante annos discretionis* non significare necessario *ante usum rationis;* attamen cum Innocentius non curaverit inquiri utrum ordines recepti fuerint *ante* vel *post* usum rationis, signum est ipsum existimavisse hos ordines valide receptos fuisse, sive *ante* sive *post* usum rationis recepti fuerint. — Ceterum, ut patebit ex dicendis infra, ubi de *ætate ordinandorum* (n. **83**), ordo lectoratus aliquando conferebatur etiam ante septennium.

B. Benedictus XIV tradit apud Cophtos inveteratam invaluisse consuetudinem conferendi infantulis, et etiam immediate post baptismum, *omnes ordines usque ad diaconatum inclusive :* quod demonstrat variis omni exceptione majoribus testimoniis[1]. Porro doctissimus pontifex nullo modo revocat in dubium valorem harum ordinationum, sed, prolato « concordi theologorum et canonistarum suffragio »[2], has *validas* supponit, et varia decernit circa *usum* ordinum sic collatorum, et onus cælibatus his annexum. — Quod pariter fecit idem pontifex in epistola *Anno vertente,* 19 junii 1750, item *de dubiis ad Ecclesiam Cophtorum pertinentibus,* § 7, ubi pariter et omnino supponit præfatas ordinationes esse validas, et decernit de onere cælibatus[3].

[1] Benedictus XIV, epistola *Eo quamvis,* 4 maii 1745, *De dubiis ad ecclesiam Cophtorum pertinentibus,* § 17-18; *Bull. Bened.,* t. I, n. 129.

[2] *Ibid.,* § 20.

[3] *Bull. Bened.,* t. III, n. 30.

— Tradit etiam Benedictus XIV in illa priori epistola *Eo quamvis*, § 45, veterem usum Ecclesiæ Maronitarum, ordinandi subdiaconos *quinque vel sex annorum*, qui tamen usus postea, nempe in concilio Montis Libani, suppressus fuit.

C. Ratio desumenda est ex *ipsa natura sacramenti ordinis*. Sunt nempe sacramenta quæ requirant essentialiter *actum suscipientis*, v. g., *matrimonium*, cujus materia est ipse mutuus sponsorum consensus; *pœnitentia*, cujus quasi-materia complectitur actus pœnitentis; unde horum sacramentorum infantes sunt incapaces. Sunt vero alia sacramenta quæ totam suam vim hauriant ex actibus ipsius ministri, et proinde nullum actum recipientis requirant, v. g., *baptismus, confirmatio, eucharistia*, quorum proinde etiam infantes sunt capaces. Porro his sacramentis accenseri debet etiam *ordo*, qui totam suam vim haurit ex influxu ministri manus imponentis formamque proferentis.

Et ita, paucissimis exceptis, concors theologorum[1] et canonistarum sententia, ut dicebat Benedictus XIV. Nec, si forsan demas D. Thomam[2], excipiunt episcopatum, cujus revera eadem ratio est ac presbyteratus ceterorumque ordinum.

3° *Solvuntur difficultates* adversariorum. — Quoad priorem difficultatem supra relatam, intentio illa *aliena* et *interpretativa* est merum figmentum Durandi, nec aliquid operatur directe aut indirecte in sacramentis, et, si absit, non nocet; sic in baptismo parvuli, filii infidelium, licet

[1] V. g., D. Thomas, Suppl. part. III, q. xxxix, art. 2; — Hallier, *loc. cit.*, c. iv, art. 1, col. 860.

[2] *Loc. cit.*: « Sed ad episcopatum, *ubi etiam in corpus mysticum accipitur potestas*, requiritur actus suscipientis curam animarum pastoralem, et ideo est etiam *de necessitate consecrationis episcopalis, quod usum rationis habeat.* » D. Thomas exponitur a Billuart (*De ordine*, diss. III, art. 3, § 1, Trajecti ad Mosam, 1770, t. xix, p. 178) secundum communem sententiam.

reluctentur tum parentes, tum etiam Ecclesia (quæ prohibet baptismi collationem in hoc casu), baptismus omnino validus est; ergo dici nequit ad receptionem alicujus sacramenti requiri aliquam intentionem vel propriam vel alienam, et proinde cadit difficultas; — 2. Quoad alteram difficultatem, dicendum est potestatem dari propter usum vel præsentem, vel saltem *futurum*, quando nempe possibilis erit; et inde nasci essentiale discrimen inter feminas et parvulos; hi enim aliquando exercere poterunt potestatem, illæ nunquam.

N. B. — Quod dicitur de infantibus, dici etiam debet, et propter easdem rationes, de *perpetuo amentibus;* nec refert quod usus potestatis semper his erit impossibilis, nam hoc est omnino *per accidens;* quod autem est *per accidens,* lex non respicit.

§ 2. De subjecto, quoad licitam ordinationem.

N. B. — Ut licita sit ordinatio, plura requiruntur ex parte *subjecti : vocatio, ætas legitima, probitas morum, scientia, immunitas ab irregularitatibus;* de his irregularitatibus agetur in aliis *Prælectionibus.* Omitto *statum gratiæ*, quem requirit ordinatio, quatenus est *sacramentum vivorum;* de quo adeas theologos.

I. De vocatione[1]

79. — Vocationis notio. — Vocatio est *actus providentiæ supernaturalis, quo Deus aliquem destinat ad statum clericalem, ipsique media præparat ad finem assequendum necessaria. — Dixi :*

[1] Cf. Hallier, part. I, sect. III, c. II, ed. Migne, col. 357-396; — Habert, *De ordine,* part. III, c. I, t. VII; p. 393-431; — S. Alph., lib. VI, n. 802-804, et *Praxis conf.,* n. 93; — Branchereau, *De la vocation sacerdotale,* Paris, 1896.

1. Actus *providentiæ :* providentia autem est *ordinatio rerum ad finem per media proportionata,* et supponit actum intellectus et voluntatis ; hæc autem ordinatio potest spectari tum in mente divina, tum in executione ; vocatio ergo est actus hujusmodi providentiæ, in executione potissimum consideratus.

2. Actus providentiæ *supernaturalis ;* duplex enim est providentia, una *naturalis,* quæ præest ordini naturali, dirigitque creaturas inferiores ad finem naturalem, altera *supernaturalis,* quæ præest ordini supernaturali, dirigitque creaturas rationales ad finem supernaturalem. Patet autem vocationem esse actum hujus providentiæ supernaturalis.

3. Quo Deus aliquem *destinat* ad statum clericalem. En *actus ipse vocationis,* nempe *destinatio* alicujus in individuo ad hunc statum, et idcirco ejus electio præ mille aliis.

4. *Ad statum clericalem.* Tres sunt status in vita christiana : status clericalis, status religiosus, status matrimonialis, quibus non immerito additur quartus, nempe status cælibatus quem quis amplectatur in sæculo propter Deum, vi voti simplicis, aut saltem propositi mature deliberati. Quia vero hi status habent sua officia gravia et difficultates non mediocres, requiritur pro singulis *vocatio specialis,* nisi quod vocatio ad statum matrimonialem minus sit vocatio *positiva,* quam *defectus aliarum vocationum*[1]. Præter autem hos status, pro variis nempe muneribus aut officiis, quibus addicuntur homines, non requiritur præcise vocatio, sed ea dereliquit Deus libertati hominum, salvis regulis justitiæ, prudentiæ et charitatis[2].

[1] S. Paulus, I Cor., VII, 2 : « Unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum. »

[2] Pro his muneribus aut officiis non requiri sub gravi vocationem, patet,

— Agitur ergo hic de *vocatione ad statum clericalem*, quam modo demonstrabimus esse necessariam.

5. *Ipsique media præparat...* Hic est generalis effectus vocationis ; eo enim ipso quod Deus vocat aliquem ad statum clericalem, debet illi præparare media requisita ut possit attingere hunc finem ; hoc enim clamat ipsa ratio ; si enim humanus artifex, quando destinat aliquod lignum, aut ferrum, aut aurum, ut sit mensa, vel telum, vel horologium, etc., dat huic ligno, vel ferro, etc., omnia requisita, ut sit mensa, telum, quanto magis Deus ? Unde ita docent sancti doctores ; sic D. Thomas ait : « Quascumque causas aliquibus effectibus præfecit, *dedit illis virtutem ad illos effectus producendos*[1], » et alibi : « Illos quos Deus ad aliquid eligit, ita *præparat et disponit, ut ad id quod eliguntur, inveniantur idonei*[2]. » Pariter S. Bernardinus Senensis : « Omnium singularium gratiarum, alicui rationabili creaturæ communicatarum, generalis regula est, quod, quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, *omnia charismata donet, quæ illi personæ sic electæ et ejus officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant*[3]. » — Unde Deus electum suum præparat ad statum clericalem : 1. Quoad *corpus*, ut dotes habeat requisitas ut decenter fungi possit muneribus suis ; — 2. Quoad *intellectum*, ut sit potens acquirendi competentem scientiam ; — 3. Quoad *voluntatem*, ut potens sit acquirendi virtutes solidas ad sacerdotium requisitas ; — 4.

ex eo quod præcepta non præsumantur, sed demonstrentur; demonstratur quidem præceptum pro statu clericali, pro statu religioso, vel pro cælibatu pio et stabili, non vero pro variis illis officiis, pro quibus proinde amplectendis sufficit ut serventur præcepta justitiæ, prudentiæ et charitatis.

[1] Part. I, q. XXII, art. 3.

[2] Part. III, q. XXVII, art. 4.

[3] *Sermo* I, *De S. Joseph, exord.*, Venetiis, 1745, *Operum*, t. IV, p. 231.

Quoad *alia adjuncta*, quæ ad rem pertinere queant, v. g., *natales*, *morum institutionem*, *dona supernaturalia*, etc.[1].

80. — Vocationis necessitas ut quis amplectatur statum clericalem. — *Certum omnino est requiri divinam vocationem, ut quis amplectatur statum clericalem.* — Cum res tandem aliquando pendeat a voluntate Christi, institutoris sacerdotii, propositio demonstranda est præcipue Scriptura Sacra et documentis Patrum et ecclesiasticæ traditionis. Demonstratur ergo propositio :

1° *Scriptura Sacra* : 1. Dixit S. Paulus, Hebr., v, 4 sq. : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus, etc. » Hic agitur de *honore* sacerdotii (τὴν τιμὴν), de quo solo hic loquitur apostolus, cujus notionem supra (vers. 1) tradiderat, et præcipuos fines indigitaverat ; porro, de hoc honore dicit Apostolus, neminem sibi eum sumere posse, sed tantum *qui vocatur a Deo ;* et ut majorem vim habeat demonstratio, dat Paulus exemplum Aaronis, qui revera fuit, cum filiis suis, directe et immediate vocatus a Deo, et ita quidem ut Deus minatus fuerit mortem extraneo, qui præsumpsisset sumere sibi honorem : « Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus qui ad ministrandum accesserit, morietur (Num., III, 10). » Nec dicas non esse regulam sine exceptione, et proinde verba apostoli restringi posse ; nam, procul dubio, si quis homo excipi debeat a lege vocationis, est Christus Dominus ; porro nec ipsum exceptum fuisse a lege vocationis expresse tradit apostolus : « Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu... Tu es sacerdos in æternum secundum ordi-

[1] Imo dicit Habert (*loc. cit.*, p. 399) Deum præparare *ipsos subditos*, ut cor docile habeant ad obediendum electo pastori.

nem Melchisedech ; » — 2. Dicit ipse Christus Dominus : « Amen, amen dico vobis : *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro* (Joan., x, 1). » Hic agitur non de vocatione ad fidem aut gratiam aut Ecclesiam, sed de vocatione ad munus pastorale ; siquidem diserte distinguit Christus inter *oves* pascendas et regendas, et *pastorem* qui debeat eas pascere et regere ; porro de pastore seu ministro ait : « Qui non intrat per *ostium*, ille fur est et latro. » Sed quodnam est illud *ostium*, per quod intrare debet ? Respondet ipse Jesus, et bis dicit, vers. 7, 9 : « *Ego* sum ostium ovium..., *ego* sum ostium. » Ergo, ut quis sit vere pastor, et non fur et latro, debet ingredi *per Christum*, id est, vocante Christo, cujus sunt oves, ita ut Christus ei dicere possit, sicut apostolis (Joan., xv, 16) : « Non vos me elegistis, sed *ego elegi vos*. » Si quis ergo ingrediatur in ovile ovium, non per Christum, sed per parentes, amicos, principes seculares, aut per seipsum, nempe propria cupiditate, ambitione, temeritate, etc., hic est *fur et latro*, dicit Dominus ; — 3. Iis duobus palmaribus textibus jungas aliquot alios, qui ostendunt *vocationem* esse in manu Domini : « Vocavit ad se, quos voluit ipse (Marc., III, 13) : — Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos (Luc., x, 1) ; — Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (Joan., xv, 16) ; — Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (Luc., x, 2). » — Ipsum nomen *apostolorum*, quod ipse Dominus imponit duodecim primoribus discipulis suis (Luc., VI, 13) ostendit eos a Christo fuisse electos et missos ; — imo juvenem quemdam, licet cupientem, rogantem et deprecantem ut annumeraretur discipulis ejus, Christus rejecit (Marc., V, 18-19 ; Luc., VIII, 38-39) ; igitur non volentis, neque currentis, sed vocantis est Dei.

2° *Traditione ;* ex his clarissimis Christi Domini verbis, enatus est quidam in Ecclesia sensus, juxta quem nemo reputatur legitime ingredi in ordinem sacerdotalem, nisi divinitus vocatus fuerit : quod passim tradunt aut supponunt Patres et doctores. Sic : 1. S. Leo I, *Sermone* III, n. 1, ait : « Cessante privilegio patrum, et familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia accipit, quos *Spiritus sanctus præparavit ;* ut, in populo adoptionis Dei, cujus universitas sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed *dignatio cælestis gratiæ gignat antistitem*[1] ; » — 2. S. Gregorius, *Regulæ Pastoralis* part. I, c. 1, allatis his Osee (VIII, 4) verbis : « Ipsi regnaverunt, et non ex me ; principes extiterunt, et ego ignoravi, » sic pergit : « Ex se namque, et non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui, nullis fulti virtutibus, *nequaquam divinitus vocati*, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur[2] ; » — 3. S. Bernardus, graviter perstringens clericos ambitiosos, qui, non vocati, munera ecclesiastica rapiunt, ait : « Tollitis enim et non accipitis claves. De quibus Dominus queritur per prophetam : *Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes extiterunt, et ego non vocavi eos.* Unde tantus prælationis ardor... ? Audetne aliquis vestrum terreni cujuslibet reguli, non præcipiente aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare[3] ? » — 4. Concilium Trid., cap. *Quoniam vero*, 4, sess. XXIII, De sacramento ordinis, loquens expresse de ordinatione episcoporum, sacerdotum et ceterorum ordinum, ait : « Decernit (sancta synodus) ... eos, *qui hæc ministeria propria teme-*

[1] Migne, *P. L.*, t. LIV, col. 145.
[2] Migne, *P. L.*, t. LXXVII, col. 14.
[3] *De conversione, ad clericos,* c. XIX; Migne, *P. L.*, t. CLXXXII, col. 852.

ritate sibi sumunt, omnes, non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse. »

3° Nec desunt argumenta ex *humana ratione* deprompta. — Etenim :

a. Hoc est omnino speciale statui clericali, ut sacerdos (et etiam, proportione servata, clericus aliorum ordinum) sit mediator inter Deum et hominem ; non quidem mediator principalis, qui unus est Christus, sed mediator secundarius, et tamen vere mediator (v. g., in missa, officio divino, prædicatione verbi divini, administratione sacramentorum, etc.) ; porro de ratione est mediatoris, ut acceptetur ab utraque parte, et præsertim ab ea, quæ est principalior, et a qua pendet reconciliatio.

b. Hoc est omnino speciale statui clericali, ut sacerdos ingrediatur administrationem, gubernationem et dispensationem bonorum Christi, nempe animarum, quas redemit, Ecclesiæ quam fundavit, sacramentorum quæ instituit, imo sacratissimi corporis ejus et sanguinis, quæ Ecclesiæ suæ commisit. Atqui nemo potest se ingerere in administrationem bonorum alicujus, nisi ab hoc vocetur. Ergo... Sane hæc bona sunt etiam aliquatenus Ecclesiæ, et ideo requiritur etiam vocatio Ecclesiæ (quæ vocatio adest ipso facto legitimæ ordinationis) ; sed sunt præsertim bona Christi, et ideo præcipue requiritur ejus vocatio. Cf. superius relata verba S. Bernardi.

c. Status clericalis est omnino supernaturalis, et etiam, in ordine supernaturali, non communis, sed omnino specialis, exigens nempe gratias omnino speciales, quas Deus non tenetur ullo modo largiri, v. g., pro acquirenda sanctitate requisita, pro digne adimplendis muneribus sacerdotalibus, pro servanda castitate, quam nemo potest assequi, nisi Deus det, etc. Ergo, sine speciali vocatione,

ageret quis imprudentissime, ingrediendo hunc statum : quomodo enim præsumere posset se habiturum ista auxilia, quæ tamen sunt adeo necessaria? quo fundamento niteretur ista præsumptio? — Econtra, si Deus ipse vocaverit, non potest, juxta ea quæ supra dicta sunt, non concedere ista auxilia, ita ut sic vocato omnia tandem prospere cedant, juxta ipsum Christum (Joan., x, 9) : « Ego sum ostium ; per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. »

81. — Vocationis divinæ signa.

N. B. — Omitto divinæ vocationis signa *extraordinaria*, quæ sunt nempe extra communem divinæ Providentiæ ordinem, qualia legimus in vita quorumdam sanctorum; sic S. Ambrosius voce pueruli designatur ad episcopatum[1]; sic Gregorius Magnus latitans indicio columnæ fulgidæ deprehenditur et rapitur ad pontificatum[2], etc. Agitur ergo tantum de signis *ordinariis*, quibus Deus vocationem suam manifestare solet. Tria sunt autem hujusmodi signa, nempe *idoneitas*, *inclinatio* ad statum clericalem, et *electio* episcopi proprii, de quibus singulis dicendum.

1° *Primum signum*, nempe *idoneitas*. — 1. Idoneitas est *aptitudo*, ex parte sive *corporis*, sive *intellectus*, sive *voluntatis et morum, ad ingrediendum statum clericalem ejusque exercenda munia*. Idoneus est *ex parte corporis*, qui nullo vitio laborat quo reddatur inhabilis ad hæc exercenda munia (de quo agetur in *Prælectionibus de Irregularitatibus*), et econtra qualitatibus illis præditus est, quibus

[1] *Vita S. Ambrosii*, scripta a Paulino, ejus notario, n. 6; Migne, *P. L.*, t. XIV, col. 29.

[2] Joannes diaconus, *Vita S. Gregorii Magni*, lib. I, n. 44; Migne, *P. L.*, t. LXXV, col. 81; ipse Gregorius non semel memorat hæc *judicia divina*, quibus resistere non potuerat, v. g., *Epist.*, lib. I, epist. XXI; lib. VII, epist. IV; Migne, *P. L.*, t. LXXVII, col. 466, 855.

ministerium ejus utile fiat et honorabile; — idoneus est *ex parte intellectus,* qui dotibus illis pollet, quæ requiruntur ut *docere* et *regere* possit, nempe scientia competenti, judicio prudenti, recto et sano; — idoneus est *ex parte voluntatis et morum,* qui, vitiis illis, quæ statum clericalem dedeceant, sufficienter extirpatis, adeo in virtutibus profecit, ut, judicio sapientis confessarii edoctus, sperare possit se futurum esse bonum Ecclesiæ ministrum et operarium inconfusibilem; inter quas virtutes præcipue eminet castitas, præsertim in Ecclesia latina; — 2. Hæc *idoneitas* requiritur ut quis amplecti possit statum clericalem : quod per se patet; — 3. Hæc idoneitas est etiam vere signum positivum, licet per se insufficiens, divinæ vocationis; nam, ut ait Habert : « Sicut ex configuratione vasis certo colligitur ad quem usum artifex illud finxerit, ita prudenter conjectare licet, eum a Deo fuisse electum et conditum ad sacra ministeria, quem iis aptavit[1]. » Unde, quando episcopus, aut ejus hac in re vicem gerentes, vident juvenem ita comparatum esse corpore, mente, voluntate, moribus, ut omnino sit aptus ad exercenda munia status clericalis, prædicationem, auditionem confessionum, celebrationem divinorum officiorum, curam pauperum et infirmorum, etc., statim conjiciunt eum divinitus ad statum clericalem vocatum esse. Et quo major est aptitudo, eo etiam certius signum est.

2° *Secundum signum,* nempe *inclinatio* (gallice *goût, attrait* pour l'état ecclésiastique). De hac inclinatione hæc dicenda :

A. Hæc inclinatio duo elementa complectitur : unum in intellectu, alterum in voluntate. Prius elementum est *magna existimatio status clericalis, et ejus officiorum et*

[1] *Loc. cit.,* p. 420-421.

muniorum; nemo enim inclinatur in id quod despicit, vel erga quod est indifferens; imo hæc existimatio est initium aliquod *propensionis;* id enim quod magni facimus, jam aliquo modo amamus; — alterum elementum, quod sedem habet in voluntate, est *propensio in statum clericalem, ejusque officia et munia :* quæ, licet in diverso rerum genere, haud absimilis est huic propensioni quam conspicimus in his qui delectantur re militari, musica, pictura : de his libenter cogitant, libenter loquuntur, in his libenter occupantur; ita et de propensione in statum clericalem. — Quæ, ut dixi, sedem habet in *voluntate*, non in *sensibus :* quod caute notandum; unde nullo modo requiritur ut hæc propensio redundet etiam in sensus; nihil enim est in statu clericali, aut in ejus officiis et muniis, quod natum sit delectare sensus.

B. Revera hæc inclinatio solet esse in his qui divinitus vocati sunt ad statum clericalem. Nam : 1. Quando, ut supra audivimus a S. Bernardino, Deus aliquem eligit ad aliquam gratiam singularem, vel ad aliquem sublimem statum, omnia ei dona concedit, quæ illi personæ sic electæ et ejus officio sunt necessaria, ātque illam copiose decorant. Atqui, inter illa dona, quæ illi personæ utilia sunt, imo aliquo sensu necessaria, ut recte et digne fungatur officiis suis, est *amor sui status,* et *delectatio in hujus muniis exercendis.* Sic est igitur etiam de vocatis ad statum clericalem; postquam hunc adepti sunt, hunc ejusque munia amant, iisque delectantur; antequam illum adepti sint, in illum sunt *propensi* et *inclinati;* amor enim boni absentis est *desiderium* et *inclinatio;* — 2. Si rem intimius scrutemur, hæc inclinatio oritur etiam ex illa aptitudine, de qua supra locuti sumus; aptitudo enim, seu proportio inter facultates et actus exercendos, generat suavitatem in eliciendis actibus et inclinationem ad illos eliciendos. Unde

enim nascitur inclinatio oculi ad pulchra videnda, auris ad melodiam audiendam, nisi ex aptitudine organorum, seu ex proportione inter organa et objecta? Et sic qui aptus est ad picturam, ad musicam, etc., valde inclinatur ad has artes exercendas, earumque exercitio delectatur. Ita ergo etiam de his qui vere apti sunt ad statum clericalem. — Unde tandem præfata inclinatio solet esse in his omnibus qui divinitus vocati sunt ad hunc statum. Si quis ergo alumnus nullo modo sibi conscius sit hujus inclinationis, valde ipsi ejusque confessario timendum est, ne prorsus desit divina vocatio.

C. Hæc inclinatio est vere *signum positivum divinæ vocationis*, tum quia plerumque indicat aptitudinem, tum quia significat specialem operationem Dei, qua præparat aliquem ad exercenda cum facilitate et suavitate munia et officia status ad quem inclinatur. Nec hoc est proprium vocationi clericali. « Unde enim, ait Habert, cognoscetur quempiam natum ad militiam sæcularem aut quamvis artem profitendam, nisi quia delectatur exercitationibus militaribus, et aliis accommodatis arti, quam profiteri cupit[1]? »

D. Verum, ut hæc inclinatio sit vere signum divinæ vocationis, duo requiruntur :

a. Ut sit *supernaturalis*, nempe ut alumnus, in amplectendo statu clericali, sibi proponat finem supernaturalem, v. g., gloriam Dei, salutem animarum, aut alium hujusmodi; Deus enim non potest vocare aliquem ad statum clericalem, nisi propter se ipsum; omnia enim propter semetipsum facit Dominus. Si ergo ordinandus inclinetur ad statum clericalem, quia speret inde vel augeri posse rem familiarem, vel acquiri posse vanam gloriam aut

[1] *Loc. cit.*, p. 421.

dignitates, vel duci posse mollem quietamque vitam, patet eum inclinari non tam in statum clericalem, quam in divitias, vanam gloriam aut otium, et sic hanc inclinationem non esse signum divinæ vocationis, sed cupiditatis, superbiæ, socordiæ. Idem cum proportione dicendum de eo qui non cupiat ordines, nisi ob metum reverentialem parentum, amicorum, benefactorum; hic enim non vocatur a Deo, sed a carne et sanguine. — Notandum tamen ordinandum aliquando moveri, initio, ad statum clericalem motivis naturalibus aut etiam minus honestis, et hoc non nocere, modo tandem excludantur omnia motiva minus honesta, et prævaleant fines supernaturales; Deus enim viis omnibus uti potest, et etiam aliquando peccatis, ut trahat aliquem ad statum clericalem.

b. Ut sit *diuturna,* nempe ut illa inclinatio non *transitoria* sit, sed *longo tempore duret.* Si enim *mere transitoria* sit, non significat certo divinam vocationem; tunc enim oriri potest vel ab ipsa *natura*, vel a *dæmone*, vel etiam a *Deo,* non quidem vocante, sed aliud sibi proponente; potest, inquam, oriri ab ipsa *natura,* v. g., ex ardore juvenili, ex subito zeli motu, vel etiam ex aliquo infortunio, vel deceptione aliqua; in his enim adjunctis, natura sufficiens est ad gignendam illam transitoriam inclinationem. Potest etiam produci a *dæmone*, qui aliquando, ut distrahat juvenem ab officiis præsentibus et a cura propriæ salutis, mentem ejus occupat repletque variis desideriis rerum quæ nunquam evenient; etenim, ut notat Suarez : « Etiam in hoc desiderio (vitæ religiosæ) interdum se transfigurat angelus satanæ in angelum lucis, ut significavit in cap. *Licet*, 18, De regularibus, Innocentius III[1]. » Imo potest illa transitoria inclinatio produci ab ipso *Deo*,

[1] *De religione*, tract. VII, lib. V, c. VIII, n. 3, Parisiis, 1859, t. XV, p. 331.

quin tamen vocet ad statum clericalem : quod scite animadvertit Suarez : « Sæpe Spiritus Sanctus præbet desiderium alicujus rei, cujus executionem non vult, sicut præbuit Davidi voluntatem ædificandi templum et Abrahamo voluntatem sacrificandi filium, a quibus executionem non acceptavit; immittit enim interdum Spiritus Sanctus tale desiderium propter bonum et meritum ipsius; quamvis ad executionem perventurum non sit, aut pervenire non expediat[1]; » quod etiam luculenter confirmat vita sanctorum. — Unde, ut inclinatio sit *certum signum* divinæ vocationis, requiritur ut sit *diuturna;* tunc enim oriri nequit a *natura,* quæ, in his sanctis inclinationibus, facile variabilis est et mobilis, nec a *dæmone,* qui non potest esse diu sibi oppositus, sed a solo *Deo,* et quidem a Deo vere vocante ad statum clericalem; repugnare enim videtur bonitati et sapientiæ Dei ut diu vocet aliquem, quin velit eum illuc pervenire, quo vocat illum. — Notandum est : 1. Judicium de sufficienti inclinationis diuturnitate relinqui prudenti æstimationi confessarii, qui tempus plus minusve longum requiret, prout ipsa inclinatio minus erit magisve vivida, et cetera vocationis signa minus magisve clara et firma; — 2. Aliquando inclinationem intermitti seu interrumpi, dum nempe alumnus nunc statum clericalem ingredi, nunc in sæculo remanere appetit; has autem intermissiones non esse attendendas, modo tandem per sat longum tempus, judicio confessarii, prævaleat inclinatio ad statum clericalem.

3° *Tertium signum vocationis,* nempe *electio facta a pastore* seu *episcopo.* — De hac electione hæc dicenda :

A. Ut candidatus judicare possit ultimo et practice se esse ad statum clericalem vocatum, requiritur omnino

[1] *De religione, ibid.,* n. 4, p. 331.

electio episcopi, id est, requiritur ut episcopus, sive per se, sive per alios, v. g., per moderatores seminarii sui, inspiciat signa vocationis hujus candidati, hæc signa sufficientia judicet, et sic eligat et assumat eum ad statum clericalem. Si enim Deus instituit *signa* vocationis, instituere etiam debuit *judicem authenticum* horum signorum, ne fiat illusio aut error. Porro hic judex non est ipse candidatus, nemo enim judex in propria causa, sed episcopus; quod constat, tum *concilio Tridentino*, cap. *Cum nullus*, 16, sess. XXIII, De reform. : « Cum nullus debeat ordinari, qui *judicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis;* » tum ipsamet *ordinatione Ecclesiæ*, juxta quam tota administratio diœcesis collatioque ordinum est in manu episcopi.

B. Unde hæc electio, ab episcopo facta, est : 1. *Recognitio authentica* signorum vocationis : quod patet ex dictis; — 2. *Complementum* signorum; si signa sint evidentia, non egent complemento; sed aliquando non sunt ita clara ut auferant omnem de divina vocatione dubitationem; tunc ergo electio facta ab episcopo (vel ab ejus vices gerentibus) haberi potest ut signorum *complementum;* est enim gravis momenti, tum quia tenet episcopus, in hac re potissimum, locum Christi et Ecclesiæ, eique proinde deesse nequit divinum adjutorium et lumen; tum quia nemo melius judicare potest de requisitis ad divinam vocationem quam episcopus qui, ex munere divinitus commisso, melius cognoscit necessitates ecclesiarum suarum. Unde hæc electio episcopi haberi potest ut ultima pars illius, ut ita dicam, *providentialis præparationis*, qua Deus electum suum ab ortu nativitatis ad sacras ordines disposuit.

C. Attamen electio ab episcopo facta *non supplet alia signa*. — Episcopus enim, aut ejus vicem gerentes, non judicant nisi de *externis:* porro : 1. *Inclinatio*, licet mani-

festetur exterius, in intima tamen mente reponitur; — 2. *Idoneitas*, licet quoad plures partes sit externa, habet tamen aliquam partem mere internam, idoneitatem nempe, ut dictum est, quoad *voluntatem et mores;* requiritur enim, ut ordinandus, spectata ejus vita præterita, vitiorumque extirpatione, speret Deo auctore se continere posse. Unde non sufficit sola episcopi electio; sed requiritur judicium prudens confessarii, cui ingenue pleneque aperuerit ordinandus secreta cordis sui, quique pronuntiet adesse veram intimamque inclinationem, præfatamque idoneitatem.

82. — Quæritur : *Num adsit obligatio obsequendi divinæ vocationi.*

Resp. : 1° *Divina vocatio per se non obligat sub peccato.* — Nam : 1. Gratia divina non mutat rerum essentias; si ego inclinem animum tuum et impellam te ad implendum præceptum, ad facienda perfectiora, ad servanda consilia, hic meus impulsus non mutat rerum essentias; quod est præceptum, remanet præceptum; quod est in genere perfectionis et consilii, remanet in hoc genere, nec transit ad genus præcepti; quod per se patet, quia impulsus ille est quid mere *extrinseci*. Et idem dicendum de gratia divina, quæ est divinus impulsus, inclinans homines vel ad præcepta, vel ad perfectiora, vel ad consilia. Porro vocatio, de qua agimus, nihil aliud est, quam gratia divina, quæ, per tempus plus minusve longum, inclinat hominem ad statum clericalem, eique annexa consilia et officia, ad quæ per se nemo tenetur. Ergo divina vocatio de se non obligat sub peccato; — 2. Unde non semel S. Pœnitentiaria respondit in hoc sensu; declaravit enim, die 27 aug. 1829, non esse cogendum ad suscipiendos sacros ordines clericum, qui, licet a suis superioribus electus, et a suo confessario dignus judicatus sacro ministerio,

obtemperare illorum monitis renuit, causa humilitatis vel timore periculorum; nec etiam cogendum censuit diaconum ad suscipiendum presbyteratus ordinem[1]. — Unde tandem dicendum est cum S. Gregorio, scribente ad episcopum Salonitanum : « Justum est ut nemo crescere compellatur invitus[2]. »

2° *Licet divina vocatio de se non obliget sub peccato, attamen valde suadent charitas et prudentia ut Deo vocanti vocatus obtemperet.* — Quod egregie demonstrant S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, et S. Athanasius : 1. S. Augustinus, in epist. ad Eudoxium, abbatem monachorum, dixit : « Si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo... Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis[3]; » — 2. Pariter S. Gregorius, in epist. ad Cyriacum, episcopum Constantinopolitanum : « Pastori Ecclesiæ dicitur : *Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas.* Ex quibus verbis colligitur quia, si is, qui valet, omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit se pastorem summum minime amare. Si enim Unigenitus Patris, pro explenda utilitate omnium, de secreto Patris egressus est ad publicum nostrum, nos quid dicturi sumus, si secretum nostrum præponimus utilitati proximorum? Quies itaque nobis et ex corde appetenda est, et tamen pro multorum lucro aliquando postponenda. Nam, sicut toto desiderio debemus occupationem fugere,

[1] Hæ responsiones passim circumferuntur apud auctores, v. g., Scavini, *Theologia moralis*, tract. XI, in fine, not. F, n. 404, Parisiis, 1863, t. IV, p. 475; — Icard, *Prælectiones juris can.*, n. 319, Parisiis, 1893, t. II, p. 21.

[2] *Epist.*, lib. I, epist. XIX; Migne, *P. L.*, t. LXXVII, col. 465. Cf. etiam Benedictum XIV, *De synodo*, lib. XII, c. IV, n. 3.

[3] Epist. XLVIII, n. 2; Migne, *P. L.*, t. XXXIII, col. 188.

ita, si desit qui prædicet, occupationis onus libenti necesse est humero subire[1]; » — 3. Idem, in libro *Regulæ pastoralis,* c. v, ait : « Qui nimirum culmen regiminum si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cumque sua et non aliorum lucra cogitant, ipsis se, quæ privata habere appetunt, bonis privant[2]; » — 4. Item S. Athanasius, ad monachum Dracontium, qui onus regiminis animarum refugiebat : « Obsecro, tibi nobisque parcas : tibi, ut ne in periculum adducare; nobis, ne ad te lugendum compellamur. Ecclesiæ curam habeto, ne, tui causa, multi ex pusillis damno afficiantur, nec alii tuo exemplo captent occasionem secedendi[3]; » confutat deinde Athanasius omnia argumenta quæ ille in sui defensionem afferebat.

3° *Divina vocatio potest obligare sub peccato, ratione alicujus elementi extrinseci.* — Hoc elementum extrinsecum potest esse vel *lex canonica*, vel *necessitas Ecclesiæ*, vel *præceptum superioris,* vel *signum extraordinarium divinæ voluntatis :*

a. Lex canonica ; aliquando nempe qui habent jam beneficium ecclesiasticum, tenentur eo ipso, vel jure communi, vel lege fundationis, vel aliquo statuto speciali, ad recipiendum ordinem sacrum, vel etiam ipsum sacerdotium; hi dicuntur *arctati,* de quibus jam supra, n. **61**, 4°, dictum est.

b. Necessitas Ecclesiæ ; hæc enim necessitas, ob graviora temporum locorumque adjuncta, et penuriam sacerdotum, potest esse tanta, ut quis, divinitus vocatus, *teneatur ordines sacros recipere ;* sicut enim, pro salute patriæ, civis et

[1] *Epist.,* lib. VII, epist. IV; Migne, *P. L.,* t. LXXVII, col. 854.
[2] Migne, *P. L.,* t. LXXVII, col. 18.
[3] Epistola *Ad Dracontium,* n. 3; Migne, *P. G.,* t. XXV, col. 526.

miles aliquando tenentur ad heroica, ita a fortiori christianus, pro salute patriæ spiritualis, teneri potest ad consilia et perfectiora servanda. De quo nemo dubitare potest; unde doctores communiter laudant canonem illum africanum, qui sic habet : « Item placuit, ut quicumque clerici vel diaconi, *pro necessitatibus ecclesiarum*, non obtemperaverint episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in ecclesia sua promovere, nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt[1]. » Tunc ergo episcopus potest præcipere vel clerico inferiori ut ascendat ad superiora, vel etiam (quod tamen fere inauditum est), laico ut ingrediatur statum clericalem, modo, ut patet, sint idonei et divinitus vocati; cujus tamen divinæ vocationis non leve præberet argumentum præceptum episcopi.

c. Præceptum superioris, nempe episcopi pro diœcesanis sæcularibus, prælati regularis pro regularibus, Romani Pontificis pro omnibus[2]. Verum hi superiores, saltem episcopi, vix possunt præcipere nisi *in casu necessitatis ecclesiarum*[3]; unde hic casus, sub hoc respectu, fere reincidit in superiorem.

d. Signum extraordinarium divinæ voluntatis; si ego impellam te *cum vehementi et prorsus insolita hortatione* ad aggrediendum hoc vel illud opus, ex mea agendi ratione concludes vel adesse veram necessitatem ut tu facias illud opus, vel imminere tibi periculum, si non facias; et inde putabis te ad hoc opus faciendum obligatum. Pariter, si Deus, in vocando aliquo ad statum clericalem, sacerdo-

[1] Can. *Item placuit*, 31, *Codex canonum Ecclesiæ africanæ* (= can. *Placuit*, 4, dist. LXXIV); Bruns, *Concilia*, t. I, p. 165. — Cf. etiam Bened. XIV, *De synodo*, lib. XII, c. IV, n. 7; — Hallier, part. I, sect. V, c. I, n. 19-20, ed. Migne, col. 422-425.

[2] Cf. D. Thomam, IIª IIæ, q. CLXXXV, art. 2.

[3] Cf. Hallier, *loc. cit.*, n. 20, col. 424.

tium, vel episcopatum, signis extraordinariis, internis vel externis, manifestet voluntatem suam, illico concludimus eum non sine gravi ratione recedere a viis communibus, et proinde hoc modo manifestare electo vel gravem necessitatem ecclesiarum, cui subvenire debeat, vel grave periculum quod ipse incurrat, si vocanti non obediat. Unde S. Gregorius signa extraordinaria, quæ evenerant in sua propria electione, vocabat *judicia divina*, *quibus resistere non potuerat* (supra, n. **81**). Insuper potest Deus directe *præcipere* alicui ut ingrediatur statum clericalem, hocque suum *præceptum* interne ei manifestare; de qua manifestatione constabit ex regulis consuetis discretionis spirituum. — Itaque, in his casibus, vocatio divina obligat sub peccato, non quidem per se, sed ratione connexæ necessitatis vel periculi, vel divini præcepti.

II. De ætate legitima

83. — Notitia historica[1]. — De ætate quoad ordines recipiendos prioribus sæculis pauca dicenda :

1° *De ordinibus minoribus.* — Lectoratus sæpe conferebatur pueris et etiam infantibus : 1. Siricius, epist. I, *Ad Himerium Tarraconensem*, n. 13, testatur potuisse *lectores* ordinari a teneris annis : « Quicumque itaque *se Ecclesiæ vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, et lectorum debet ministerio sociari*[2]. » Quod fere repetit Zozimus, epist. IX, *Ad Hesychium Salonitanum*, n. 5[3]; — 2. Ennodius, episcopus Ticinensis, de Epiphanio, prædecessore suo, dicit : « *Annorum ferme octo, lectoris ecclesiastici suscipit officium*, signo antea cœlitus demonstrato[4]; » — 3. Sidonius Apollinaris de S. Joanne,

[1] Cf. Thomassin, *Discipline de l'Église*, part. I, liv. II, c. LXVII-LXX, ed. 1866, t. II, p. 167 sq.

[2] Migne, *P. L.*, t. XIII, col. 1142.

[3] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 672.

[4] Ennodius, *Vita B. Epiphanii episcopi Ticinensis*, initio; Migne, *P. L.*, t. LXIII, col. 208.

episcopo Cabillonensi, ait : « *Lector* hic primum, sic minister altaris, idque *ab infantia*[1]; » — 4. Victor Vitensis, *De persecutione Vandalica*, lib. V, c. IX, memorat *lectores infantulos* : « Tunc etiam... universus clerus ecclesiæ Carthaginis cæde inediaque maceratur, fere quingenti, vel amplius; inter quos *quam plurimi erant lectores infantuli*, qui, gaudentes in Domino, procul exsilio crudeli truduntur. » Cf. etiam *ibid.*, n. 10[2]; — 5. Imo memorat Martène S. Euthymium, abbatem, fuisse lectorem ordinatum, in ætate trium annorum[3]; — 6. In Ecclesia Orientali, Justinianus imperator prohibuit fieri lectorem *minorem decem et octo annorum*, *Novella CXXIII*, c. XIII.

2° *De subdiaconatu.* — 1. Ætas determinata pro subdiaconatu fuit primum *viginti annorum*, ut constat cit. epistolis Siricii et Zozimi, qui decernunt eum saltem qui ab infantia se vovit ministeriis ecclesiasticis, *accessu adolescentiæ*, seu *in vigesimo ætatis anno*, debere fieri *acolythum vel subdiaconum*[4]; quem morem præscripsit etiam conc. Toletanum II (an. 531), can. 1[5]; item concilium in Trullo (an. 692), can. 15[6]; — 2. Postea autem, saltem in quibusdam Ecclesiæ partibus, varia concilia aut statuta determinaverunt ætatem 18 annorum, v. g., in pluribus locis Galliæ et Hispaniæ[7]; — 3. Imo sæculis XII et XIII, sufficiens habita est ætas 14 aut 15 annorum : quem morem testantur Hugo a S. Victore (def. ann. 1140), Petrus Lombardus, Bandini[8]; — 4. Verum Clemens V restituit ætatem 18 annorum, cap. *Generalem*, 3, DE ÆTATE ET QUALITATE PRÆF., Clement. : « Generalem

[1] Sidonius, *Epist.*, lib. IV, epist. XXV; Migne, *P. L.*, t. LVIII, col. 532.

[2] Migne, *P. L.*, t. LVIII, col. 246, 248.

[3] Martène, *De antiquis Eccl. ritibus*, lib. I, c. VIII, art. 3, n. 2, cit. edit., t. II, p. 6.

[4] Cit. epist. Siricii, n. 13; cf. *ibid.*, notam P. Coustant; Migne, *P. L.*, t. XIII, col. 1142; — cit. epist. Zozimi, n. 5.

[5] Bruns, *Conc.*, t. I, p. 208.

[6] *Ibid.*, t. I, p. 42.

[7] Martène, *loc. cit.*, n. 3, p. 7.

[8] Hugo a S. Victore, *De sacramentis*, lib. II, part. III, c. XXI; Migne, *P. L.*, t. CLXXVI, col. 432; — P. Lombardus, *Sent.*, lib. IV, dist. XXV, n. 9; Migne, *P. L.*, t. CXCII, col. 908; — Bandini, *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV; Migne, *P. L.*, t. CXCII, col. 1105.

Ecclesiæ observantiam antiquis juribus in hac parte præferri decernimus, ut, alio non obstante impedimento canonico, possit quis libere in *decimo octavo* ad *subdiaconatus*, in vigesimo ad diaconatus, et in vigesimo quinto ætatis suæ anno ad presbyteratus ordines promoveri; » quæ remansit lex Ecclesiæ usque ad promulgationem concilii Tridentini, de quo infra; unde illam ætatem passim videre est notatam sive in libris Pontificalibus, sive in conciliis provincialibus hujus ætatis [1].

3° *De diaconatu et presbyteratu.* — 1. A sæculo IV ad XII, ætas determinata pro his duobus ordinibus fuit, annorum viginti quinque pro diaconatu, triginta pro presbyteris; sic jubet pro diaconis conc. Carthaginense III (an. 397), can. 4 [2]; et pro presbyteris conc. Neocæsariense (an. 314), can. 11 [3], quod addit hanc rationem, quia nempe hac ætate (30 annorum) Christus baptizatus est et prædicare cœpit. Quæ leges ubique invaluerunt; unde cum Siricius, cit. epist. *Ad Himerium* (an. 385), determinasset pro his ordinibus ætatem 30 annorum (pro diaconatu) et 35 (pro presbyteratu), Zozimus, cit. epist. *Ad Hesychium* (an. 418), reduxit ad ætatem 25 et 30 annorum circiter. Conc. Agathense (an. 506), can. 16-17; — Arelatense IV (an. 524), can. 1; — Toletanum II (an. 531), can. 1; — capitula Martini Bracarensis (an. 572), cap. 20; — conc. Toletanum IV (an. 633), can. 20; — conc. in Trullo (an. 692), can. 14, eamdem legem, nempe 25 annorum pro diaconatu, et 30 pro presbyteratu, præscribunt [4]. — Quem morem adhuc viguisse sæculo XII testantur Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus, Bandini, locis supra cit.; — 2. Verum, sæculo XIII, paulatim imminuta est ætas requisita, ita ut tantum requirerentur, pro diaconatu, 20, pro presbyteratu, 25 anni; quem morem simul testatur et in jus commune transfert Clemens V, cit. cap. *Generalem*, 3, De ætate et qualitate præfic., Clement.

[1] V. g., in concilio Narbonensi, an. 1551, cap. IV; Coleti, *Concilia*, t. XX, col. 1253.

[2] Bruns, t. I, p. 123.

[3] *Ibid.*, p. 72.

[4] *Ibid.*, t. II, p. 149, 174; t. I, p. 208; t. II, p. 48; t. I, p. 230, 42. — Plerique hi canones relati sunt a Gratiano, dist. LXXVII et LXXVIII.

4° *De episcopatu. — Constitutiones apost.,* lib. II, c. 1[1], præscribunt, pro episcopatu, ætatem 50 annorum; Siricius, cit. epist. *Ad Himerium,* n. 13, ætatem 45 annorum. — Verum, sive ob necessitates ecclesiarum, sive ob eximias virtutes[2] in quibusdam viris hanc ætatem non assecutis, sæpe minor ætas sufficiens habita est, ita ut paulatim mos invaluerit assumendi ad episcopatum viros triginta annorum. Hanc ætatem præscribunt cit. conc. Agathense, can. 17, et cit. conc. Arelatense IV, can. 1[3]. Imo hanc ætatem in jus commune transtulit conc. Lateranense III (an. 1179), can. 3 (= cap. *Cum in cunctis,* 7, De electione) : « Præsenti decreto statuimus, ut nullus in episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum annum ætatis exegerit... [4]. »

84. — Ætas præscripta pro variis ordinibus.

1° *De prima tonsura.* — Duo tantum jura ætatem pro prima tonsura requisitam spectant : 1. Cap. *Nullus episcopus,* 4, De temp. ordin., in VI : « Nullus episcopus vel quivis alius, *infanti,* nisi forte religionem intraret... *clericalem præsumat conferre tonsuram;* » — 2. In conc. Trid., cap. *Prima tonsura,* 4, sess. XXIII, De ref. : « Prima tonsura non initientur qui... *fidei rudimenta edocti non fuerint,* quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos, non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, *hoc vitæ genus elegisse.* » — Ex quibus textibus, hæc deducuntur : 1. Requiri pro prima tonsura *usum rationis;* quod supponunt verba concilii, *fidei rudimenta edocti,... hoc vitæ genus elegisse; electio* enim est actus rationis; — 2. Requiri *septennium;* infra enim septennium constitutus, non præsumitur habere usum rationis, et

[1] Migne, *P. G.,* t. 1, col. 594.

[2] Sive etiam per *abusum,* quem docti et sancti deplorabant; cf. Riganti, *In regulam 24 cancellariæ,* § 2, n. 14 sq., t. II, p. 328-329.

[3] Bruns, t. II, p. 149, 174.

[4] Mansi, *Conc.,* t. XXII, col. 218.

adhuc *infans* dicitur, ex usu communi, ut jam notabat Glossa in dictum cap. *Nullus*, v° *Infanti :* « *Infanti*, scilicet *minori septem annis;* septenni ergo potest conferre tonsuram[1]; » — 3. Utrum autem sufficiat septennium *inchoatum*, vel requiratur *completum*, aliquatenus disputari forsan posset, nam desunt textus canonici, qui rem definiant[2]; verum cum Bonifacius VIII, in cit. cap. *Nullus*, adhibuerit vocabulum *infans*, cujus significatio jure romano tunc vigente omnino determinata erat, procul dubio, juxta nota principia, interpretatio hujus vocabuli a jure romano desumenda est; porro L. *Si infanti*, 18, Cod. *De jure deliberandi* (VI, xxx), clare supponitur et declaratur infantiam non cessare nisi per *septennium completum;* dicitur enim : « Si infanti, id est, *minori septem annis*, » et paulo infra : « Si autem *septem annos ætatis* pupillus *excesserit*, etc.[3]; » — 4. Quoad exceptionem in cit. cap. *Nullus* positam, « nisi forte *religionem intraret*, » illi hodie locus amplius non est, tum propter cit. verba conc. Trid., quæ requirunt usum rationis, tum quia infans vix potest religionem intrare, nisi per *oblationem parentum*[4]; porro hic usus oblationis parentum hodie desiit[5].

2° *De ordinibus minoribus.* — Nullo textu claro determinatur ætas pro his ordinibus; unde conferri possunt *post septennium completum*, modo cetera requisita con-

[1] *Corpus juris can. cum glossis*, in hoc caput, Lugduni, 1671, t. III, p. 214.

[2] Giraldi allegat textum *Pontificalis Romani* requirentem septennium *completum* (*Expositio*, etc., part. II, sect. XCI, p. 938); verum me latet ubi illum textum in *Pontificali* repererit.

[3] Unde septennium *completum* requirit communissima doctorum opinio, quos videas longo agmine relatos apud Riganti, *In regulam 24 cancellariæ*, § 2, n. 4, t. II, p. 327.

[4] Ut notat Glossa, in eod. cap. *Nullus*, v° *Intraret*, *loc. cit.*, p. 214.

[5] De quo cf. Benedictum XIV, epist. *Probe te*, 15 dec. 1751, § 6; *Bull. Bened.*, t. III, n. 54.

currant. Ita, cum Benedicto XIV[1], communis opinio doctorum[2].

3° *De subdiaconatu, diaconatu et presbyteratu.* — Concilium Trid., cap. *Nullus*, 12, sess. XXIII, De ref., præscripsit ætatem pro his ordinibus, ut sequitur : « Nullus in posterum ad *subdiaconatus* ordinem ante *vigesimum secundum*, ad *diaconatus* ante *vigesimum tertium*, ad *presbyteratus* ante *vigesimum quintum* ætatis suæ annum promoveatur. » Unde, quoad subdiaconatum et diaconatum, conc. Trid. derogavit dispositioni supra cit. cap. *Generalem*, 3, De ætate et qualitate præficiendorum, Clement. — De quo notandum est sufficere pro singulis his ordinibus annum esse incœptum, ut constat tum usu universalis Ecclesiæ, tum pluribus S. Congr. Conc. responsis[3], tum etiam, quod spectat ad subdiaconatum et diaconatum, hac ratione, ut scilicet quam minime derogetur juri decretalium, in cit. cap. *Generalem* contento.

4° *De episcopatu.* — Ut supra dictum est (n. **83**, 4°), conc. Later. III, can. *Cum in cunctis*, 3, statuit : « Ut nullus in episcopum eligatur, nisi *qui jam trigesimum annum exegerit;* » qui canon insertus est decretalibus Gregorii, cap. *Cum in cunctis*, 7, De electione. — Porro hunc concilii Lateranensis canonem concilium Trid. renovavit et confirmavit cap. *Ad cathedralium*, 1, sess. VII, De ref. : « Ad cathedralium ecclesiarum regimen nullus, nisi ex legitimo matrimonio natus, et *ætate matura*, gravitate morum..., juxta constitutionem Alexandri III, qui incipit *Cum in cunctis*, in concilio Lateranensi promulgatam, præditus assumatur. » — De quo notandum est hic

[1] Epist. *Eo quamvis*, 4 maii 1745, *De ritibus Cophtorum*, § 19; *Bull. Bened.*, t. I, n. 129.

[2] Apud Riganti, *loc. cit.*, n. 7.

[3] Apud Giraldi, part. II, sect. CII, p. 966.

non sufficere trigesimum annum *inchoatum*, cum dicat canon : « Qui jam trigesimum annum *exegerit*. »

85. — Modus computandi ætatem. — 1. Anni requisiti pro variis ordinibus sunt anni *civiles*, non *ecclesiastici;* licet enim aliquando in sacris canonibus intelligantur anni *ecclesiastici*, nempe, v. g., de paschate unius anni ad pascha alterius anni[1], attamen, quando agitur de *ætate*, semper intelliguntur anni *civiles*, ita ut in anno bissextili computari etiam debeat dies addita[2]; — 2. Computatio fit, non a die *baptismatis*, sed a die *nativitatis; ætas* enim incipit a nativitate; unde ita etiam decidit S. Congr. Conc., in *Spoletana*, die 18 dec. 1627[3]; — 3. Ratio debet haberi etiam *horarum;* si nempe Titius, ad subdiaconatum ordinandus, natus sit die vigesimo decembris anni 1880, viginti et unum annos complebit quidem die vigesimo decembris anni 1901; sed si ordinatio subdiaconatus fiat hora decima matutina, et ipse natus sit post meridiem, non poterit hoc die vigesimo decembris 1901 ordinari. Ratio est quia, ut patet, nondum inchoavit annum vigesimum secundum; nec habetur dies incepta pro completa, ut faveatur, quantum fieri potest, libertati clericorum; et ita doctores communiter.

86. — Pœnæ contra delinquentes.

1° Contra *ordinantes* aliquem ante legitimam ætatem. — 1. Bonifacius VIII, cit. cap. *Nullus*, 4, De temp. ordin., in VI, tulerat pœnam suspensionis partialis contra

[1] Quando agitur de *interstitiis*, anni possunt intelligi *ecclesiastici*, ut dicetur infra.

[2] Cf. Bœnninghausen, *De irregularitatibus*, part. III, c. IV, Monasterii, 1866, t. III, p. 127.

[3] Apud Giraldi, part. II, sect. XCII, p. 939; — cf. etiam Riganti, *loc. cit.*, n. 18, p. 329.

episcopum conferentem *infanti* primam tonsuram; cum hæc pœna latæ sententiæ non fuerit renovata in const. *Apostolicæ Sedis,* cessavit; — 2. Remanet tantum pœna lata in cap. *Vel non est compos,* 14, De temp. ordin.; cum aliquis episcopus ordinem sacrum (diaconatus) contulisset puero annorum tredecim, sic statuit Honorius III : « Dignitati vestræ mandamus, quatenus, si rem inveneritis ita esse, *prædictum episcopum a collatione ordinum suspendentes*, ipsum, ut eidem M., quem ab exsecutione officii diaconi usque ad ætatem legitimam in injuriam suspendimus ordinantis, provideat in ecclesiastico beneficio competenti, per censuram ecclesiasticam compellatis. » Agitur ergo de *suspensione a collatione omnium ordinum,* sed non ab aliis pontificalibus aut sacerdotalibus; quæ suspensio est *ferendæ sententiæ*, ut patet ipso textu. Cum hoc negotium sit *causa criminalis minor,* reservatur, vi concilii Trid., cap. *Causæ*, 5, sess. XXIV, De reformatione, concilio provinciali, vel ab eo deputandis; si non habeatur concilium provinciale, solus Romanus Pontifex hanc pœnam ferre potest. — Notandum est, in præfato cap. *Vel non est compos*, non agi de episcopo conferente ordinem *minorem,* sed tantum de episcopo conferente ordinem *sacrum,* etiam solius subdiaconatus, ut fert communissima interpretatio.

2° Contra *ordinatos* ante legitimam ætatem. — 1. Pius II, bulla *Cum ex sacrorum,* 15 kal. dec. 1461[1], contra recipientes aliquem ordinem *sacrum* ante legitimam ætatem, tulerat pœnam suspensionis *latæ sententiæ* ab exsecutione omnium ordinum; cum hæc pœna non fuerit renovata in bulla *Apostolicæ Sedis,* cessavit; — 2. Remanet tantum pœna lata in relato cap. *Vel non est compos,* nempe pœna

[1] *Bull. Rom.*, t. III, part. 3, p. 109 (vel apud Honorante, p. x).

suspensionis *ab exsecutione ordinis sacri recepti,* quæ duret *usque ad legitimam ætatem;* quæ suspensio est *ferendæ sententiæ*, ut satis patet vocabulo *suspendimus,* quod indicat, non pœnam a lege latam, sed *actum judicis ferentis pœnam*[1]; — 3. Clericus ordinatus ante legitimam ætatem, non est *irregularis,* quidquid dicunt aliqui[2]; hæc enim irregularitas nullibi scripta est. Unde clericus ille, antequam suspendatur, poterit licite ministrare in ordine suscepto[3]. Sicut enim conjuges, qui matrimonium contraxerunt illicite (v. g., matrimonium *mixtum*), possunt nihilominus matrimonio semel inito uti licite, ita et clericus ordine, quamvis illicite suscepto, uti licite poterit, antequam ab episcopo suspendatur (si nil aliud obstet).

87. — Potestas dispensandi in ætate requisita. — *Jure proprio,* solius sanctæ Sedis est dispensare in ætate requisita ad ordines; agitur enim de lege generali Ecclesiæ. Porro rarissime dispensat pro *subdiaconatu*[4]; raro pro *diaconatu;* sæpius, proportionata concurrente causa, *pro presbyteratu.* Si de hoc ultimo ordine agatur, sat facile dispensat in defectu duodecim aut tredecim mensium; imo dispensat, ex gravi causa, ut pluries vidi, in defectu

[1] Ita *prævalens opinio,* ait Riganti, *loc. cit.,* § 4, n. 11, t. II, p. 386; ita etiam Reiff., in tit. *De temp. ordin.,* n. 179; — Bœnninghausen, *loc. cit.,* p. 129. — Quidam tamen dicunt suspensionem esse *latæ sententiæ,* v. g., Schmalzg., in tit. *De temp. ordin.,* n. 61.

[2] V. g., Busembaum, apud S. Alph., lib. VII, n. 360. — Irregularitatem non incurri docet S. Alph., lib. VI, n. 799.

[3] Ita etiam doctissimus scriptor periodici *Il Monitore ecclesiastico,* t. XII, p. 464; docet pariter Navarrus ordinatum *bona fide* ante legitimam ætatem posse ministrare licite in ordine recepto; exigit autem *bonam fidem,* quia mala fides, tempore Navarri, induxisset suspensionem latæ sententiæ, ex bulla Pii II; Navarrus, *Consilium 8,* in tit. *De temp. ordin.,* Coloniæ Agrippinæ, 1616, t. I, p. 51. — Aliter sentit Gasparri, *De ordinatione,* n. 494; cf. n. 153.

[4] Allegat Riganti exemplum dispensationis pro quinque mensibus; *loc. cit.,* § 2, n. 10, p. 328.

octodecim aut viginti mensium, nunquam vero viginti unius. — Vi *indultorum*, plures episcopi dispensare possunt, ad presbyteratum, usque ad annum; ita etiam vicarii apostolici pro locis missionum[1].

88. — De ætate ordinandorum in Ecclesia Orientali.

1° Apud Græcos, adhuc vigent canones Trullani, vi quorum, ut supra dictum est, requiritur annus vigesimus pro subdiaconatu, vigesimus quintus pro diaconatu, trigesimus pro presbyteratu[2]. Quos canones episcopis et clericis in memoriam revocat concilium græco-melchiticum, an. 1835, can. 6[3].

2° Nova synodus Ruthenorum unitorum, an. 1891, suam facit legem Tridentinam pro ætate requisita ad subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum[4].

3° Apud Maronitas, ob necessitates temporum locorumque, paulo imminuta est prædicta ætas; requiritur nempe ætas quatuordecim annorum ad subdiaconatum, vigesimus primus annus inchoatus ad diaconatum, vigesimus quintus inchoatus ad presbyteratum; ad cantoratum vero et lectoratum sufficit septennium completum. — Ita in conc. Montis Libani, an. 1736, part. II, c. XIV, n. 21-28[5].

4° Pro Italo-Græcis, Benedictus XIV præscripsit ætatem a conc. Trid. determinatam; ita in const. *Etsi pastoralis*, 7 kal. junii 1742, § 7, n. 19[6].

[1] Vide exempla in *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 1172-1173, Romæ, 1893, p. 399.

[2] Cf. Goar, *Euchologium Græcorum*, p. 246, not. 1; — Leo Allatius, *De ætate et interstitiis in collatione ordinum etiam apud Græcos servandis*, Romæ, 1638, p. 30-69.

[3] *Collect. Lacens.*, t. II, col. 583.

[4] *Acta et decreta synodi provincialis Ruthenorum*, tit. II, c. VI, n. 1, Romæ, 1896, p. 28.

[5] *Collect. Lacensis*, t. II, col. 237-239.

[6] *Bull. Bened.*, t. I, n. 57.

5° Apud Syros unitos, ex nova synodo an. 1888, requiritur, pro lectoratu, annus decimus quartus inchoatus; pro subdiaconatu, annus decimus octavus inchoatus; pro presbyteratu et diaconatu, sicut in Ecclesia latina[1].

III. De scientia requisita

89. — Scientia requisita pro variis ordinibus. — 1° *Pro prima tonsura.* — Conc. Trid., cap. *Prima,* 4, sess. XXIII, De ref., statuit : « Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint, et *fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant.* »

2° *Pro minoribus ordinibus.* — Conc. Trid., cap. *Minores,* 12, sess. XXIII, De ref., statuit : « Minores ordines, iis qui *saltem latinam linguam intelligant*, per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur. » Ergo, quidquid dicunt quidam[2], non sufficit ut apti sint ad linguam latinam intelligendam, vel speretur eos illam brevi intellecturos; verba enim, *Nisi aliud episcopo expedire magis videretur,* cadunt tantum super hanc locutionem, *Per temporum interstitia.*

3° *Pro subdiaconatu et diaconatu.* — Conc. Trid., cap. *Subdiaconi,* 13, *ibid.,* statuit : « Subdiaconi et diaconi ordinentur..., *litteris, et iis quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi.* » Qualis autem requiratur peritia *litterarum,* in lingua tum vernacula, tum latina, episcopi est definire.

4° *Pro presbyteratu.* — Conc. Trid., cap. *Qui pie,* 14, *ibid.,* statuit : « Qui ... ad presbyteratus ordinem assu-

[1] *Synodus Sciarfensis Syrorum,* an. 1888, c. v, art. 13, § 4, 5, 8, Romæ, 1897, p. 142, 143, 146.

[2] Apud S. Alphonsum, lib. VI, n. 790.

muntur, ... hi sint qui ... etiam *ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta*, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur. » Unde scientia requisita ad presbyteratum duo respicit : 1. Quæ scire *omnibus necessarium est ad salutem*, nempe symbolum apostolorum, decalogum, sacrificium et ea sacramenta quæ quisque recipere debet; hæc ergo ita scire tenetur ordinandus, ut possit ea populum apto et claro sermone docere ; — 2. Quæ requiruntur ut presbyter *idoneus sit ad administranda sacramenta ;* agitur autem hic non tantum de baptismo, eucharistia et extrema-unctione, sed etiam, quidquid dicunt aliqui[1], de pœnitentia, saltem in casu necessitatis administranda, nempe constitutis in periculo vel articulo mortis ; ex qua parte, non levis theologiæ moralis et præsertim *Tractatus de pœnitentia* scientia requiritur in simplici presbytero. — De quo notandum est, apud nos, fere omnes presbyteros, et sæpe etiam fere statim post presbyteralem ordinationem, approbari ad sacramentales confessiones audiendas; unde in eis requiritur non tantum prædicta scientia, sed etiam hæc plenior et perfectior scientia, quæ requiritur in *confessario approbato*, qui paratus sit ad audiendas quorumlibet, in communibus adjunctis, confessiones : ad quam confessarii scientiam comprobandam, concilium Trid., cap. *Quamvis*, 15, *ibid.*, requirit etiam *examen*, si episcopis videatur necessarium[2].

5° *Pro episcopatu.* — Hæc dicenda :

A. *Ampla et accurata scientia de rebus theologicis et canonicis requiritur in promovendo ad episcopatum.* —

[1] Apud S. Alph., lib. VI, n. 791.

[2] Exhibet Honorante, *Praxis Vicariatus*, etc., c. XVIII, p. 175 sq., præcipuas *Interrogationes* quibus tentari possit scientia candidatorum ad varios ordines, juxta præscripta Tridentina.

Nam : 1. S. Paulus ait, I Tim., III, 2 : « Oportet ergo episcopum esse ... *doctorem;* » et, Tit., I, 9 : « Oportet enim episcopum esse ... *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere ;* » — 2. Juxta conc. Trid., « *prædicatio evangelii ... est præcipuum episcoporum munus* [1] ; » et « *prædicationis munus*, quod *episcoporum præcipuum est*, etc. » [2]. Ergo doctrinam evangelicam et in genere doctrinam christianam et theologicam præcipue callere debet, ut possit illam docere ; — 3. Idem concilium, cap. *Quicumque*, 2, sess. XXII, De ref.., loquens de promovendo in episcopum, ait : « Scientia vero, præter hæc, ejusmodi polleat, ut *muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere ;* » porro munus episcopo creditum non est tantum *docere* et *prædicare*, sed etiam *omnia sacramenta administrare, clericos informare et ordinare, procurare observantiam canonum* per visitationem diœcesis, statuta et præcepta, *exercere judicia* in foro ecclesiastico, in materia sive civili sive criminali, *promovere cultum divinum* et omnia quæ huc referuntur, *examinare et approbare confessarios, concionatores, parochos*, etc., etc. ; ergo requiritur ut episcopus theologiam dogmaticam et moralem, insuper et jus canonicum apprime calleat.

B. *Quoad modum comprobandi hanc scientiam :* 1. Concilium Trid., cit. cap. *Quicumque*, post verba superius relata, hæc addit : « Ideoque antea, in universitate studiorum, *magister* sive *doctor* aut *licentiatus* in sacra *theologia* vel *jure canonico* merito sit promotus, aut publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, a superioribus

[1] Cap. *Quia vero*, 2, sess. V, De ref.
[2] Cap. *Prædicationis*, 4, sess. XXIV, De ref.

suæ religionis similem fidem habeat ; » — 2. Præter gradum doctoris, etc., præcepit Gregorius XIV ut fieret *inquisitio de doctrina promovendi ;* ait enim, bulla *Onus apostolicæ*, 15 martii 1591, § 9 : « Quia circa doctrinam plures fraudes committi solent, et sæpe contingit ut nonnulli, scientia vacui, de solo doctoris titulo aut privilegio glorientur, volumus ut *de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur*, ... nisi forte aliquorum insignis doctrina ex publica ipsorum functione notoria esset... Ita vero inquisitio facienda erit, ut, quibus in locis, quanto tempore, et quo fructu, theologiæ vel juri canonico promovendus operam dederit, cognoscatur[1]. » — 3. Ad quod exsequendum, Urbanus VIII, in *Instructione*, edita an. 1627, circa processum informativum de promovendis ad episcopatum[2], voluit interrogari testes, de *gradu doctoris*, de *locis* in quibus promovendus scientiæ sacræ studuerit, de *tempore* et *fructu* studii, etc.[3].

IV. De requisita probitate et gravitate morum

90. — Morum probitas et gravitas requisita pro variis ordinibus.

1° *Pro prima tonsura.* — Conc. Trid., cap. *Prima*, 4, sess. XXIII, De ref., sic statuit : « Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint, ... et *de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* » Quæ conjectura fundatur præsertim bonis et piis moribus ordinandi.

[1] *Bull. Rom.*, t. v, part. 1, p. 269.

[2] Habes hanc *Instructionem* in *Bull. Rom.*, t. vi, part. 1, p. 73-77 ; — vel apud Bouix, *De episcopo*, t. i, p. 215 sq., Parisiis, 1859.

[3] Vide *Instructionis* § 5, Interrogatorium 10 ; Bouix, *loc. cit.*, p. 220.

2° *Pro ordinibus minoribus.* — Conc. Trid., cap. *Ad minores*, 5, sess. XXIII, De ref., statuit : « Ad minores ordines promovendi *bonum a parocho et a magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant ;* » — et, cap. *Minores*, 11, *ibid.* : « Atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in iis, cum ætate, *vitæ meritum* et doctrina major *accrescat :* quod et *honorum morum exemplum*, et *assiduum in ecclesia ministerium*, et *major erga presbyteros et majores ordines reverentia*, et *crebrior, quam antea, corporis Christi communio* maxime comprobabunt. »

3° *Pro majoribus ordinibus.* — 1. Conc. Trid., cap. *Nullus*, 12, sess. XXIII, De ref., loquens de tribus majoribus ordinibus, ait : « Sciant tamen episcopi, non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed *dignos* duntaxat, et *quorum vita probata senectus sit ;* » — 2. Idem conc., cap. *Subdiaconi*, 13, *ibid.*, agens de *subdiaconis* et *diaconis*, ait : « Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes *bonum testimonium*, et in *minoribus ordinibus jam probati... ; qui sperent, Deo auctore, se continere posse ;* » — 3. Adde, circa *diaconos*, quod habet S. Paulus, I Tim., III, 8-10, 12 : « Diaconos similiter *pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Et hi *probentur primum ;* et sic ministrent, *nullum crimen habentes...* Diaconi sint *unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint et suis domibus ;* » — 4. De *presbyteris* addit conc. Trid., cap. *Qui pie*, 14, sess. XXIII, De ref. : « *Qui pie* et *fideliter* in ministeriis anteactis se gesserint, et ad presbyteratus ordinem assumuntur, *bonum habeant testimonium...*, atque *ita pietate ac castis moribus conspicui* (sint), ut *præclarum bonorum operum exemplum, et vitæ monita ab eis possint expectari.* » — Unde, ut quis assumatur ad aliquem ordinem sacrum, non sufficit ut sit

in statu gratiæ, sed requiritur etiam *probata vita*, ita ut legitime *sperare possit, auctore Deo, se continere posse*, et ab eo *possit expectari exemplum bonorum operum;* proinde, si, quod absit, agatur de clerico vitio turpi assueto, non sufficit ut præsentes animæ ejus dispositiones tales sint, ut capax sit recipiendæ absolutionis, sed requiritur etiam plus minusve longum virtutis experimentum, prout magis minusve fuerit inveterata prava consuetudo[1].

4° *Pro episcopatu.* — 1. D. Paulus, I Tim., III, 2-7, ait : « Oportet ergo episcopum *irreprehensibilem* esse, *unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum...; non neophytum...;* oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt...; » quod fere repetit in epist. ad Titum, I, 6-9; — 2. Hinc multi canones in episcopo requirunt maximo gradu probitatem et gravitatem morum, v. g., cap. *Cum in cunctis*, 7, De electione : « Cum in cunctis sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis sint ætatis maturitas, *gravitas morum*, et litterarum scientia inquirenda, *multo fortius hæc in episcopo oportet inquiri*, qui, ad curam aliorum positus, in seipso debet ostendere, qualiter alios in domo Dei oportet conversari; » quem canonem (ex conc. Lateranensi, an. 1179) tacite refert et renovat conc. Trid., cap. *Quicumque*, 2, sess. XXII, De ref.; — 3. Idcirco Gregorius XIV, const. *Onus apostolicæ*, 15 maii 1591, § 9, jubet ut sit episcopus « *fidei puritate, innocentia*

[1] Cf. hac de re doctam dissertationem S. Alphonsi, qui non excipit a necessitate experimenti nisi casus quosdam extraordinarios et raros, in quibus tantam Deus conferat gratiam, ut legitime clericus, judicio confessarii, sperare possit se continere posse. — S. Alph., lib. VI, n. 63-77.

vitæ, prudentia, usu rerum, integra fama, doctrina denique præditus[1]; » de quibus omnibus Urbanus VIII vult inquiri in processu informativo de promovendis ad episcopatum [2].

[1] *Bull. Rom.,* t. v, part. 1, p. 269.

[2] Videas ejus supra allegatam *Instructionem,* an. 1627, § 5, Interrogatoria 7, 8, 9.

CAPUT VI

DE TEMPORIBUS ET LOCO ORDINATIONUM

§ 1. De temporibus ordinationum.

I. Notitia historica [1]

91. — Præcepta S. Leonis de diebus ordinationum.

1° S. Leo, epist. IX, *Ad Dioscorum, episcopum Alexandrinum*, hæc habet : « Quod ergo a patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis quoque volumus custodiri, ut *non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur;* sed *post diem sabbati, ejus noctis quæ in prima sabbati lucescit, exordia deligantur,* in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis, et a jejunantibus sacra benedictio conferatur. *Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso dominico die, continuato sabbati jejunio, celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt,* quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est [2]. » Quod repetit paulo infra : « Ut his qui consecrandi sunt *nunquam benedictio nisi in die resurrectionis dominicæ tribuatur, cui a*

[1] Hallier, part. II, sect. VII, ed. Migne, col. 1318 sq.; — Martène, *De antiquis Eccl. ritibus,* lib. I, c. VIII, art. 4, Bassani, 1788, t. II, p. 9; — Bingham, *Origines,* etc., lib. IV, c. VI, § 6, Halæ, 1752, t. II, p. 177 sq.; — Ch. Lupus, *In S. Leonis IX decretum 3; Synod. gener.,* Venetiis, 1725, t. IV, p. 293-301.

[2] Migne, *P. L.,* t. LIV, col. 625. — Hæc pars epistolæ inserta est Decreto Gratiani, can. *Quod a Patribus,* 4, dist. LXXV.

vespera sabbati initium constat ascribi, et quæ tantis divinarum dispositionum mysteriis est consecrata, ut quidquid est a Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum [1]. » Revera, ut pergit S. Leo, in die dominica, Deus cœpit creare mundum, Christus resurrexit, apparuitque discipulis, Spiritus Sanctus missus est in apostolos, etc. [2].

2° Ergo, juxta Leonem, ordinatio celebranda est, *non quibusvis diebus, sed tantum die dominica* (propter hujus diei magna mysteria), vel, quod idem est, *ineunte nocte post sabbatum,* quæ nox pertinet ad diem dominicam. Agitur autem, non de sola dominica die *Paschali,* sed de *omnibus diebus dominicis,* ut patet toto tenore epistolæ; imo, ut infra dicetur, non nisi serius invectæ sunt ordinationes *sabbati sancti*, quam diem, aut potius noctem, jam satis implebant cæremoniæ baptismi, aliique hujus diei ritus.

3° Hoc suum præceptum de ordinatione die dominica facienda repetit etiam S. Leo in epist. VI, *Ad Anastasium Thessalonicensem*, n. 6 : « Cognovimus sane, quod non potuimus silentio præterire, a quibusdam fratribus *solos episcopos tantum diebus dominicis ordinari, presbyteros vero et diaconos,* circa quos par consecratio fieri debet, *passim quolibet die dignitatem officii sacerdotalis accipere;* quod contra canones et traditionem Patrum usurpatio corrigenda committit [3]; » quod iterat Leo quoad ordinationem *episcopi,* in epist. X, *Ad episcopos provinciæ Viennensis,* n. 6 [4]. — Unde etiam, cum Anatolius *presbyterum* ordinasset *feria sexta*, illum hac de re graviter reprehendit S. Leo; epist. CXI, *Ad Marcianum,* n. 2 [5]. — Igitur præceptum Leonis respicit tres ordinationes, nempe *episcopi, presbyteri, diaconi,* quas hac in re

[1] Hæc pars epistolæ inserta est Decreto Gratiani, can. *Quod die,* 5, dist. LXXV.

[2] Quoad episcopos, mos antiquus erat, etiam apud Græcos, ut non nisi diebus dominicis consecrarentur, ut constat testimonio *Constitutionum apostolicarum,* lib. VIII, c. IV; Migne, *P. G.,* t. I, col. 1071; imo et *Testamenti Domini,* lib. I, c. XXI, ed. Rahmani, p. 27.

[3] Migne, *P. L.,* t. LIV, col. 620.

[4] *Ibid.,* col. 634.

[5] *Ibid.,* col. 1021.

in eodem gradu ponit; non agitur proinde de ordinationibus inferioribus.

92. — Decretum Gelasii de temporibus ordinationum. — In epistola XIV, *Ad episcopos Lucaniæ* (an. 494), n. 11, Gelasius hæc decernit [1] : « Ordinationes etiam presbyterorum et diaconorum nisi certis temporibus et diebus exercere non audeant : id est, *quarti mensis jejunio, septimi* et *decimi*, sed etiam *quadragesimalis initii* ac *medianæ Quadragesimæ* die [2], sabbati jejunio circa vesperam [3] noverint celebrandas. » De quo decreto hæc dicenda :

1° Gelasius determinat ergo quinque tempora pro sacris ordinationibus, nempe jejunia mensis *quarti* (seu junii, aut potius nunc hebdomadæ proximæ post Pentecosten), *septimi* (seu septembris), *decimi* (seu decembris); insuper jejunium *initii quadragesimalis* (seu primæ hebdomadæ Quadragesimæ), et jejunium *medianæ*, seu *hebdomadis medianæ* Quadragesimæ (seu, ut dicimus hodie, ante dominicam Passionis). — Quam hebdomadam *medianam* memorat etiam Pelagius I, ut *tempus ordinationis* [4].

2° Ante decretum Gelasii, non videntur ulla fuisse determinata tempora ordinationum, ita ut quolibet anni mense vel hebdomada fierent ordinationes, prout postulabat necessitas aut utilitas ecclesiarum. — Nam : 1. Nullum prorsus extat hac de re documentum ante Gelasium; procul dubio, si quod præceptum hac de re extitisset, non omisisset illud memorare S. Leo, qui tam accurate, ut vidimus, loquitur de *die ordinationis;* —

[1] Thiel, *Epistolæ Rom. Pontif.*, p. 368; — inserta in Decreto Gratiani, can. *Ordinationes*, 7, dist. LXXV.

[2] Hoc vocabulum *die*, quod hic redundare videtur, non reperitur in omnibus codicibus; ceterum jungi posset verbo *sabbati* (potius quam verbo *Quadragesimæ*).

[3] Sed quia, his quatuor temporum sabbatis, jejunio superaddebantur *vigiliæ*, quæ sub vesperam incipiebant et durabant per magnam noctis partem, ideo missa ordinationis sæpe rejecta fuit in diluculum diei dominicæ. Cf. Quesnel, dissertatio VI, *De jejunio sabbati*, n. 7 (apud Ballerinios, *Opera S. Leonis*, t. II, col. 1075 sq.); — Lupus, *loc. cit.*, p. 296.

[4] Pelagius, *Fragmentum epist., ad Laurentium episcopum Centumcellensem;* Migne, *P. L.*, t. LXIX, col. 416.

2. Imo jejunia *Quatuor Temporum*, quæ assignat Gelasius ut tempora ordinationum, non videntur in usu fuisse ante sæculum quartum; siquidem, ante S. Leonem [1], primus qui ea memorat est S. Augustinus, in epistola XXXVI, *Ad Casulanum*, n. 8, 19 (scripta anno 396 vel 397) [2]; — 3. Unde S. Paulinus Nolanus narrat se ordinatum fuisse presbyterum *ipso die natalis Domini* [3]; revera, his prioribus temporibus, fieri non solebant ordinationes generales, sed, ut notat Habert : « Tunc *singuli*, et quidem *rari*, non vero tam multi ac hodie ordinabantur [4]. » — Itaque, ante Gelasium non erant *tempora* præscripta pro sacris ordinationibus [5]; imo (saltem ante sæculum S. Leonis) nec *dies*, licet, ad majorem rei solemnitatem, dominica dies potius eligi consuesceret; quam consuetudinem *præceptivam* effecit S. Leo, ut dictum est.

3° Decretum Gelasii in extenso relatum fuit, et in iisdem terminis, a Gregorio II, epist. IV, *Ad clerum et plebem Thuringi*

[1] S. Leo jejunia *Quatuor Temporum* memorat præsertim in sermone XIX, n. 2 (Migne, *P. L.*, t. LIV, col. 186); quæ jejunia vere referri debent, *quoad substantiam*, ad prima Ecclesiæ sæcula, quibus vigebat (ut dictum est in *Prælectionibus de Missa*, n. **13**) jejunium bis in hebdomada, nempe feriis quarta et sexta; hoc jejunium, addito, seu, ut dicebatur, *superposito* jejunio sabbati, remansit *in quatuor tantum anni hebdomadibus*. — De his cf. Sbaralea, *De jejunii Quatuor Temporum origine*, ad calcem ejus operis *De sacris ordinationibus*, Florentiæ, 1750, p. 295 sq.; — Quesnel, diss. VI, *De jejunio sabbati*, n. 7; apud Ballerinios, *Opera S. Leonis*, t. II, col. 1075; — Duchesne, *Origines du culte chrétien*, c. VIII, § 1, 2, Paris, 1903, p. 228-234.

[2] Migne, *P. L.*, t. XXXIII, col. 139, 145.

[3] Epist. I, *Ad Severum*, n. 10 (scripta anno 394); Migne, *P. L.*, t. LXI, col. 158.

[4] *Archieraticum*, VIII, observ. 4, Parisiis, 1643, p. 130.

[5] Ita Quesnel, *Notæ* in S. Leonis epistolam IX, *Ad Dioscorum*, apud Ballerinios, *Opera S. Leonis*, t. II, col. 1307 (vel Migne, *P. L.*, t. LIV, col. 1283); — hanc Quesnellii opinionem refert, eique tacite adhæret Mabillon, *In Ordinem romanum commentarius prævius*, § 16 (apud Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 910); — ita etiam expresse Thomassin, *Discipline de l'Église*, part. II, lib. II, c. XII, n. 12, ed. 1865, t. IV, p. 244; — Menardus, in *Notis* ad sacramentarium Gregorianum, not. 687, apud Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 476. Aliter autem sentit Martène (*loc. cit.*, n. 4-5), nempe antiquiorem esse institutionem temporum ordinationum, sed debilibus, ut videtur, innixus argumentis.

consistentem (an. 715)[1]; — item a Zacharia, in concilio Rom., an. 743, can. 11, qui tamen non memorat nisi *quatuor* tempora ordinationum : « Ut *primi, quarti, septimi,* et *decimi* mensis horum sacerdotum debeant fieri ordinationes[2], » omissa hebdomada *mediana* Quadragesimæ; — item etiam a *Libro diurno*, c. III, tit. IX, n. 6, non omissa *mediana*[3]; — item ab Urbano II, in concilio Claromontano (an. 1095), can. 24, qui, memoratis *quinque* temporibus ordinationum, a Gelasio præscriptis, conatur ascribere ordinationem, non sabbato, ut omnes a longo jam tempore fecerant, sed *ipsi diei dominicæ,* ut S. Leo : « Tunc, ait Urbanus, protrahatur jejunium usque ad vesperas (qua hora fiebat ordinatio), et, si fieri potest, *usque ad crastinum*, ut magis appareat in die dominico ordines fieri[4]. »

4° Ut patet ipso textu Gelasii, præceptum de ordinibus sacris non conferendis nisi certis anni temporibus, non respicit nisi ordinationes *presbyteri* et *diaconi*, non vero *episcopi;* unde consuetudo antiqua celebrandi ordinationem quolibet die (restricta tamen per S. Leonem ad *diem dominicam*) viget adhuc hodie quoad consecrationem episcoporum, qui revera consecrari possunt qualibet die dominica. — Item, a fortiori, præceptum Gelasii non respicit collationem *ordinum minorum*[5], de quibus ne unum quidem verbum invenitur in decreto Gelasiano.

5° Quinque temporibus ordinationum additum est *sextum*, nempe *sabbatum sanctum*, sed multo serius; nam nec Amalarius, nec Regino, nec Ivo, nec Hugo a S. Victore[6], qui tamen

[1] Migne, *P. L.,* t. LXXXIX, col. 502.

[2] Mansi, *Concilia,* t. XII, col. 384.

[3] Migne, *P. L.,* t. CV, col. 75. — *Liber diurnus* distinguit jejunium *primi* mensis, et jejunium *ineuntis* quadragesimæ; quæ tamen unum idemque videntur esse jejunium.

[4] Mansi, *Concilia,* t. XX, col. 818. — Cf. etiam conc. Lemovicense, an. 1031, Mansi, t. XIX, col. 546, § *Item inquisitum.*

[5] Cf. Martène, *loc. cit.,* n. 5, p. 10.

[6] Amalarius, *De eccl. officiis,* lib. II, c. I; Migne, *P. L.,* t. CV, col. 1073; — Regino, *De eccl. disciplinis,* lib. I, c. CDXL; Migne, *P. L.,* t. CXXXII, col. 278; — Ivo, *Epist.,* LVIII, et *Decretum*, part. VI, c. LXXIV; Migne, *P. L.,* t. CLXII, col. 68, et t. CLXI, col. 461; — Hugo a S. Victore, *De sacramentis,* lib. II, part. III, c. XX; Migne, *P. L.,* t. CLXXVI, col. 432. — *Excer-*

accurate memorant quinque tempora ordinationum, ullo modo loquuntur de *sabbato sancto*, ut tempore ordinationibus faciendis deputato; sed nec cit. concilium Claromontanum, ut dictum est. — Primum documentum, quoad scire possum, in quo memoretur *sabbatum sanctum* ut tempus ordinationis, est cap. *De eo*, 3, De temporibus ordin., quod est Alexandri III. Attamen aliquibus in locis, v. g., Romæ, ordinationes sacræ aliquando fiebant *sabbato sancto* jam a tempore Pelagii II, ut patet can. *Dilectionis*, 12, dist. LXXVI (qui est Pelagii II).

6° Quoad *subdiaconatum*, quamdiu ordinibus minoribus annumeratus est, conferri potuit, et revera conferebatur etiam *extra quatuor tempora;* cum autem, sæculo XII medio, ut dictum est supra, c. I, n. **8**, 3°, inter ordines sacros computari cœperit, tunc etiam prohiberi cœpit, ne conferretur nisi in temporibus majorum ordinationum. Prima hac in re documenta sunt cit. cap. *De eo*, 3, De temporibus ordinationum, quod est Alexandri III (incerti anni), et cap. *Subdiaconos*, 1, eod. tit., ejusdem Alexandri (item incerti anni); deinde concilium *Dalmaticum*, an. 1199, cui præsidebant legati Innocentii III, in cujus can. 2 omnino prohibetur ne quis episcopus ordinet subdiaconos nisi in quatuor temporibus [1].

7° *Hora* autem ordinationum majorum erat, vel *initium noctis* post sabbatum, vel *mane* diei dominicæ, juxta relatum S. Leonis textum; mox autem anticipata est ad *vesperam sabbati;* omnia enim supra allegata documenta ex Gelasio, Reginone, Ivone, Hugone, expresse demonstrant ordinationem fieri solitam fuisse *vespere sabbati;* quod supponit etiam cit. documentum ex concilio Claromontano sub Urbano II. Ex alia parte, fieri etiam poterat, ad libitum, *mane dominicæ*, ut expresse dicit conc. Rothomagense, an. 1072, can. 8, qui refert ipsissima verba Leonis [2]; ita etiam Rupertus (def. an. 1135), qui, *De divinis officiis*, lib. III, c. VIII, ait: « Notandum est ordinationum sacramenta

ptiones Egberti, ad sæculum medium octavum referendæ, non memorant, can. 97, nisi *quatuor* ordinationum tempora; Mansi, t. XII, col. 421.

[1] Mansi, *Concilia*, t. XXII, col. 701.

[2] Mansi, *ibid.*, t. XX, col. 37.

dominicæ diei deputari, cujus in vespera fiunt, et tam *vespera sabbati*, quam *mane prima sabbati*, posse et licere jejunis a jejunantibus celebrari [1]; » quod demonstrat auctoritate S. Leonis, cujus, c. IX, exscribit fere totam epistolam supra cit. ad Dioscorum. — De quo animadvertendum est, aliquando ritus et missam ordinationis incepisse vespere sabbati, et, ob multitudinem ordinandorum, continuatos fuisse usque in diluculum diei dominicæ [2].

II. Leges hodie vigentes de temporibus ordinationum

93. — Tempora ordinationum quoad presbyteratum, diaconatum et subdiaconatum.

1° Hi tres ordines sacri conferri nequeunt nisi *sex temporibus anni*, nempe in sabbatis *Quatuor Temporum*, in sabbato *ante dominicam Passionis*, et in *sabbato sancto*. — Constat omnino hæc lex :

a. Decreto supra relato (n. **92**) Gelasii, quod insertum fuit Decreto Gratiani (can. *Ordinationes*, 7, dist. LXXV), et receptum fuit in tota Ecclesia occidentali; confirmatum autem fuit, quantum opus erat, cap. *Sane super*, 2, De temp. ord. (Alexandri III), in quo Pontifex, uti infra videbimus, reprobat quamlibet contrariam consuetudinem.

b. Cap. *De eo*, 3, eod. tit., in quo Alexander III duas mutationes inducit in decreto Gelasii, his verbis : « Sed ad *subdiaconatum*, nisi in *Quatuor Temporibus*, aut *sabbato sancto*, vel in *sabbato ante dominicam de Passione*, nulli episcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare; » statuit ergo *sex* tempora ordinationum, et assimilat *subdiaconatum* gradibus superioribus quoad

[1] Migne, *P. L.*, t. CLXX, col. 64.

[2] Cf. Martène, *De antiquis Eccl. ritibus*, lib. I, c. III, art. 2, Bassani, t. I, p. 103; — Hallier, *loc. cit.*, c. I, art. 4, n. 4, p. 1338.

tempora ordinationum. — Hæc assimilatio subdiaconatus facta est etiam cap. *Subdiaconos*, 1, eod. tit.

c. Conc. Trid., cap. *Ordinationes*, 8, sess. XXIII, De ref., ubi hæc omnia renovat et confirmat : « Ordinationes sacrorum ordinum *statutis a jure temporibus*... celebrentur. »

2° Quoad *horam*, ordinatio fieri nequit amplius, ut olim, *initio noctis* post sabbatum, aut *vespere sabbati;* sed *mane sabbati* fieri debet. Ratio est quia ordinatio ad sacros ordines fieri nequit nisi in missa; porro, juxta jus et hodiernam consuetudinem, missæ vigiliarum non amplius sero celebrantur, sed quælibet missa incipi debet *ante meridiem*, licet protrahi possit post meridiem, ut dictum est in *Prælectionibus de Missa*, n. **20**, p. 43.

3° Quoad casum *continuati jejunii* ad diem dominicam, hæc dicenda :

a. Innocentius III, cap. *Litteras*, 13, De temp. ordin., tractat hunc casum : Quidam clericus ordinatus fuerat diaconus *sabbato Quatuor Temporum*, et *sequenti die dominica*, *continuato jejunio sabbati*, presbyter. — Porro Innocentius hanc « inordinatam ordinationem » graviter vituperat, non quod, nota caute, ordinatio sacra facta fuerit die dominica, continuato jejunio, sed quod *uno eodemque die duo sacri ordines eidem clerico collati fuerint :* « Si enim, inquit, utrumque ordinem eodem die conferre illi non licuit, pari non licuit ratione unum ordinem uno die, et alium altero, jejunio continuato, conferri; cum *propter continuationem jejunii, fictione canonica, sive mane diei dominicæ trahatur ad sabbatum, sive vespera sabbati ad diem dominicam referatur, profecto mane cum vespera, seu vespera cum mane, ad eumdem diem pertinere dicetur*[1]. »

[1] Si non continuetur jejunium sabbati, ordinatio ad ordinem sacrum

b. Ergo juxta hanc theoriam, etiam hodie (nam illi capiti Innocentiano nunquam derogatum est), horæ matutinæ diei dominicæ, post sabbata quatuor temporum, sunt tempus aptum ordinationibus sacris, *modo continuatum fuerit sabbati jejunium.* — Sane, juxta modum civilem et vulgarem computandi dies, *dominica non est sabbatum;* sed, *fictione canonica*, mane diei dominicæ refertur ad sabbatum, modo continuetur jejunium; porro hanc fictionem canonicam Innocentius non modo non reprobat, sed etiam acceptat et urget contra ordinationem clerici de quo agebatur, ut ostendat huic clerico *duos ordines sacros uno eodemque die fuisse collatos.* — Nec dicas huic fictioni locum hodie non esse, quia tempore Innocentii ordinatio celebrari solita erat *vespere sabbati,* nunc autem celebratur *mane sabbati.* Nam fictio, quam acceptat Innocentius, consistit in eo quod « *mane diei dominicæ refertur ad sabbatum* », ad sabbatum, inquam, *totum*, sine horarum distinctione. — Ergo, etiam hodie, si episcopus, quacumque causa impeditus, nequeat sabbato absolvere ordinationem, potest reliquos ordinandos mane diei dominicæ ordinare; item, propter eamdem rationem, potest, mane dominicæ, integram ordinationem perficere; modo, in utroque casu, *jejunium sabbati continuatum fuerit* ab ordinante et ordinandis. — Et ita communiter doctores[1].

fieri nequit die dominica; hæc enim dies non est apta ordinationibus sacris; sed si continuetur jejunium sabbati, tunc dies dominica censetur, fictione canonica, una eademque dies cum sabbato, et sic fit apta ordinationibus sacris.

[1] V. g., Reiffenstuel, in tit. *De temp. ord.,* n. 36; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 16; — Pirhing, in eumd. tit., n. 85; — Leurenius, in eumd. tit., q. DLXXXIX, n. 4; — Suarez, *De censuris,* disp. XXXI, sect. I, n. 40; — Honorante, c. V, n. 3, p. 66; — Pax Jordanus, lib. III, tit. VI, *De sacramento ordinis,* n. 420-422, Coloniæ Allobrogum, 1729, t. I, p. 225; — S. Alphonsus, lib. VI, n. 796, etc., quos sequuntur recentiores, v. g., Icard, *Prælectiones,* etc., n. 328, Parisiis, 1893, t. II, p. 36; — de Angelis, in tit.

c. Jejunium autem, de quo agitur, et quod *continuari debet in diem dominicam*, non est jejunium *naturale* (quidquid aliqui dixerunt[1]), sed jejunium *ecclesiasticum*, de quo solo agitur in cap. Innocentiano; igitur tum episcopus ordinans, tum ordinandi, jejunium sabbati continuare debent in diem dominicam, ita ut sabbato *cœnam* sumere illis prorsus nefas sit; illis tamen permittetur *frustulum* aut *collatiuncula*, quibus, moribus hodiernis, frangi non censetur jejunium[2]. — Quoad eos, qui in missa ordinationis die dominica celebranda sacram communionem recepturi sunt, etiam jejunium *naturale*, a media nocte, servare debent, ut clarissimum est.

4° Quoad *consuetudinem* contra tempora ordinationum, id est, vi cujus episcopus conferat ordines sacros *extra sex sabbata prædicta*, improbatur in jure, nempe cap. *Sane super*, 2, De temp. ord., in quo Alexander III, de hac ipsa consuetudine loquens, ait : « Significamus quod consuetudo illa, *utpote institutioni ecclesiasticæ inimica*, est *penitus improbanda;* » vi ergo hujus textus, consuetudo illa *reprobatur*, nec potest invalescere. — Putaverim tamen hanc reprobationem hodie cessasse; tot enim concessa sunt Regularibus privilegia recipiendi ordines extra tempora, totque episcopis concessa indulta peragendi ordinationes extra tempora, ut usus iste, nempe conferendi ordines extra tempora, non possit amplius dici *institutioni ecclesiasticæ inimicus*, quin injuria redundet in pontifices hæc indulta privilegiaque concedentes. Revera, ut dicetur, non sunt amplius pœnæ latæ sententiæ contra ordinantes aut ordinatos *extra tempora*[3].

De temp. ord., n. 6, p. 215; — d'Annibale, *Summula*, t. III, ed. 3, n. 294, not. 2, p. 245; — Gasparri, *De ordinatione*, n. 67, t. I, p. 38, etc.

[1] V. g., Pirhing, *loc. cit.*

[2] Ita Reiff., d'Annibale, Gasparri, *loc. cit.*, etc.

[3] In Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis alia consuetudo inva-

94. — Tempora ordinationum quoad episcopatum.

1° Episcopatus conferri potest vel *diebus dominicis*, vel *natalitiis apostolorum*. — Ita *Pontificale Romanum*, tit. *De consecratione electi in episcopum*, initio : « Statuta die consecrationis, quæ *debet esse dominica*, vel *natalitium apostolorum* (vel etiam festiva, si summus pontifex hoc specialiter indulserit). »

2° Quoad *diem dominicam*, nihil innovavit *Pontificale Romanum*, sed præceptum oritur ex antiquissimis temporibus, nempe ex decreto (supra, n. **91**, relato) S. Leonis, qui jussit ordinationes sacras, inter quas episcopatus, peragi, non qualibet die, sed die dominica. Cum autem decretum Gelasii, instituens quinque tantum tempora ordinationum per annum, non respiceret episcopatum, hinc factum est ut *quibusvis diebus dominicis* episcopatus conferri posset. — Notandum est autem nunc *diem dominicam* intelligi juxta usum civilem et vulgarem; tempore quidem S. Leonis *initia noctis præcedentis* pertinere censebantur ad diem dominicam sequentem; nunc autem non sic; sicut enim consuetudine invectum est ut presbyteri et diaconi non nisi sabbato ordinari possent[1], ita et consuetudine inductum est ut episcopi non nisi *dominica die*, stricte intellecta, ordinari possent[2].

luit, vi cujus indultum conferendi ordines *extra tempora* intelligitur, non tantum de diebus dominicis et festivis (ad quos de jure restringi debet), sed etiam de quovis die per hebdomadam : « In his vero Statibus Fœderatis (Americæ sept.) et alibi, vi consuetudinis diuturnæ in tenore hujus facultatis (vi cujus episcopi Americani potestatem habent « conferendi ordines *extra tempora* ») fundatæ, ordines conferri possunt *quolibet die* pro æquo episcopi arbitrio, ut testantur et docent Kenrick, tract. XX, n. 34; Sabetti, n. 835, q. IV, 3. » Ita Konings, *Commentarium in facultates apostolicas, ad usum cleri Americani*, ed. Putzer (Neo-Eboraci, 1898), n. 99, p. 145.

[1] Excepto casu continuati jejunii in diem dominicam.

[2] Cf. Lupus, *In decretum III S. Leonis IX; Synod. gener.*, Venetiis, 1725, t. IV, p. 296.

3° Quoad *natalitia* apostolorum, nec multum innovavit *Pontificale Romanum;* in *Ordine* enim *Romano* vulgato, tit. *Qua die ordinetur episcopus,* postquam dictum est episcopi consecrationem fieri in *dominica,* additur : « Fieri etiam solet aliquoties in *natalitiis* apostolorum[1]. » — Per *natalitia* autem apostolorum non intelliguntur quælibet festa apostolorum, sed tantum illa quibus celebratur dies quo apostoli, per mortem temporalem, nasci meruerunt in cælis; hinc natalitiis apostolorum non accensetur festum *Cathedræ* S. Petri, *Romanæ* aut *Antiochenæ*, nec festum S. Petri in *Vinculis,* nec festum S. Joannis *ante Portam Latinam,* nec festum *Conversionis* S. Pauli. — Apostolorum autem festis accensuerim festum S. Barnabæ, quem Spiritus Sanctus ipse segregavit et misit cum S. Paulo (Act., XIII, 2), et quem Ecclesia universalis nomine et cultu apostolorum honorat. Unde etiam S. Rituum Congregatio, die 30 julii an. 1901, decrevit festum S. Barnabæ in re liturgica præferendum esse aliis festis, ceteris paribus, *ratione dignitatis apostolicæ*[2]. — Sancti autem Lucas et Marcus non sunt apostoli, sed evangelistæ.

95. — Tempora ordinationum quoad ordines minores.

1° Si agatur de *paucis* aut *aliquot* tantum ordinandis ad ordines minores, ordinatio fieri potest *diebus dominicis* aut *festivis de præcepto.* — Constat : 1. Cap. *De eo,* 3, De TEMP. ORD., in quo dicit Alexander III : « De eo autem quod quæsivisti, an liceat extra jejunia Quatuor Temporum aliquos in ostiarios, lectores, exorcistas, vel acolythos aut

[1] Ed. Hittorpii, Coloniæ, 1668, p. 97. — Sic S. Bonifacius a Gregorio II Romæ ordinatus est episcopus *die S. Andreæ festo,* ut constat ex ejus vita a Willibaldo ejus discipulo scripta. *Vita S. Bonifacii,* c. VII, n. 21; Migne, *P. L.,* t. LXXXIX, col. 618.

[2] *Acta S. Sedis,* t. XXXIV, p. 250.

etiam subdiaconos promovere, taliter respondemus quod licitum est episcopis, *dominicis et aliis festivis diebus, unum aut duos ad minores ordines* promovere. Sed ad subdiaconatum...; » — 2. *Pontificali Romano,* tit. *De ordinibus conferendis :* « Minores vero ordines possunt dari *singulis dominicis* et *festivis diebus duplicibus ex præcepto,* ubicumque, in mane tamen; » et paulo infra : « Quando autem pontifex extra missarum solemnia est promoturus *aliquos* ad primam tonsuram vel *ad quatuor minores ordines,* sufficit quod habeat stolam supra rochettum, etc. »

2° Licet agatur de *majori numero ordinandorum* (ad ordines minores), *modo non videatur ordinatio generalis*, fieri etiam potest ordinatio *diebus dominicis* aut *festivis de præcepto.* — Fatendum est, si fiat interpretatio *stricta,* episcopum non posse conferre minores ordines *diebus dominicis et festivis*, nisi *paucissimis* clericis; nam, in textu relato, Alexander III, interrogatus num possit episcopos ordinare *aliquos*, respondit posse ordinare *unum aut duos;* et ita tenent nonnulli[1]. — Verum caput illud multo latiorem recepit interpretationem; nam : 1. Glossa, in illud cap., v° *Aut duos,* dicit : « Numquid *plures? Utique, dummodo non videatur generalis ordinatio*[2]; » quod, propter auctoritatem Glossæ, a multis receptum est, ita ut, ipso fatente Fagnan, opinio ista sit *communior;* — 2. *Pontificale Romanum*, in relatis supra textibus, dicit in genere *minores ordines posse conferri diebus dominicis et festivis*, quod, infra, restringit quidem, non vero ad *unum aut duos,* bene vero ad *aliquos,* quod vocabulum commode interpretari licet in sensu Glossæ. — Unde, *modo non*

[1] V. g., Fagnan, in cit. cap. *De eo,* n. 6-7; — Riganti, *In reg. 24 canc.,* § 1, n. 34, t. II, p. 317; — Catalanus, *Pontificale Rom.,* in tit. *De ordinibus conferendis,* § 14, Parisiis, 1850, t. I, p. 115.

[2] *Corpus juris can. cum glossis,* Lugduni, 1671, t. II, col. 251.

videatur ordinatio generalis, potest episcopus nonnullis conferre minores ordines diebus dominicis et festivis[1].

3° Hi dies *festivi*, in quibus (præter dominicas) possunt conferri minores ordines, sunt tantum dies *festivi de præcepto*, hi nempe qui *de præcepto celebrantur a populo*, non vero hi dies festi, qui celebrantur a clero. — Constat : 1. *Sensu genuino* relati textus Alexandri III; licet enim in *Rubricis*, *officium festivum* vel *dies festivus* designet etiam festa *sanctorum* aut *mysteriorum*, quorum fit officium a clero, ita ut dies festus opponatur *feriæ*, attamen, in *jure*, dies *festivus* non designat nisi *festa de præcepto a populo celebrata*, ut videre est, v. g., in cap. *Quoniam*, 2; *Licet*, 3, De feriis, et in conc. Trid., cap. *Tametsi*, 1, sess. XXIV, De ref. matr., in quo præcipitur ut futurum matrimonium publice denuntietur *tribus continuis diebus festivis*, per quas semper intellectæ sunt dies dominicæ vel *festivæ de præcepto*; ergo pariter in nostro textu; — 2. *Interpretatione constanti Congregationum Rom.*; sic S. Congr. Conc., in causa quam refert Fagnan[2], ad hoc quæsitum : « An appellatione *diei festi* comprehendatur festum, in quo ab ecclesia fit officium, an vero debeat esse festum quod a populo colatur, » respondit : « Comprehendi *dies festos, qui a populo servantur*[3]; » sic etiam pluries S. Rit. Congr., v. g., in *Claromonten.*, 16 martii 1833, ubi censuit : « Minores ordines conferri possunt in *festis de præcepto*, vel in festis duplicibus quæ erant de præcepto ante reductionem[4]; » — 3. *Textu hodierno Pontificalis Romani*, supra relato, in quo hæc verba, *ex præcepto*, addita sunt

[1] Cf. etiam Barbosa, *De officio et potestate episcopi*, allegatio 11, n. 21, Lugduni, 1641, t. I, p. 243.

[2] In cit. cap. *De eo*, n. 42.

[3] Aliam decisionem, in *Brixien.*, 15 jan. 1689, refert Giraldi, part. II, sect. CI, p. 964.

[4] *Decreta auth.*, n. 2705, t. II, p. 249.

verbis, *diebus festivis*. Juxta de Lugo, *Responsa moralia*, lib. I, dub. 34[1], primus Urbanus VIII jussit hæc verba, *ex præcepto*, addi in sua nova editione *Pontificalis Romani*, in tit. *De ordinibus conferendis;* sed frustra quæsivi hæc verba in pluribus *Pontificalis* editionibus ab Urbano et successoribus ejus datis; verum, quidquid id est, extant dicta verba, *ex præcepto*, in novissimis editionibus[2]. Unde relinqui debet opinio Catalani et aliorum qui dicunt per dies festivos intelligi etiam dies festivos duplices, qui a solo clero celebrantur[3]. — Quinque demum notanda sunt :

a. Elenchus dierum festorum, qui præter dies dominicas, a populo servandi sunt jure communi, desumi debet ex Urbani VIII const. *Universa*, id. sept. 1642[4] (addito festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V., a Clemente XI instituto[5]).

b. Ordinatio fieri potest his diebus festis, etiam in his regionibus, in quibus vi Concordatorum aut Indultorum, *feriatio* (nempe obligatio populi ut missæ intersit et ab operibus servilibus abstineat) suppressa est, ut constat pluribus decisionibus S. Rit. C., v. g., in cit. *Claromonten.*, et in una *Marsorum*, 12 nov. 1831, ad 1[6]. — Tunc autem parvi refert quod *solemnitas pro populo* transferatur, vel non, in dominicam sequentem (ut fit, in Gallia, v. g., pro festis Epiphaniæ, Corporis Christi, etc.); in utroque enim casu fieri potest ordinatio *die quo incidit festum;* ita S. Rit. Congr., in *Quebecen.*, 6 martii 1896, ad 1[7].

c. Ordinatio fieri potest die festo, etiam quando, *vi*

[1] De Lugo, *Opera*, Venetiis, 1751, t. VII, p. 24.
[2] *Pontificale Romanum*, Ratisbonæ, 1891, p. 6.
[3] Catalanus, *loc. cit.*, n. 4, p. 116.
[4] *Bull. Rom.*, t. VI, part. 2, p. 341.
[5] Bulla *Commissi Nobis*, 6 dec. 1708, *Bull. Rom.*, t. X, p. 206.
[6] *Decreta auth.*, n. 2682, t. II, p. 233.
[7] *Decreta auth.*, n. 3890, t. III, p. 299.

Rubricarum, transfertur officium ad diem liberam. Ratio est quia tunc etiam remanet, *die incidentiæ festi, feriatio* seu duplex populi præceptum. — Aliter dicendum si, *vi Concordatorum* vel *Indultorum, perpetuo et totaliter* transferretur dies festus, v. g., in dominicam sequentem, ita ut, *die incidentiæ festi*, nihil prorsus remaneret.

d. Ordinatio fieri potest die festo, etiam quando, in favorem populi, vi Concordatorum aut Indultorum, *dimidiatus* est, id est, quando, e duobus præceptis populi, unum tantum remanet, nempe, præceptum ut missæ intersit. — Quod concluditur *a fortiori* ex dictis supra de festis suppressis quoad utrumque præceptum.

e. Ordinatio fieri potest die festo, etiam tantum *diœcesano*, imo etiam *locali*, v. g., patroni. Ratio est quia pro his locis, ut supponitur, est vere *dies festivus ex præcepto*, ut exigit *Pontificale Romanum;* nec Alexander III, in cit. cap. *De eo*, ullo modo distinxit inter dies festivos de jure *communi* et dies festivos de jure *particulari*. Verum, ut patet, si agatur de festo *locali*, ordinatio fieri nequit nisi in loco, ubi festum agitur.

4° Quando agitur, *non de paucis aut aliquot ordinandis*, sed *de ordinatione generali*, ad ordines minores, fieri nequit ordinatio nisi in sex determinatis sabbatis, veluti si agatur de conferendis sacris ordinibus. — Constat cit. cap. *De eo*, Alexandri III.

5° Quid dicendum de *consuetudine*, vi cujus minores ordines conferuntur, non sabbatis Quatuor Temporum, sed *feria VI præcedente, post meridiem?* — Hæc consuetudo, ut patet, contraria est duabus legibus, uni, qua præcipitur ut minores ordines conferantur vel sabbatis Quatuor Temporum, vel (ubi non sit ordinatio generalis) diebus dominicis vel festivis; alteri, qua præcipitur ut conferantur *mane*, licet non intra missam. Hanc tamen consuetudinem

plures licitam dicunt aut supponunt, v. g., Barbosa, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Catalanus, S. Alphonsus; item Fagnan, modo non agatur de ordinatione generali[1]. De hac consuetudine actum est in S. Congregatione Concilii, in *Portalegren.*, 16 martii et 13 apr. 1720; porro responsum est : « Quoad minores ordines, *consuetudinem immemorabilem tolerari posse*, sed expedire ut episcopus se conformet Pontificali Romano, tit. *De minoribus ordinibus*[2]. » Hanc ipsam S. Congr. Conc. resolutionem mitti jussit et servari S. Rit. Congregatio in *Civitaten. Provinciæ Compostellanæ*, 11 martii 1820, ad 11[3]; omissa est autem hæc responsio in *Civitaten.* in novissima editione decretorum S. Rit. Congr. Unde non remanet nisi decisio S. Congr. Conc., et proinde, licet toleretur dicta consuetudo, expedit tamen ut episcopi se conforment *Pontificali.*

96. — Tempora ordinationum quoad primam tonsuram. — « Clericatus seu prima tonsura, *quocumque die, hora*, et loco, conferri potest. » Ita *Pontificale Romanum*, in tit. *De ordinibus conferendis*, et repetitur in tit. *De Clerico faciendo.*

97. — Pœnæ contra delinquentes in materia temporum ordinationum.

1° Contra *ordinantem :* episcopus ordinans aliquem ad *sacrum ordinem extra tempora*, nullam pœnam incurrit *ipso jure*, sed tantum *suspensionem a collatione ordinum*.

[1] Barbosa, *De officio episcopi*, alleg. 11, n. 21, p. 243; — Reiff., in tit. *De temp. ord.*, n. 32; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 9; — Catalanus, *loc. cit.*, n. 5, p. 116; — Fagnan, in cit. cap. *De eo*, n. 34-40; — S. Alph., lib. VI, n. 794.

[2] *Thesaurus S. C. C.*, t. I, p. 294-295, 297; — cf. aliam decisionem ejusdem Congr., in *Cæsaraugust.*, 26 jan. 1581, apud Giraldi, part. II, sect. CI, p. 964-965.

[3] Gardellini, n. 4565, ed. 3, t. III, p. 147.

ferendæ sententiæ. — Constat cap. *Sane,* 2, De temp. ord., in quo Alexander III, loquens de his indebitis ordinationibus, ait : « Apud nos sic ordinati deponerentur, et *ordinantes privarentur auctoritate ordinandi.* » Cf. cap. *Cum quidam,* 8, eod. tit.

2° Contra *ordinatos :* 1. *Jure decretalium,* ordinati *in sacris extra tempora* puniebantur pœna suspensionis ab ordinibus illicite receptis, ut constat relato cap. *Sane,* et cit. cap. *Cum quidam ;* verum dubium erat utrum pœna esset *latæ,* an *ferendæ* sententiæ[1]; — 2. *Jure novo,* hæc controversia dirempta est, et hi clerici puniti sunt suspensione *latæ sententiæ* ab ordine male suscepto, ex Pii II bulla *Cum ex sacrorum,* 15 kal. dec. 1461[2]; — 3. Jure novissimo seu hodierno, hæc pœna *latæ sententiæ* cessavit, utpote non relata in Pii IX const. *Apostolicæ Sedis.*

98. — De indultis extra tempora. — Non raro concessa sunt aut conceduntur a Sancta Sede indulta, vi quorum ordines sacri (vel etiam minores, si ordinatio sit generalis) conferri legitime possint *extra tempora,* nempe extra sex sabbata statuta. — De quibus indultis hæc dicenda :

1° *Decretum Innocentii XII de eorum moderatione et interpretatione.* — Die 14 dec. anni 1693, Congregatio specialis ab Innocentio XII deputata, ad moderandum concessionem et usum indultorum *extra tempora,* decreta ut sequitur edidit :

a. De *causis* propter quas impetrari possint hæc indulta : « Censuit indulta hujusmodi, si Sanctissimo placuerit, concedi posse ex causis infrascriptis, videlicet : Ut quis beneficio... quod possidet, vel capellaniæ ad vitam sibi

[1] Cf. Thesaurus, *De pœnis,* v° *Ordo,* c. xiv, ed. Giraldi, p. 317; — Giraldi, part. II, sect. xcv, p. 946.

[2] *Bull. Rom.,* t. iii, part. 3, p. 109.

concessæ per se ipsum inservire possit; — ob penuriam sacerdotum...; — ob solatium patris vel matris, dummodo 50 ætatis annos excedant, et orator saltem per triennium in clericali habitu honeste et laudabiliter vixerit. — Item concedi posse censuit eadem indulta... canonicis cathedralis vel etiam collegiatæ ecclesiæ, eorumque coadjutoribus; — magistris, sed etiam baccalaureis in s. theologia, doctoribus utriusque, vel saltem canonici juris, seu licentiatis, dummodo singulos præfatos gradus in publica et approbata universitate obtinuerint; — iis etiam qui saltem per triennium sedulam theologiæ studiis operam navaverint; — ac tandem vigesimum sextum ætatis annum excedentibus, si per triennium in clericali habitu honeste et laudabiliter vixerint. » — Notandum est has causas potius *indicative* quam *taxative* assignari et ideo posse etiam alias similes proponi.

b. De eorum *interpretatione et executione :* « Item (censuit) *nunquam concedenda pro festivis diebus continuis*, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio, arbitrio episcopi definiendo; ... nec (Sanctitatem Suam) episcopos ad eorum exsecutionem adstringere, sed illam semper illorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia, relinquere. »

c. De *vi horum decretorum :* hæc autem omnia et singula decreta Sanctitas Sua « laudavit et approbavit, ac tam in Dataria et Secretaria Brevium, quam a ceteris omnibus ministris et officialibus Curiæ, ad quos pertinent, perpetuo et inviolabiliter servari mandavit, sublata omnibus quacumque facultate prædicta indulta aliter quam ad formam eorumdem decretorum in posterum expediendi. Hac die 14 dec. 1693[1] ».

[1] *Bull. Rom.*, t. IX, p. 340. — Leguntur etiam apud Giraldi, part. II, sect. XCV, p. 947, vel Honorante, p. 62.

2° *De solita horum indultorum clausula de diebus festivis.* — Quando S. Sedes concedit ordines conferri *extra tempora*, jubet, ad servandam antiquissimam disciplinam a S. Leone, ut dictum est, statutam, eos conferri *diebus dominicis aut festivis*, aut, uno verbo, *diebus festivis*. Hæc ergo locutio designat primum *dies dominicos* et insuper *dies festivos*. Porro :

a. Dies *festivi* de quibus hic agitur non sunt quicumque dies festi, sed tantum *dies festi qui servantur a populo*, ut dictum est supra pro collatione ordinum minorum (n. **95**, 3°). Nam : 1. Cum *in jure* hæc vocabula designent tantum dies *festivos de præcepto*, eumdem sensum habeant necesse est in *indultis*, de eadem materia, nempe de ordinatione, agentibus, nisi aliter expresse caveatur; — 2. In hoc sensu semper ea indulta interpretatæ sunt Romanæ Congregationes; sic, v. g., S. Congr. Concilii, tum in causa quam refert Fagnan in cap. *De eo* (3, De temp. ord.), n. 42; tum in *Cæsaraugustana*, 26 jan. 1581; tum in *Brixien.*, 15 jan. 1689; in hac ultima, ad hoc quæsitum : « An diebus festis duplicibus, *non tamen de præcepto*, possint ordines sacri conferri habentibus breve dispensationis apostolicæ super interstitiis, vel extra tempora, » respondit : « *Negative*, sed tantum *diebus festivis de præcepto*[1]. »

b. Ordinatio fieri potest his *diebus festivis de præcepto*, etiam quando, in populi favorem, *dimidiati* sunt, ut constat tum ex natura rerum, nam remanent vere *de præcepto*, tum ex S. Congr. Conc. resolutione in *Tirasonen.*, 20 apr. 1782, in qua, ad hoc quæsitum : « An pro haben-

[1] Hæ duæ responsiones in *Cæsaraugustana* et in *Brixien.* in extenso relatæ sunt in *folio* causæ *Tirasonen.*, 20 apr. 1782, *Thesaurus*, t. li, p. 61; — cf. etiam Giraldi, part. II, sect. ci, p. 964; — Bened. XIV, *Instit.*, CVI, n. 5-6.

tibus indultum suscipiendi sacros ordines extra tempora, haberi valeant ordinationes *diebus festis, in quibus fideles, audita missa, ex apostolica dispensatione operibus servilibus vacare possunt,* in casu, » respondit : « *Affirmative*[1]. »

c. Per hos dies *festivos de præcepto*, in quibus fieri possit ordinatio, intelliguntur etiam dies festi *diœcesani* aut etiam *locales*, ut constat tum ex natura rerum, quia sunt vere *festivi de præcepto,* tum ex cit. causa *Tirasonen.*, in qua, ut legenti *folium* patet, agitur de quibuslibet diebus festivis, etiam *diœcesanis* et *localibus.*

d. Ordinatio fieri potest his diebus festivis, etiam quando, in populi favorem, *feriatio* suppressa est, ut constat variis decisionibus S. Rit. Congr., v. g., in cit. *Marsorum,* 12 nov. 1831, ad 1[2]. — Tunc autem, ut dictum est supra pro ordinibus minoribus, parvi refert quod solemnitas transferatur, vel non, in dominicam ; in utroque casu fieri potest ordinatio *die, quo incidit festum;* ita S. Rit. Congr., in cit. *Quebecen.,* 6 martii 1896, ad 1[3].

e. Item ordinatio fieri potest die festo, etiam quando, *vi Rubricarum,* transfertur officium ad diem liberam, ut dictum est de ordinibus minoribus (n. **95,** 3°).

f. Tandem hæc clausula de *diebus festis de præcepto* adeo vulgaris est et nota, ut etiam in indultis in quibus non ponitur, *subintelligi debeat.* Ratio est quia finis indulti *extra tempora* est tantum ut fieri possit ordinatio extra sex tempora per annum determinata, non vero extra dies dominicos (aut festivos), quibus a tempore S. Leonis alligata est sacra ordinatio. Quod valde confirmatur ex decreto Innocentiano supra relato, juxta quod hujusmodi indulta nunquam conceduntur aut concessa censentur pro diebus

[1] *Thesaurus, loc. cit.,* p. 58-62, 64.
[2] *Decr. auth.,* n. 2682, t. II, p. 233.
[3] *Decr. auth.,* n. 3890, t. III, p. 299.

festivis continuis. Unde, *nisi aliter expresse caveatur in indultis*, supradicta clausula semper subintelligenda est. Aliqua memorantur indulta etiam pro diebus *non festivis de præcepto*[1].

3° *De altera horum indultorum clausula de diebus festivis non continuis.* — Ut supra dictum est, Innocentius XII inseri jussit in indultis hanc clausulam; sed, licet non inseratur, semper subintelligitur, ut patet eodem decreto Innocentiano. Unde, *nisi aliter expresse caveatur in indulto*, nunquam censetur concessum pro diebus festivis *continuis*, id est pro diebus festivis, qui ita sibi succedunt, *ut nullus alius festivus dies inter eos occurrat*. Ergo, vi hujusmodi indulti, si clericus hac die dominica recipiat subdiaconatum, non potest recipere diaconatum die dominica immediate sequenti (nisi inter duas dominicas intercedat aliquod festum de præcepto); et rursum, recepto diaconatu tali die festivo, non potest recipere presbyteratum die festivo immediate sequenti. Si vero recipiat subdiaconatum sabbato sancto, potest nihilominus, vi indulti, recipere diaconatum die Paschæ, imo et presbyteratum feria III post Pascha, nisi, ad mentem relati decreti Innocentiani, longius intervallum inter ordinationes præscribat episcopus. Nonnulla memorantur indulta *pro diebus festivis continuis*[2].

4° *De extensione horum indultorum.* — 1. Episcopus, qui fruitur indulto conferendi ordines extra tempora, hoc

[1] Cf. Konings, cit. *Comment. in facultates apostolicas*, n. 99, p. 146, not. 6.

[2] Cf. Honorante, c. XVII, n. 11, p. 173-174. Ante decretum Innocentianum, non raro concedebantur indulta pro diebus festis *continuis;* cf. De Martinis, *Juris pontificii de Prop. Fide*, part. I, plura brevia Urbani VIII hujusmodi indulta concedentia diversis institutis aut episcopis, sub n. 50, 63, 65, 73, 80; t. 1, p. 124, 147, 155, 166, 173. — Post autem decretum Innoc., rarissime conceduntur; cf. *Collect. S. C. de Prop. Fide*, n. 1187, p. 404.

uti nequit erga subditos *alienos*, etiam habentes propriorum Ordinariorum dimissorias. Ratio est quia hoc indultum concedi solet episcopis *pro necessitate aut utilitate propriæ diœcesis;* unde mens concedentis est ut non valeat nisi pro diœcesanis, et ideo S. Congr. Inquisitionis, ab episcopo Viennensi interrogata : « Quomodo intelligi debeat paragraphus 13, in facultatibus suis formulæ III contentus, sonans *ordinandi extra tempora;* utrum ordinare possit quoscumque *etiam alterius diœcesis* absque expresso indulto apostolico, » respondit : « Negative, » 31 maii 1708[1]. — Excipitur : *a*. Si specialiter episcopo concessum fuerit, ut indulto uti possit etiam erga alienos, ut aliquando fit; — *b*. Si episcopo concedatur indultum, non ratione diœcesis, sed ratione personæ, ut si concedatur episcopo titulari. — 2. Episcopus qui fruitur præfato indulto, potest cuicumque subdito suo conferre ordines extra tempora, sive per se, sive per *alium episcopum*. Ratio est quia, juxta Regulam 68 Juris in VI : « Potest quis per alium quod potest facere per seipsum, » nisi specialis apponatur exceptio; porro indultum *extra tempora* non continet exceptionem præfatæ regulæ; non enim cogit episcopum ad conferendos ordines per se ipsum, sed tantum tollit obligationem conferendi ordines *debitis temporibus*. — 3. Unde etiam, si proprius subditus sit in diœcesi aliena, v. g., in aliquo seminario, potest proprius episcopus, fruens indulto *extra tempora*, concedere subdito suo ut recipiat ordines ab episcopo hujus alienæ diœcesis, qui, vi indulti, conferat ordines extra tempora. Ratio est quia concessio dispensationis vel delegatio ad concedendam dispensationem, est actus voluntariæ jurisdictionis quem episcopus potest exercere extra diœcesim. Excipitur : Nisi in indulto specialiter

[1] *Collect. S. C. de Prop. Fide*, n. 1186, p. 404.

cautum sit ut episcopus uti nequeat indulto *extra fines diœcesis*. Sic episcopi Americæ septent., qui, vi facultatum *Formulæ I*, art. 1, possunt conferre ordines *extra tempora*, non possunt hac facultate uti *extra fines diœcesis*, ut expresse cavetur *ibid.*, in art. 29[1].

3° *De lectione indultorum.* — In *Pontificali Romano*, part. I, tit. *De ordinibus conferendis*, § *Idem servetur*, sic statuitur : « Et antequam ad collationem ordinum procedatur, legitur *mandatum apostolicum, sive supplicatio*, cujus vigore pontifici facultas conceditur ordinandi; quibus lectis, dicit pontifex *Deo gratias*, et ad ordinationem procedit. » *Mandatum apostolicum* stricte dictum est rescriptum R. Pontificis, quo jubet aut cavet ut tali clerico conferatur ordo sacer extra tempora, et *supplicatio*, ex tenore relati textus, nihil aliud esse videtur quam ipse libellus supplex ab hoc clerico R. Pontifici oblatus, ad cujus calcem subscripsit Pontifex, petitam gratiam concedens; quæ proinde supplicatio æquivalet *mandato apostolico*. Hoc ergo *mandatum* sive *supplicatio* legi debet ante collationem ordinum, ut constet de gratia concessa, et ideo, facta lectione, dicit pontifex : *Deo gratias*. Verum huc non pertinent indulta generalia ipsis episcopis concessa de conferendis ordinibus *extra tempora*, nec proinde legenda sunt in ordinatione. Unde S. Congr. Inquisitionis declaravit non esse legendam in ordinatione *formulam*, qua episcopis Americanis conceditur potestas conferendi ordines extra tempora[2].

[1] Cf. Konings, *Commentarium in facultates*, etc., n. 172, ed. Putzer, p. 305.

[2] Die 2 julii 1884, in *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, n. 1203, p. 407. — Responderat S. Rit. Congr., in *Quebecen.*, 23 maii 1835, ad 5, Gardellini, ed. 3, n. 4751, legendum esse in ordinatione *Breve apostolicum*, facultatem tribuens conferendi ordines extra tempora. In novissima collectione decretorum (an. 1898-1900), omissa est hæc responsio.

99. — Tempora ordinationum in Ecclesia Orientali. — Orientales non receperunt decreta Gelasii supra (n. **92**) relata *de temporibus ordinationum*, imo nec etiam recepisse videntur decreta Leonis supra (n. **91**) relata de ordinibus sacris non nisi die dominica vel sabbato sub vesperam celebrandis, licet de hoc scripserit S. Leo ad Dioscorum Alexandrinum, et ad Marcianum imperatorem, ut ibidem visum est. Unde quolibet anni tempore, imo quolibet die, celebrant ordinationes, licet concilia hortentur episcopos ut dominicas potius eligant dies. Sic conc. montis Libani, an. 1736, part. II, c. XIV, n. 18 : « Tempus autem, quo sacra celebrari debet ordinatio, episcopi arbitrio relinquitur; qui, quamvis quolibet anni mense, et quolibet hebdomadæ die, ordines etiam majores conferre possit, id tamen curare debet ut dominicas potius ac festos dies eligat; » deinde concilium *hortatur* episcopos ut eligant vel sabbata sex temporum, ut in ecclesia latina, vel dominicas quatuor jejuniorum quæ in anno celebrantur[1].

§ 2. De loco ordinationum[2].

100. — Locus pro prima tonsura et ordinibus minoribus.

1° « Clericatus, seu prima tonsura, quocumque die, hora et *loco*, conferri potest, » ait *Pontificale Romanum*, part. I, tit. *De ordinibus conferendis*, quod iterum dicit in tit. *De clerico faciendo*. Ergo non requiritur ecclesia, sed sufficit quicumque locus, modo decens et honestus.

2° « Minores vero ordines possunt dari singulis dominicis..., *ubicumque*, in mane tamen, » ait item *Pontificale*

[1] *Conc. coll. Lacensis*, t. II, p. 236, 237.

[2] Cf. Hallier, part. II, sect. VI; ed. Migne, col. 1285 sq.

Romanum, eod. tit. *De ordinibus conferendis*. Ergo pariter non requiritur ecclesia, sed sufficit quicumque locus, modo decens et honestus.

101. — Locus pro ordinibus majoribus. — De hoc statuit concilium Trid., cap. *Ordinationes*, 8, sess. XXIII, De ref. : « Ordinationes sacrorum ordinum, statutis a jure temporibus, ac *in cathedrali ecclesia*, vocatis præsentibusque ad id ecclesiæ canonicis, publice celebrentur ; si autem *in alio diœcesis loco, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur.* » Unde fieri potest ordinatio, pro prudenti episcopi arbitrio, vel in civitate episcopali, vel in alio diœcesis loco ; quod si fiat extra civitatem episcopalem, episcopus eligat, quantum fieri potest, ecclesiam digniorem loci. — Quod si fiat in civitate episcopali, hæc dicenda :

1° Si agatur de ordinatione *non generali*, potest eligere, omissa cathedrali ecclesia, quam velit, pro prudenti suo arbitrio, ecclesiam, imo suam privatam capellam. — Ita omnes, ex recepta ubique consuetudine, quam testatur ipse Benedictus XIV, in epist. *Ad audientiam*, 15 febr. 1753, § 18[1] ; — imo in hoc sensu respondit, nempe tunc eligi posse quamlibet ecclesiam, etiam capellam privatam episcopi, S. Congr. Conc., in *Meliten.*, 20 nov. 1592[2].

2° Si agatur de ordinatione *generali*, licet expediat ut episcopus, ad mentem conc. Trid., ecclesiam cathedralem eligat, attamen, ex justa et legitima causa, potest etiam aliam eligere ecclesiam. — Ita plerique doctores, quorum aliqui dicunt præfato textu Tridentino non contineri verum præceptum de eligenda cathedrali, alii vero et melius tenent ita consuetudine temperatum fuisse et explicatum

[1] *Bull. Bened.*, t. IV, n. 11.
[2] Apud Giraldi, part. II, sect. XCV, p. 948.

decretum concilii. Ita Pirhing, Leurenius, Barbosa, Schmalzgrueber, S. Alphonsus, etc., quos sequuntur recentiores, v. g., Icard, Gasparri, etc.[1].

N. B. — Episcopum non posse conferre ordines *in aliena diœcesi*, sine expressa licentia Ordinarii loci, declaratum est in concilio Tridentino, cap. *Nulli*, 5, sess. VI, De Reform.

[1] Pirhing, in tit. *De temporibus ordinationum*, n. 76; — Leurenius, in eumd. tit., q. DLXXXVII; — Barbosa, *De officio et potestate episcopi*, Alleg. 11, n. 24; — Schmalzg., in tit. *De temp. ord.*, n. 17; — S. Alphonsus, lib. VI, n. 798; — Icard, *Prælectiones*, etc., n. 329; — Gasparri, n. 100.

CAPUT VII

DE DEBITA SUCCESSIONE RECIPIENDORUM ORDINUM

§ 1. De vitandis ordinationibus per saltum [1].

I. Notitiæ historicæ

102. — Primæ leges ecclesiasticæ de vitandis ordinationibus per saltum.

1° *Lex concilii Sardicensis.* — In can. 13, sic statuit: « Si forte aut dives, aut scholasticus de foro aut ex administratore (*forsan* administratione) episcopus fuerit postulatus, ut *non prius ordinetur, nisi ante et lectoris munere et officio diaconi aut* (*in græco textu* καὶ) *presbyteri fuerit perfunctus,* et ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide sit, quave modestia, gravitate et verecundia... Conveniens non est nec ratio vel disciplina patitur ut temere et leviter ordinetur aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus est, maxime cum et magister gentium

[1] Hallier, part. II, sect. 1, c. 1, art. 2; ed. Migne, col. 672 sq.

beatus Apostolus, ne hoc fieret, denuntiasse et prohibuisse [1] videatur [2]. » Habes hic simul et legem de recipiendis successive ordinibus, et gravissimas hujus legis rationes; attamen, ex ordinibus minoribus, unus tantum, lectoratus, vi præcepti Sardicensis, majoribus ordinibus præponi debet.

2° *Decreta Romanorum Pontificum Siricii, Innocentii I et Zozimi.* — 1. Legem Sardicensem primus ex Romanis Pontificibus inculcavit Siricius, epist. I, *Ad Himerium Tarraconensem*, n. 13-14 (an. 385) [3]; addiditque duos ordines, quos recipi jussit ante ordines majores, nempe *acolythatum* et *subdiaconatum*, imo et aliquando *exorcistatum;* decretum Siricii insertum est *Decreto* Gratiani, can. *Quicumque*, 3, dist. LXXVII; magis autem illud determinavit, et in aliquo mitigavit [4] Zozimus, cujus verba infra referimus; — 2. Innocentius I item inculcavit legem Sardicensem, et decreta Siricii, in epist. XXXVII, *Ad Felicem Nucerinum*, n. 6 [5]; — 3. Zozimus magis determinavit disciplinam ecclesiasticam in hac re; primo enim omnino prohibuit, ad normam prædecessorum suorum et patrum Sardicensium, ne quis cito fieret episcopus : « Assuescat, in Domini castris, in *lectorum* primitus gradu, divini rudimentis servitii, nec illi vile sit *exorcistam*, *acolythum*, *subdiaconum*, *diaconum per ordinem* fieri; nec hoc saltu [6], sed statutis majorum ordinatione temporibus. Jam vero ad *presbyterii* fastigium talis accedat...; jure inde *summi pontificis* locum sperare debebit. » Epist. IX, *Ad Hesychium Salonitanum*, n. 1-2 [7]; — deinde, in eadem epistola, n. 5, determinat Zozimus, quænam sint *hæc tempora* probationis in unoquoque gradu : « Hæc autem singulis gradibus observanda sunt

[1] I Tim., III, 6 : « Non neophytum; » in diverso tamen sensu, ut patet, hoc vocabulum adhibetur ab Apostolo, et a concilio Sardicensi.

[2] Bruns, t. I, p. 99.

[3] Migne, *P. L.*, t. XIII, col. 1142.

[4] Nempe quoad ætatem pro diaconatu et presbyteratu, ut supra notatum est, n. **83**, 3°.

[5] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 604.

[6] Hoc vocabulum *saltu* non significat in hoc loco omissionem alicujus ordinationis debitæ, sed omissionem *interstitiorum*, ut patet ex verbis quæ immediate sequuntur.

[7] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 671.

tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, *inter lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret.* Si major jam et grandævus accesserit, ita tamen ut post baptismum statim se divinæ militiæ desideret mancipari, *sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur. Exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis;* et sic ad benedictionem *diaconatus,* si meretur, accedat; in quo ordine *quinque annis*, si inculpate se gesserit, hærere debebit. Exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, *presbyterii* sacerdotium promereri. De quo loco, si eo illum exactior ad bonos mores vita produxerit, *summum pontificatum* sperare debebit[1]. » Hinc duo graduum curricula determinat et præscribit Zozimus, unum pro his qui ab infantia nomen dant militiæ clericali, alterum pro iis qui jam grandævi accedunt. Curriculum prius : *lector usque ad vigesimum annum; acolythus vel subdiaconus per quatuor annos; diaconus per quinque annos; presbyter; episcopus.* Curriculum alterum : *lector aut exorcista per quinque annos; acolythus vel subdiaconus per quatuor; diaconus per quinque,* etc. Hinc legi Sardicensi addit Zozimus, uti jam fecerat Siricius, *acolythatum* et *subdiaconatum;* pro grandævis autem, addit *exorcistatum* juxta varia adjuncta. Hos autem gradus recipi jubet *per ordinem*, id est, unum post alium, juxta ordinem præscriptum, et idcirco prohibet ne recipiantur *per saltum,* in sensu hodierno hujus vocabuli.

103. — Paulatim hæc disciplina firmatur.

1° Cum præfata omnia decreta, nempe concilii Sardicensis, et trium Rom. Pontificum, inserta fuissent in collectione Dionysiana[2], paulatim, cum hac collectione, ubique recepta sunt; imo paulatim receptum est, vi consuetudinis, ut etiam ordines omissi in præfatis decretis, nempe *ostiariatus,* et *exorcistatus*[3] recipi

[1] Migne, *P. L.,* t. XX, col. 672-673; — decretum Zozimi insertum est *Decreto* Gratiani, sed corruptum, can. *In singulis,* 2, dist. LXXVII.

[2] Cf. Migne, *P. L.,* t. LXVII, col. 180, 236, 249, 263-264.

[3] Qui sæculo III jam in usu erant, testante Cornelio papa, *Ad Fabium,* supra, n. 8.

deberent, loco quem hodie tenent. Quod testantur tria apocrypha, sæculo VI ineunte conficta, nempe decretum Caio (283-296) tributum : « Hic constituit ut ordines omnes in ecclesia sic ascenderetur : si quis episcopus mereretur, ut esset *ostiarius, lector, exorcista, sequens, subdiaconus, diaconus, presbyter*, et exinde *episcopus* ordinaretur [1]. » Quod fere repetunt *concilium Romanum* 275 episcoporum sub Silvestro, et *Constitutum* Silvestri, cap. 11 [2]; in hoc ultimo apocrypho omittitur *ostiariatus*.

2° Gelasius quidem, epist. XIV, *Ad episcopos Lucaniæ*, n. 2, permittit omitti duos ordines minores, nempe *ostiariatum* et *exorcistatum*, sed propter gravissima temporum locorumque adjuncta, ut ipse ait [3]. — Cum vero in Gallia prædicta decreta negligerentur, et aliqui subito aut fere subito episcopi fierent, S. Cælestinus I, in epist. IV, *Ad episcopos provinciæ Viennensis*, n. 4 [4], et S. Gregorius Magnus, in epist. *Ad Syagrium Augustodunensem* [5], gravissimis et sapientissimis verbis legem episcopis in memoriam revocant; S. Gregorius ait : « Qua de re necesse est ut si et quamvis inculpati quisquam sit meriti, *ante tamen per distinctos ordines ecclesiasticis exerceatur officiis*. Videat quod imitetur, discat quod doceat, etc. ; » tota epistola legenda est. — Cf. etiam concilium Bracarense I (an. 563), can. 20 [6]. — Notandum tamen his non infirmari probabiliorem opinionem supra, in cap. I (n. **5**, 1°) descriptam, de transitu diaconi ad episcopatum, omisso presbyteratu, tum quia agebatur de *diacono jam probato*, tum quia necessitas aliquando postulat relaxari severitatem legis, ut etiam insinuat mox allatum exemplum Gelasii.

3° Jam a sæculo IX, pœnæ memorantur latæ contra promotos per saltum. Sic : *a*. Juxta concilium Suessionense II (an. 853), in fine *Actionis VI*, « qui saltu, sine gradu diaconi, ad sacerdo-

[1] *Liber pontificalis, Caius;* ed. Duchesne, t. I, p. 161.
[2] Harduinus, *Conc.*, t. I, p. 528, 293.
[3] Thiel, p. 362-363.
[4] Migne, *P. L.*, t. L, col. 433.
[5] *Epist.*, lib. IX, ep. CVI; Migne, *P. L.*, t. LXXVII, col. 1030-1031. Pars epistolæ inserta est *Decreto* Gratiani, can. *Hoc ad nos*, 3, dist. LIX.
[6] Bruns, t. II, p. 36.

tium prosilierat, in degradationem debitam resilire deberet [1]; » — *b.* Alexander II, can. *Sollicitudo*, 1, dist. LII, agens de clerico, qui, omisso subdiaconatu, ordinatus erat in diaconum et presbyterum, mandat episcopo, « ut *ab officio sacerdotali eum prohibeas*, donec, proximo quatuor temporum jejunio, subdiaconatus ministerium sibi rite imponas, et sic deinceps ad majora officia eum redire concedas; » — *c.* Innocentius III, cap. *Tuæ litteræ*, 1, De clerico per saltum promoto, supponit existentem legem, quæ prohibet exercitium ordinis per saltum recepti, ut mox dicetur.

II. Leges hac de re vigentes

104. — Ordinationes per saltum prohibitæ.

1° Certum est non posse prætermitti *aliquem ordinem sacrum*, antequam recipiatur ordo superior. — Nam : 1. Id constat in genere omnibus legibus et decretis supra relatis, nempe conc. Sardicensis, Siricii, Zozimi, etc.; — 2. Specialiter constat de *subdiaconatu*, ex cit. can. *Sollicitudo*, in quo Alexander II plectit suspensione ferendæ sententiæ clericum qui hunc ordinem omiserat; — 3. Specialiter constat de *diaconatu*, ex cap. *Tuæ litteræ*, 1, De clerico per saltum promoto, in quo agitur de omisso per ignorantiam diaconatu : « Mandamus quatenus condignam pœnitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem (presbytero); qua peracta..., ipsum in diaconum ordinare procures, et sic de misericordia eumdem ministrare permittas in ordine sacerdotis. »

2° Certum est etiam non posse prætermitti *acolythatum* nec *lectoratum*. — 1. Pro *acolythatu*, constat decretis Siricii et Zozimi, et etiam concilii Tridentini, quod, cap. *Minores*, 11, sess. XXIII, De ref., jubet ut non recipiatur ordo sacer « nisi post annum a *susceptione postremi*

[1] Mansi, t. xiv, col. 988.

gradus minorum ordinum », nempe acolythatus; — 2. Pro *lectoratu*, satis etiam patet iisdem decretis Romanorum Pontificum, et, si quid desit ex parte legis scriptæ, suppletur abundanter per consuetudinem, ut statim dicitur.

3° Quoad *ostiariatum* et *exorcistatum*, nulla lex est *generalis scripta*, quæ jubeat hos ordines præmitti superioribus : quod patet legenti textus supra relatos. Unde dicit Hallier non constare utrum *minores ordines* superioribus ordinibus semper præsupposîti olim fuerint[1]; quod verum est præsertim de duobus relatis. — Verum ex consuetudine quæ pluribus jam sæculis ante concilium Tridentinum in tota Ecclesia occidentali invaluerat, receptum omnino erat ut singuli quatuor ordines minores, in ordine quo nunc sunt, semper præmitterentur, nullo excepto, sacris ordinibus, ita ut *promotus per saltum* diceretur etiam ille qui acolythatum, omisso exorcistatu, vel lectoratum, omisso ostiariatu, reciperet. Quam consuetudinem testantur veteres canonistæ, qui etiam, deficiente textu canonico, allegant jus Romanum, L. *Ut gradatim*, 11, ff. *De muneribus et honoribus* (L, IV) : « Ut *gradatim* honores deferantur, edicto, et ut *a minoribus ad majores perveniatur*, epistola divi Pii ad Titianum exprimitur[2]. » Unde dubitari nequit de necessitate præmittendi hos duos ordines superioribus ordinibus[3]. — Quam disciplinam de præmittendis omnibus et singulis ordinibus minoribus ante ordines sacros concilium Trid., cap. *Minores*, 11, sess. XXIII, De ref., non condit, sed supponit his verbis : « Atque *ita de gradu in gradum ascendant*, etc. »

[1] *Loc. cit.*, art. 2, n. 19, col. 686-687; — cf. etiam Morinum, part. III, exercit. XI, c. II, p. 155-158.

[2] Cf. card. Hostiensem, in *Summa*, lib. I, in tit. *De temp. ordin.*, n. 32, Venetiis, 1570, fol. 51.

[3] Cf. etiam Van Espen, *Jus eccl. univ.*, part. II, t. IX, c. V, n. 7 sq., Coloniæ Agrippinæ, 1702, p. 394.

4° Quoad *primam tonsuram*, iterum nulla lex est *generalis scripta*, quæ jubeat illam præmitti ordinibus minoribus. — Attamen communis est doctorum opinio, *vere dari præceptum recipiendi primam tonsuram ante minores ordines*, tum quia, ex principio mox relato, *gradatim* honores deferri debent; porro, licet tonsura probabilius non sit *ordo*, attamen certo est *gradus*, cum per eam *clericalis ordo conferatur* (cap. *Cum contingat*, 11, De ætate et qualitate, etc.); — tum præcipue propter universalem et firmissimam consuetudinem quæ invaluit in hoc sensu, etiam ante conc. Trid. — Unde etiam ita resolvisse S. Congr. Conc., an. 1588, refert Gallemart, in *conc. Trid.*, in cap. *Qui pie*, 14, sess. XXIII, De ref.[1]. — Unde non posset quis ab hac opinione recedere sine temeritate[2].

105. — Ordinationes per saltum validæ.

1° Si recipiantur *ordines sacri*, omissis minoribus in totum vel in parte, valide recipiuntur. — Constat ex antiqua disciplina supra exposita, juxta quam solebant accipi ordines sacri, omissis minoribus, modo uno, modo pluribus, quin unquam dubium motum fuerit de validitate ordinationum.

2° Si recipiatur *diaconatus*, omisso subdiaconatu, pariter valida est ordinatio diaconatus. Constat relato supra (n. **103**, 3°) can. *Sollicitudo*, 1, dist. LII, quo Pontifex omissum subdiaconatum recipi jubet, non vero iterari receptas superiores ordinationes, quas econtra validas supponit. Aliunde subdiaconatus diu fuit ordo minor, quem insuper prætermisit Sardicense concilium (n. **102**, 1°) in can. 13.

[1] Ed. Venetiis, 1780, p. 255-256.

[2] Hanc opinionem tenent, inter alios, Reiffenstuel, in tit. *De clerico per saltum promoto*, n. 6; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 10; — Thesaurus, *De pœnis*, v° *Ordo*, c. xiii, Romæ, 1760, p. 316.

3° Si recipiatur *presbyteratus*, omisso diaconatu, iterum valida est ordinatio. — Constat omnino mox relato cap. *Tuæ litteræ*, 1, De clerico per saltum promoto, quo Pontifex omissum diaconatum recipi jubet, receptum vero presbyteratum validum supponit.

4° Si recipiatur *episcopatus*, omisso presbyteratu, redeunt controversiæ supra expositæ in c. I (n. **5**); unde nil amplius hic dicendum.

Ex hoc ergo usu Ecclesiæ orta est theoria canonica, juxta quam ordines superiores censentur independentes ab inferioribus, ita ut illi, his omissis, valide recipi queant. Quod aliunde valde congruit naturæ singulorum ordinum; sic, v. g., potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi nil commune habet cum potestate ordinum inferiorum.

106. — Pœnæ contra ordinatos per saltum.

1° Ante bullam *Apostolicæ Sedis*, an. 1869, hoc erat in isto casu jus pœnale[1] :

a. Qui receperat ordinem *per saltum*, suspensus erat ab ordine male recepto (non vero ab aliis bene receptis), ex relato cap. *Tuæ litteræ*, 1, De clerico per saltum promoto ; « Mandamus, quatenus condignam pœnitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem (presbytero) ; qua peracta..., ipsum in diaconum ordinare procures, *et sic de misericordia eumdem ministrare permittas in ordine sacerdotis*. » De qua suspensione hæc dicenda : 1. Erat *latæ sententiæ*, ut patet ipsis terminis, dum econtra suspensio lata in cit. can. *Sollicitudo*, 1, dist. LII, contra clericum qui omiserat subdiaconatum non est nisi *ferendæ senten-*

[1] Cf. Thesaurus, *De pœnis*, v° *Ordo*, c. xiii; ed. Giraldi, p. 315-316; — Suarez, *De censuris*, disp. XXXI, sect. I, n. 44 sq.; — Bonacina, *De censuris*, disp. III, q. I, punct. 2.

tiæ; — 2. Cum cap. *Tuæ litteræ* respiciat *diaconatum* omissum, merito dubitari poterat num extendi posset, præsertim in re pœnali, ad omissos ceteros ordines, præsertim minores. S. Congr. Conc., in *Florentina,* 5 dec. 1744, in qua agebatur de omissis duobus primis ordinibus minoribus, absolvit quidem et dispensavit, sed tantum *ad cautelam*[1]; — 3. Suspensio lata in dicto cap. non est proprie *censura;* non enim fertur ad frangendam contumaciam, sed simpliciter et in perpetuum; imo non supponit culpam, saltem gravem; unde est potius *prohibitio exercitii ordinis per saltum recepti,* quæ, si affuerit culpa, induat indolem *suspensionis pœnalis.*

b. Præter illam suspensionem, qui receperat ordinem per saltum, nec ordinem *superiorem*, nec ordinem *omissum* recipere poterat : non *superiorem*, tum quia quilibet suspensus non potest recipere ordinem, tum quia hæc nova ordinatio fuisset etiam *per saltum* recepta; non *omissum*, quia, ut dictum est, clericus suspensus nequit recipere ordinem; dicebant tamen aliqui[2], ordinem *omissum* potuisse recipi.

c. Insuper, si clericus ministraret in ordine per saltum recepto, incurrebat irregularitatem, ob violatam suspensionem; — a fortiori, si ministraret in ordine omisso, utpote ministrans in ordine quem non habebat.

d. Quoad obtinendam dispensationem, applicandum erat decretum concilii Trid., in cap. *Qui pie,* 14, sess. XXIII, De ref. : « Cum promotis per saltum, si non ministraverint, episcopus ex legitima causa possit dispensare. » Unde : 1. Si non ministrasset clericus, poterat episcopus dispensare, quocumque modo, etiam publice, et ex superbia, clericus fuerat per saltum promotus; — 2. Si autem mi-

[1] *Thesaurus,* t. XIII, p. 203-206; legas *folium* hujus causæ Florentinæ.
[2] Apud Bonacinam, *loc. cit.,* n. 9.

nistrasset in ordine vel per saltum recepto, vel omisso, non poterat episcopus dispensare (nisi forsan *bona fide* ministrasset, quia tunc non fuit incursa irregularitas) ; — 3. Si non præcise ministrasset, sed tantum recepisset ordinem omissum, poterat episcopus dispensare ; in hoc enim casu non fuit incursa irregularitas [1]. — Effectus autem dispensationis erat ut clericus per saltum promotus recipere posset ordinem omissum et tunc ministrare in omnibus ordinibus.

2° Nunc, vi bullæ *Apostolicæ Sedis*, mutatum est præfatum jus :

a. Sublata est dicta suspensio, in cit. cap. *Tuæ litteræ*, contenta ; nam, ex una parte, non inserta est bullæ *Apostolicæ Sedis ;* ex altera, concilium Trid., relatis verbis : « Cum promotis, etc., » pœnam illam non directe tulit, sed tantum, ea supposita ex antiquo jure, potestatem episcopo concessit in ea dispensandi certis in casibus [2].

b. Remanet tamen prohibitio exercendi ordinem per saltum receptum ; hæc enim prohibitio supponitur omnino ex relato cap. *Tuæ litteræ*, in quo agitur de clerico qui inculpate diaconatum omiserat, quique tamen prohibetur exercere ordinem presbyteratus per saltum receptum ; unde, adhuc hodie, si quis vel bona, vel a fortiori mala fide, recipiat ordinem per saltum, prohibetur illum exercere.

c. Non amplius prohibitum est recipere ordinem *omissum ;* nam nulla potest amplius assignari causa hujus prohibitionis.

[1] Ita Bonacina, *loc. cit.*, n. 13, contra Suarez, *loc. cit.*

[2] Ita Pennacchi, *Commentaria in const. Apostolicæ Sedis*, Romæ, 1883, t. II, p. 472-477 ; — d'Annibale, *Summula*, t. I, n. 395, not. 7 ; n. 412, not. 41 ; ed. 3, p. 392, 411 ; — Piatus, *Comment. in const. Apostolicæ Sedis*, Tornaci, 1884, p. 319-320 ; — Icard, *Prælectiones juris can.*, n. 326, Parisiis, 1893, t. II, p. 31-32 ; — Gasparri, *De ordinatione*, n. 498, t. I, p. 318. — Quidam tamen alii (a Piato relati) aliter sentiunt.

d. Si clericus semel receperit ordinem omissum, poteritne exercere ordinem primo male receptum? Quidquid dicit Piatus et forsan Pennacchi[1], putaverim illum posse illum exercere; nam nulla amplius causa remanet prohibitionis; ante quidem bullam *Apostolicæ Sedis*, clericus, per saltum promotus, etiam post receptum ordinem omissum, non poterat exercere ordinem male susceptum, quia remanebat suspensio, quæ non nisi dispensatione episcopi tolli poterat; cum ergo nunc cessaverit suspensio, non remanet nisi simplex *prohibitio* exercendi ordinem per saltum receptum; hæc autem prohibitio, quæ tota nunc oritur ex omissione alicujus ordinis, ipso facto cessat, postquam hic ordo receptus est; sicut impedimentum ex defectu ætatis canonicæ ipso facto cessat, adveniente ætate. Hoc sit dictum, salvo meliori judicio.

e. Si clericus, ante receptum ordinem omissum, ministret, distinguendum est : si ministret *in ordine per saltum recepto*, patrat quidem culpam gravem, quia violat prohibitionem in re gravi, sed tamen non amplius incurrit irregularitatem, quia cessavit suspensio; unde non eget hac in re dispensatione. Si vero ministret in ordine omisso, incurrit irregularitatem, quia ministrat in ordine quem non habet; in qua irregularitate dispensari poterit ab episcopo, si delictum sit occultum; secus, si sit publicum.

§ 2. De interstitiis.

107. — Notitia historica.

1° Primum documentum juridicum, hac de re, est supra (n. **102**, 1°) relatus canon 13 Sardicensis, qui prohibet ne laicus episcopus ordinetur, nisi ante et *lectoris*, et *diaconi*, et *presby-*

[1] Piatus, *loc. cit.*, p. 320; — Pennacchi, *loc. cit.*, p. 478.

teri officio perfunctus fuerit per *prolixum tempus*, quod tamen non determinat, ut inde probari possit ejus fides et vita.

2° Succedunt decreta Siricii et Zozimi, supra (n. **102**, 2°) relata; juxta utrumque pontificem, sunt duo *curricula*, cum paulo diversis interstitiis, ut ibidem notatur. Inter presbyteratum et episcopatum, Zozimus interstitia non determinat, sed dicit tantum : « De quo loco (presbyteratus), si eo illum exactior ad bonos mores vita produxerit, summum pontificatum sperare debebit [1]. »

3° Gelasius, epist. XIV, *Ad episcopos Lucaniæ*, n. 2, multum contraxit interstitia, sed tantum per modum exceptionis, et attentis gravissimis rerum adjunctis [2].

4° Concilium œcumenicum VIII (an. 869), pro Ecclesia Orientali, ut obviaretur præproperis ordinationibus, qualis recens fuerat ordinatio Photii, qui (an. 857) intra quinque dies omnes ordines, non excepto episcopatu, receperat, præscribit varia interstitia inter ordines, nempe ut quis sit lector uno anno, subdiaconus duobus, diaconus tribus, presbyter quatuor annis, et sic episcopus [3].

5° Ex his ergo omnibus decretis evaserat disciplina generalis, præscribens varia interstitia inter varios ordines, et idcirco et potissimum prohibens ne unquam eodem die duo aut plures ordines, sive majores, sive etiam minores, reciperentur.

108. — Interstitia hodie vigentia. — Concilium Tridentinum determinat quænam sint hodie servanda interstitia, in capitibus 11, 13, 14, sess. XXIII, De REF. Juxta hæc decreta, hoc dicendum est :

1° Inter primam tonsuram et ostiariatum, nulla requiruntur interstitia; nihil enim hac de re statuit conc. Trid., nec ulla alia lex canonica. Unde eodem die conferri possunt.

[1] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 673.

[2] Thiel, p. 362-363.

[3] Conc. œcum. VIII, can. 5; Mansi, t. XVI, col. 163; — cf. Hefele, *Hist. des conciles*, § 493, ed. Delarc, t. V, p. 643.

2° Inter singulos ordines minores, præscripta sunt interstitia. Concilium enim, cap. *Minores*, 11, *loc. cit.*, ait : « Minores ordines iis qui saltem latinam linguam intelligant, *per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur,* ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum episcopi, se exerceant... ; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in iis cum ætate vitæ meritum et doctrina major accrescat. » — De quo duo dicenda :

a. Cum concilium non requirat nisi *temporum interstitia*, sufficit, ad satisfaciendum huic legi, intervallum quod decurrit de uno sabbato quatuor temporum, aut alio sabbato ad ordinationes generales destinato, ad simile sabbatum proxime sequens ; imo, si agatur de ordinatione non generali, sufficit intervallum quod decurrit de una dominica (vel festivitate) ad proxime sequentem. — Ratio est quia : 1. Locutio concilii est indeterminata et idcirco obscura ; porro, juxta Regulam 30 Juris in VI : « In obscuris minimum est sequendum ; » — 2. In primo schemate cit. cap. 11, legebantur hæc verba : « Qui (ordines minores) iis *non eodem contextu, sed gradatim per temporum interstitia*, nisi, etc., conferantur[1] ; » quod aperte demonstrat hac locutione, *per temporum interstitia*, excludi tantum collationem omnium ordinum *in uno contextu*, nempe in unica ordinatione, uno die facta. — Unde, licet multis[2] intervallum de una dominica ad aliam insufficiens esse videatur, probabilior est nostra sententia.

b. Concilium remittit episcopo dispensationem in interstitiis : « Nisi aliud episcopo expedire magis videatur ; »

[1] *Acta authentica conc. Trid.*, ed. Theiner, Zagrabiæ, 1874, t. II, p. 267.

[2] V. g., Hallier, part. II, sect. VII, c. I, art. 7, n. 28 ; ed. Migne, col. 1368 ; — Giraldi, part. II, sect. CI, p. 964.

unde potest episcopus concedere ut uno et eodem die quatuor ordines minores conferantur in duplici casu : 1. Quando adest consuetudo : quod per se patet, et quod omnes admittunt[1], etiam S. Congr. Conc.[2]; — 2. Quando adest causa legitima : quod clare deducitur ex relato textu, ex quo patet concilium Tridentinum renovasse quidem antiquam legem de non recipiendis eadem die pluribus ordinibus minoribus, sed eam totam remisisse arbitrio episcopi; ita opinio communis, testante et consentiente ipso Benedicto XIV, tunc Lambertinio, secretario S. Congr. Concilii, *Adnotationes secretarii in causa Calaritina*, 21 febr. 1728, n. 5[3]. Unde etiam concludendum est, cum licentia episcopi, conferri posse eadem die tonsuram et quatuor minores ordines[4].

3° Inter acolythatum et subdiaconatum, requiritur *unus annus*. Ita conc., cit. cap. *Minores :* « Hi vero (ordinati ad minores) non nisi *post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut ecclesiæ utilitas, judicio episcopi, aliud exposcat.* »

4° Inter subdiaconatum et diaconatum, requiritur etiam *unus annus*. Ita conc., cap. *Subdiaconi*, 13, *loc. cit. :* « Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, *si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittantur.* »

5° Inter diaconatum et presbyteratum, iterum requiritur *unus annus*. Ita conc., cap. *Qui pie*, 14, *loc. cit. :* « Qui non modo in diaconatu *ad minus annum integrum, nisi*

[1] Etiam Hallier, *loc. cit.*, qui jam suo tempore præfatam consuetudinem vigere testatur.

[2] In *Lucen.*, 31 maii 1597, apud Giraldi, *loc. cit.*

[3] *Thesaurus S. C. C.*, t. IV, p. 163.

[4] Schmalzg., in tit. *De temp. ord.*, n. 12.

ob ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur, ministraverint... »

6° Collatis concilii textibus pro tribus ultimis interstitiis, difficilior esse debet dispensatio pro primo et tertio, quam pro secundo; pro hoc enim totum remittitur arbitrio episcopi, « nisi aliud episcopo videatur, » dum pro aliis requiritur *necessitas* aut *utilitas ecclesiæ*. De quo notanda duo : 1. Pro tertio interstitio, nempe ante presbyteratum, concilium ad dispensationem requirit utilitatem *ac* necessitatem ecclesiæ, et ideo quidam requirunt *necessitatem*[1]; verum S. Congr. Conc., die 3 maii 1620, « censuit ea verba *esse intelligenda disjunctive, non autem copulative*[2], » ita ut sufficiat sola ecclesiæ *utilitas;* — 2. Quidquid dicendum est pro aliis temporibus, in quibus abundabant Ecclesiæ ministri[3], certum est hodie, ob penuriam sacerdotum, quæ fere ubique defletur, vix posse deesse causam *utilitatis ecclesiæ* (nempe diœcesis), ita ut etiam causæ rationabiles quæ ipsum ordinandum afficiunt, redundare videantur in ipsius ecclesiæ utilitatem.

7° Inter presbyteratum et episcopatum, nulla præscripta sunt interstitia. — Concilium quidem Trid., cap. *Quicumque*, 2, sess. XXII, De ref., requirit ut eligendus in episcopum sit, *a sex mensibus saltem, in sacro ordine constitutus;* sed nihil omnino dicit de intervallo quod statui debeat inter presbyteratum et episcopatum; de qua re tacet etiam Gregorii XIV bulla *Onus apostolicæ,* 15 maii 1591, quæ agit de dotibus episcopi eligendi, et de ordine sacro quem habere debet[4]. Unde nil impedit quin diaconus ordinari possit in presbyterum sabbato Quatuor Temporum,

[1] Ita Barbosa, *In conc. Trid.,* in cit. c. xiv, p. 224-225.

[2] Apud Giraldi, part. II, sect. ci, § 4 Die 3 maii, p. 964.

[3] De quo cf. Benedictum XIV, *Inst.,* LVIII; et Hallier, *loc. cit.,* n. 26, col. 1366.

[4] *Bull. Rom.,* t. v, part. 1, p. 268.

et, die dominica proxime sequenti, in episcopum[1]. Non posset tamen ordinari *eadem die* presbyter et episcopus, ob aliam legem, de qua infra (n. **113**).

8° Quoad rationem quæ induxit Ecclesiam ad statuenda præfata interstitia, collatis textibus citatis conciliorum Sardicensis et Tridentini, et decretalium Rom. Pontificum, triplex assignari potest : 1. Ut clerici discant quod postea doceant, ut nempe studeant illi doctrinæ, quam postea ipsi prædicaturi sunt; — 2. Ut, per exercitium ordinum aliaque media, acquirant virtutes et perfectionem, quæ ad sacros ordines et presbyteratum requiruntur; — 3. Ut probentur, id est, ut episcopi cognoscere possint fidem, doctrinam, mores cujusque ordinandi, et sic probe sciant quos ad majores ordines promovere debeant, et quibus graviora possint committere ministeria[2].

109. — **Quæritur : 1°** *Quomodo computandus sit annus, qui requiritur ante subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum.*

Resp. : 1. Duplex est *annus,* nempe *naturalis,* qui absolvitur duodecim elapsis mensibus ; *ecclesiasticus,* qui, in re de qua agimus, de uno sabbato Quatuor Temporum (vel alias ad ordinationes generales destinato) ad idem in anno sequenti recurrens sabbatum decurrit, v. g., de sabbato sancto hujus anni ad sabbatum sanctum anni proxime sequentis; unde annus ecclesiasticus potest esse longior vel brevior anno naturali.

[1] Quod expresse concedunt Giraldi, *loc. cit.,* sect. CI, in fine, p. 966; — Hallier, *loc. cit.,* art. 6, n. 6, col. 1348; — Reiff., in tit. *De temp. ord.,* n. 165; — Schmalzg., in eumd. tit., n. 16; — Riganti, *In regulam 24 cancellariæ,* § 1, n. 72, cum multis quos allegat, t. II, p. 321; — Thesaurus, *De pœnis,* v° *Ordo,* c. XV, n. 3; ed. Giraldi, p. 318.

[2] Hæc tria docte simul et pie evolvunt Hallier, *loc. cit.,* art. 7, n. 30-38, col. 1369-1375, et Habert, *De ordine,* part. I, c. X, § 3, q. III : *Theologia,* Lugduni, 1741, t. VII, p. 200-203.

2. Lapsus unius anni *naturalis* semper sufficit ad satisfaciendum legi de interstitiis, etiam quando brevior est anno *ecclesiastico*. — Ratio est quia, in sensu genuino, annus intelligitur præcipue *naturalis*.

3. Sufficit pariter lapsus unius anni *ecclesiastici*, ita ut clericus, ordinatus diaconus sabbato sancto hujus anni, possit ordinari presbyter sabbato sancto anni sequentis, licet nondum effluxerit annus *naturalis*. — Ratio est tum quia, moraliter loquendo, *annus elapsus est*, præsertim in re liturgica; tum quia, cum ordines sacri conferri nequeant nisi sex sabbatis determinatis, si non sufficeret annus ecclesiasticus, expectandum esset ulterius sabbatum, et sic forte differretur ordinatio ultra tres menses (præter annum elapsum). Unde sufficere annum *ecclesiasticum* communiter tenent doctores[1], imo et ipsa S. Congr. Conc.[2].

110. — **Quæritur : 2°** *Num requiratur ut clericus exerceat ordinem inferiorem, antequam promoveatur ad superiorem.*

Resp. : 1. De *jure communi*, non extat præceptum ut clericus, antequam promoveatur ad ordinem superiorem, exerceat inferiorem, v. g., ministrando ad altare in munere acolythi, subdiaconi, diaconi. — Hoc enim præceptum nullibi legitur. Concilium quidem Trid., in relato supra (n. **108**) cap. *Minores*, 11, sess. XXIII, De ref., agendo de ordinibus minoribus, jubet ut *per temporum interstitia* conferantur, « ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri, ac *in unoquoque munere*,

[1] Hallier, *loc. cit.*, n. 29, col. 1369; — Riganti, *loc. cit.*, n. 71; — Fagnan, in cap. *Litteras vestras* (13, *De temp. ordin.*), Vesuntione, 1740, t. I, p. 339.

[2] In causa, quam refert Fagnan, in cap. *Ad nostram* (8, *De Regularibus*), n. 18, t. II, p. 331.

juxta præscriptum episcopi, *se exerceant*, idque in ea, cui adscripti erunt, ecclesia, ... atque ita de gradu in gradum ascendant... » Sed, ut patet, hoc exercitium non est nisi una ex rationibus quæ induxerunt Ecclesiam ad præscribenda interstitia ; porro ratio legis non est lex. Ceterum concilium non agit nisi de minoribus ordinibus, et illa in determinata ecclesia clericorum adscriptio, quam supponit, non fit amplius. — Sufficit ergo ut clerici per tempus requisitum in ordine recepto versentur, atque ita obligationes hujus ordinis, v. g., habitus clericalis delationem, castitatis observantiam, horarum canonicarum recitationem (quod est verum *officium* seu *ministerium*), etc., adimpleant, ut digni judicentur ab episcopo qui superius ascendant.

2. De *jure particulari*, alicubi requiritur ut clericus exercuerit ordinem receptum antequam ascendat ad superiorem. Sic in urbe Roma ; unde Romani, qui promoveri cupiunt ad diaconatum aut presbyteratum, documenta exhibere debent *de ministerio in ordine inferiori adimpleto*[1]. Unde etiam alumni quorumdam Romanorum collegiorum indulta impetrarunt, quibus ab hac obligatione soluti sunt, v. g., alumni collegii Congr. de Prop. Fide, ex Urbani VIII brevi *Ad uberes*, 18 mai 1638[2].

111. — Quæritur : 3° *Num vigeant interstitia in Ecclesia Orientali.*

Resp. : 1. Ecclesiæ orientales lege interstitiorum tenentur, ut constat relato supra (n. **107**) can. 5 conc. œcumenici VIII; quod insuper plurimis documentis demonstrat contra quosdam Leo Allatius[3]. Lex tamen

[1] Cf. Honorante, c. IV, n. 3; c. V, n. 4, p. 56, 60.
[2] Apud de Martinis, *Juris pontif. de Prop. Fide*, part. I, t. I, p. 173-174.
[3] *De ætate et interstitiis etiam apud Græcos servandis*, p. 69-217,

illa aliquatenus temperata est juxta varias ecclesias.

2. Apud Ruthenos, lectoratus et subdiaconatus uno die conferri possunt. Inter autem subdiaconatum et diaconatum, item inter diaconatum et presbyteratum decem dies interponi debebant, prout jusserat Synodus Ruthenorum unitorum, an. 1720, tit. III, § 7[1]; verum nova eorumdem Ruthenorum synodus, an. 1891, adhuc restrinxit hæc interstitia, ita ut nunc sufficiat una dies inter subdiaconatum et diaconatum, octo vero dies inter diaconatum et presbyteratum[2].

3. Apud Maronitas, lex Tridentina imponitur, sed episcopi possunt, si ecclesiæ necessitas exigat, de mense in mensem, imo de hebdomada in hebdomadam, post ordines minores, sacros ordines conferre. Ita concilium Montis Libani, an. 1736, part. II, c. XIV, n. 29[3].

4. Græco-Itali, qui ex longinquis regionibus se conferre debent, ut inveniant episcopos sui ritus a quibus ritu græco ordines recipere possint, ita dispensantur ab interstitiis, ut tribus diebus festivis, non tamen continuis, ordines suscipere queant. Quod eis concessit Benedictus XIV, bulla *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, § 7, n. 16-17[4].

5. Concilium Græco-Melchiticum, an. 1812, can. 6, episcopis Græco-Melchitis in memoriam revocat legem de servandis interstitiis[5].

6. Apud Syros ex recenti synodo, an. 1888, inter subdiaconatum et diaconatum requiritur annus integer, et

Romæ, 1638. — Cf. etiam Papp-Szilagyi, *Enchiridion juris Ecclesiæ Orientalis*, Magno-Varadini, 1880, p. 185-186.

[1] *Acta conc. Orient., Collectio Lacensis*, t. II, p. 41.

[2] *Acta et decreta synodi provincialis Ruthenorum*, an. 1891, tit. II, c. VI, n. 2, Romæ, 1896, p. 29.

[3] *Collectio Lacensis*, t. II, p. 239.

[4] *Bull. Bened.*, t. I, n. 57.

[5] *Collectio Lacensis*, t. II, p. 583.

item inter diaconatum et presbyteratum ; nullum vero interstitium requiritur inter ordines minores [1].

112. — Quæritur : 4° *Quis dispensare possit a lege interstitiorum.*

Resp. : 1. Jus habet *episcopus* dispensandi in interstitiis. Constat textibus supra relatis (n. **108**) concilii Tridentini, in quibus concilium, dum statuit legem de servandis interstitiis, semper addit : « Nisi aliud *episcopo* videatur, » aut aliquid hujusmodi. — Cum autem potestas dispensandi sit potestas jurisdictionis, et proinde exerceri nequeat nisi in subditos, non omnis episcopus dispensare potest ab interstitiis ; de quo hæc dicenda : *a.* Episcopus *originis* et episcopus *domicilii* dispensare possunt hos subditos suos quos ordinant pro suis ecclesiis; de quo nulla potest esse difficultas; — *b.* Episcopus *beneficii* potest item dispensare subditum quem ordinat ratione beneficii ; licet enim subjectio ratione beneficii multo minor sit subjectione ratione domicilii aut originis, attamen est vera subjectio, et clericus qui possidet beneficium, etiam simplex, in tali diœcesi est vere *subditus* episcopi hujus diœcesis, in his saltem quæ respiciunt administrationem hujus beneficii ; quam subjectionem omnino supponit Innocentius XII, in bulla *Speculatores*, § 3 [2]; et ita communiter doctores ; — *c.* Quoad episcopum *familiaritatis*, major est difficultas ; multo autem probabilius videtur hunc non posse dispensare familiarem suum ab interstitiis, quia de facto hic familiaris non est ejus *subditus*, ita ut jus, quod habet episcopus illum ordinandi, non oriatur ex *subjectione* familiaris, sed ex *privilegio ;* cum ergo privilegia non sint

[1] *Synodus Sciarfensis Syrorum, in Monte Libano celebrata,* an. 1888, c. v, art. 13, § 4, n. 4, Romæ, 1897, p. 138.

[2] *Bull. Rom.*, t. ix, p. 375.

extendenda ultra rem ipsam quam præcise respiciunt, jus ordinandi non potest extendi ad dispensationem ; unde nec etiam potest episcopus dispensare familiarem suum a defectu natalium. Et ita plerique doctores, v. g., Barbosa, Hallier, Garcias[1], etc. Hic, allegata decisione S. Congr. Conc., excipit casum quo *postulet ecclesiæ utilitas;* cum autem hæc decisio afferatur sine die et loco, dubiæ auctoritatis mihi videtur. — Notandum tamen episcopum, postquam ordinavit familiarem suum, eique beneficium contulit, posse ulterius, ratione hujus beneficii, illum ordinare et dispensare ab interstitiis, quod clarissimum est ; — *d.* Episcopus ordinaturus alienum subditum, vi dimissoriarum episcopi proprii, non potest illum dispensare ab interstitiis, nisi ab episcopo proprio specialem receperit delegationem ; quod clarum est.

2. Præter episcopum, *Vicarius capitularis* jus etiam habet dispensandi subditos ab interstitiis, ut ex professo dicam in *Prælectionibus de Capitulis.*

3. Item vicarius generalis, vi *mandati generalis*, eamdem dispensationem concedere potest, ut pariter suo loco dicam.

4. Quoad subditos *regulares,* dicetur opportunius infra, cap. IX.

5. Quoad sæculares subditos *prælatis inferioribus,* sive *Nullius,* sive non, dispensatio in interstitiis pertinet, non ad prælatos, sed ad *episcopum diœcesanum*, aut (si agatur de prælato *Nullius*) *viciniorem.* — Ratio est quia totum negotium ordinationis horum subditorum commissum est a concilio Tridentino huic episcopo, ut supra dictum est,

[1] Barbosa, *De officio et potestate episcopi,* alleg. 5, n. 14, Lugduni, 1641, t. I, p. 213; — Hallier, part. II, sect. V, c. III, art. 2, n. 4; ed. Migne, col. 984; — Garcias, *De beneficiis,* part. II, c. V, n. 86-87, Coloniæ Allobrogum, 1636, t. I, p. 126.

n. **61**, 8°. Attamen, pro *causis* dispensationis, stare debet episcopus *attestationi* prælati, uti decidit S. Congr. Conc., in *Fanen.*, 6 julii 1592[1].

§ 3. De duobus ordinibus sacris, vel uno sacro et minoribus, eodem die non recipiendis.

113. — Prohibitio recipiendi duos ordines sacros eodem die.

1° Constat clarissime hæc prohibitio : 1. Cap. *Litteras*, 13, De temporibus ordin., ubi agitur de clerico qui sabbato Quatuor Temporum ordinatus fuerat in diaconum, et sequenti dominica (continuato jejunio) in presbyterum ; de quo ait Innocentius : « Si enim *utrumque ordinem eodem die conferre illi non licuit*, pari non licuit ratione unum ordinem uno die, et alium altero, jejunio continuato, conferri[2]... ; » quæ verba supponunt etiam ante Innocentium extitisse hanc prohibitionem ; — 2. Conc. Tridentino, cap. *Subdiaconi*, 13, sess. XXIII, De reform. : « *Duo sacri ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur*, privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque. »

2° Prohibitio extenditur ad casum *continuati jejunii*, de quo dictum est supra, n. **93**, 3°. Si quis nempe, in hac ordinatione quæ incipit sabbato, et, continuato jejunio sabbati, absolvitur in horis matutinis diei dominicæ, recipiat duos ordines sacros, unum die sabbati, et alterum die dominica, graviter peccat contra dictam prohibitionem, et est ipsemet casus, quem contemplatur Innocentius dicto cap. *Litteras*.

3° Hac tamen lege non prohibetur quis recipere duos

[1] Quam refert Giraldi, part. II, sect. ci, p. 964.
[2] Vide reliqua verba textus supra, n. **93**, 3°.

ordines sacros *duobus diebus continuis, servatis servandis.* — Sic : 1. Diaconus recipere potest presbyteratum sabbato Quatuor Temporum, et, dominica proxime sequenti, episcopatum, ut dictum est supra, n. **108**, 7° ; — 2. Si subdiaconus habeat indultum *extra tempora*, et dispensetur ab interstitiis, recipere potest diaconatum sabbato Quatuor Temporum, et, vi indulti[1], dominica proxime sequenti, presbyteratum ; hic enim non incidit in prohibitionem Tridentinam, nec in casum Innocentianum. Errant profecto qui dicunt in hoc casu non posse recipi duos ordines sacros duobus diebus continuis[2].

4° Licet lex ista, de non recipiendis uno die duobus ordinibus sacris, iisdem fere rationibus nitatur ac lex de servandis interstitiis, attamen, quod spectat ad ordines *sacros*, diversa prorsus est ab hac lege. Etenim separatim proposita est et statuta a concilio Trid., cit. cap. *Subdiaconi*, et specialibus ac severioribus clausulis munita, nempe : « privilegiis ac indultis ... non obstantibus quibuscumque. » Unde qui dispensatur a lege interstitiorum, dispensatus non censetur ab hac speciali lege, et episcopi, quibus commissum est a conc. Trid. totum negotium de relaxandis interstitiis, dispensare non possunt ab hac lege.

5° Jure decretalium, si quis, contra dictam prohibitionem, recipiat eodem die duos ordines sacros, ordinans et ordinatus pœna suspensionis plectuntur, ordinans a collatione duorum ordinum male collatorum, ordinatus ab exercitio ordinis secundo loco suscepti, ex cit. cap. *Litteras;* verum disputabatur utrum hæc suspensio esset *latæ*, an tantum *ferendæ sententiæ*. — Quidquid est, cessavit hodie

[1] Nisi obstet tenor indulti, v. g., si requirat aliquod intervallum.

[2] Ita opinari videntur Ferrari, *Summa inst. canon.*, n. 97, Parisiis, 1869. t. I, p. 108; — d'Annibale, *Summula*, t. III, ed. 3, n. 294, p. 245.

pœna *latæ* sententiæ, cum servata non fuerit in bulla *Apostolicæ Sedis*.

6° Si nefas est recipere *duos* ordines sacros eodem die, a fortiori *tres;* quod cavetur expresse cap. *Dilectus*, 15, De temp. ordin.

114. — Quæritur : *Num liceat eodem die recipere subdiaconatum cum ordinibus minoribus.* — Quæsitum spectandum est relative ad *jus commune*, vel ad *consuetudinem*.

1° Si spectetur *jus commune*, controvertitur :

Prior opinio. — Juxta quosdam, *licitum est recipere eodem die subdiaconatum cum ordinibus minoribus* (uno vel pluribus), modo, ut par est, episcopus dispenset ab interstitiis. — Ratio est quia nullus juris textus prohibet hanc receptionem. Prohibetur quidem ne eodem die recipiantur *duo ordines sacri*, tum cap. *Litteras*, 13, De temp. ordin., tum conc. Trid., cap. *Subdiaconi*, 13, sess. XXIII, De ref., ut dictum est; sed hi textus non agunt de *uno ordine sacro cum minori.* — Nec dicatur præfatam receptionem prohiberi in cap. *Cum II. lator*, 1, De eo qui furtive ordinem suscepit; in hoc enim capite (quod legas infra relatum), agitur de clerico qui eadem die recepit ordines minores, et deinde subdiaconatum, *temerario ausu*, id est, inscio episcopo et furtive, ut patet tum ex rubrica tituli : *De eo qui furtive ordinem suscepit*, tum ex ipso tenore capitis, in quo pontifex reprehendit quidem et punit clericum sic ordinatum, nullo vero modo episcopum ordinantem : quod supponit hunc fuisse prorsus inscium. — Ita Leurenius, Giraldi (licet hæsitans), Schmalzgrueber[1], et plures alii quos allegat Benedictus XIV[2].

[1] Leurenius, in tit. *De temporibus ordin.*, q. dxc, n. 3, Augustæ Vindelicorum, 1737, t. I, p. 310; — Giraldi, part. I, sect. lxxxvii, p. 57; — Schmalzg., in tit. *De temp. ordin.*, n. 15, in fine, Neapoli, 1738, t. I, p. 127.

[2] In *Annotationibus secretarii in causa Calaritana*, 23 feb. 1728, *The-*

Posterior opinio. — Juxta alios, *illicitum est recipere eadem die subdiaconatum cum ordinibus minoribus.* — Sicut enim extat lex quæ prohibet ne eodem die recipiantur duo ordines sacri, sic etiam extat lex quæ prohibet ne eodem die recipiatur subdiaconatus cum minoribus. Quæ lex continetur cap. *Cum H. lator,* 2, De eo qui furtive ordinem suscepit, in quo legimus : « Cum H. lator præsentium, ... ad tuam, ordinationis causa, præsentiam accessisset, juxta consuetudinem patriæ sibi quatuor ordines minores contulisti; *quibus non contentus, subdiaconatum temerario ausu recepit.* Quia vero idem clericus *in hoc facto multum excessit, mandamus quatenus eum in minoribus duntaxat ordinibus celebrare permittas...* » Porro hic *temerarius ausus* in duobus constitit, primo in eo quod clericus ille recepit subdiaconatum inscio episcopo et furtive, secundo et *potissimum in eo quod eodem die recepit ordines minores et subdiaconatum;* quod et sequentibus argumentis demonstratur : 1. Ut constat ex supra dictis (n. **102, 107**), lex antiqua erat ut non nisi unus ordo, sive minor, sive major, semel reciperetur, et clericus per determinatum tempus versaretur in ordine recepto, antequam ad superiorem ascenderet; invaluit quidem alicubi (v. g., in patria clerici de qua agit prædictum caput) *consuetudo,* ut minores ordines in eodem die reciperentur, sed lex remansit intacta pro ordinibus sacris, et pro ordine minori cum ordine sacro. Unde *temerarie* egit dictus clericus, recipiendo eodem die subdiaconatum cum minoribus. — 2. Et ita caput illud interpretantur omnes canonistæ ante concilium Trid., qui, utpote probe conscii disciplinæ canonicæ suo tempore vigentis, maximam auctoritatem

saurus S. C. C., t. IV, p. 162 sq. — Hic, n. 8, Secretarius, nempe Lambertinius, allegat pro hac opinione Vasquez, Castropalao, Fermosini, Diana, Lacroix, etc.

sibi vindicant. Ita Glossa, in cit. cap. *Cum H. lator*, princ. : « Eodem die non debet quis accipere minores ordines cum ordine sacro; » ita etiam Hostiensis, in *Summa;* item J. Andreas, qui hoc, tanquam notum principium, diserte affirmat : « *Receptio plurium ordinum simul, intelligitur prohibita, nisi sit permissa;* » quæ verba exscribunt Ancharanus et Zabarella; pariter abbas Panormitanus, dicens : « Quia *regulariter susceptio plurium ordinum eodem die fieri non potest.* » Ab hac lege non excipiunt nisi minores ordines, *ubi sit consuetudo eos simul recipiendi*, et concludunt omnino illicitum esse recipiendi eodem die subdiaconatum cum minoribus, et ita exponi debere cit. cap. *Cum H. lator*[1]. — 3. Valde confirmatur hæc sententia duplici decisione S. Congr. Concilii; primo enim, in *Boven.*, 29 jan. 1707, cum quidam recepissent eodem die duos ordines minores cum subdiaconatu, S. Congregatio, supponens suspensionem incursam fuisse ab ordinatis, respondit « dandam esse *absolutionem, prævia salutari pœnitentia*, arbitrio episcopi vicinioris », ipsum autem episcopum qui ordinaverat, graviter reprehendit, asserens plus eum deliquisse quam ordinatos[2]; in causa autem *Calaritana*, 21 feb. 1728, cum archiepiscopus, ad avertenda gravia mala, petiisset a S. Congregatione licentiam conferendi eodem die clericis ordines minores cum subdiaconatu, negativum responsum recepit[3]. — 4. A tempore concilii

[1] Glossa, in cit. cap.; *Corpus J. C.*, cum glossis, Lugduni, 1671, t. II, col. 1759; — Hostiensis, *Summa*, in tit. *De temp. ordin.*, n. 33, et in tit. *De eo qui furtive ordinem suscepit*, n. 1, Venetiis, 1570, fol. 51 et 437; — J. Andreas, *In V Decret.*, in eumd. tit., Venetiis, 1612, fol. 90, verso; — Ancharanus, *Super V Decret.*, in eumd. tit., Bononiæ, 1581, p. 134; — Zabarella, *Super IV et V Decret.*, in eumd. tit., Venetiis, 1602, fol. 98, verso; — Abbas Panormitanus, in eumd. tit., Venetiis, 1605, t. VII, fol. 178, verso.

[2] Hanc causam refert Benedictus XIV, in cit. *Annotationibus*, n. 11, p. 165.

[3] *Thesaurus S. C. C.*, t. IV, p. 156-157.

Trid., si paucissimos jam citatos excipias, longe major pars canonistarum hanc sententiam amplectitur; sic, v. g., Gonzalez, Hallier, Fagnan, Pirhing, Reiffenstuel, Pax Jordanus, Riganti, Benedictus XIV, S. Alphonsus, etc.[1]. — Unde hæc sententia simul multo communior est et probabilior, eique adhærendum puto.

2° Si spectetur *consuetudo*, id est, si quæratur num, *stante consuetudine*, liceat recipere eodem die minores ordines cum subdiaconatu, iterum controvertitur.

Prior opinio. — Quidam dicunt hanc consuetudinem non valere, utpote contrariam conc. Trid., quod, cap. *Minores*, 11, sess. XXIII, De ref., jubet ut clerici « non nisi *post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur*, nisi necessitas, aut ecclesiæ utilitas, judicio episcopi, aliud exposcat ». — Ita Pax Jordanus, *loc. cit.*, n. 431, et quidam alii, quos refert Benedictus XIV[2].

Altera opinio. — Verum multo plures doctores contrarium sentiunt, consuetudinem nempe præfatam valere. — Ista enim consuetudo non est contra conc. Tridentinum. Duæ nempe sunt hac de re leges, una, præscribens unum annum interstitii, quam conc. Trid. totam remisit arbitrio episcopi; altera, quæ vetat ordines minores cum subdiaconatu eodem die recipi, in qua nequit episcopus dispensare; huic posteriori legi, non priori, contraria est prædicta consuetudo; porro hæc posterior lex multo antiquior est

[1] Gonzalez, in cap. *Dilectus* (15, *De temp. ordin.*), n. 11, Lugduni, 1693, t. I, p. 436; — Hallier, part. II, sect. VII, c. I, art. 6, n. 3; ed. Migne, col. 1345; — Fagnan, in cap. *De eo* (3, *De temp. ord.*), n. 13, Vesuntione, 1740, t. I, p. 328; — Pirhing, in tit. *De temp. ord.*, n. 82; ed. 1722, t. I, p. 362; — Reiff., in eumd. tit., n. 166; ed. Maceratæ, 1746, t. I, p. 271; — Pax Jordanus, lib. III, tit. VI, n. 430, Lugduni, 1729, t. I, p. 226; — Riganti, *In reg. 24 canc.*, § 1, n. 84, t. II, p. 322; — Benedictus XIV, tum in dictis *Annotationibus*, tum *Instr.*, CVI, n. 7; — S. Alph., lib. VI, n. 797.

[2] In cit. *Annotationibus*, n. 13.

concilio Trid., et retroascendit ad primitivam disciplinam, juxta quam, ut supra audivimus ex antiquioribus canonistis, « regulariter susceptio plurium ordinum (sive minorum, sive majorum) eodem die fieri non potest. » Sicut ergo contra hanc antiquiorem legem sic prævaluit consuetudo, ut quatuor ordines minores una die, cum licentia episcopi, recipi ubique hodie possint, ita et prævalere potest, ita ut eodem die recipi possint ordo minor et subdiaconatus. Et ita fere omnes supra relati doctores, etiam aliunde sat rigidi, v. g., Fagnan, Riganti, etc.[1].

N. B. — Ante bullam *Apostolicæ Sedis*, disputabant doctores de pœnis quas, si quis recepisset una die minores ordines cum subdiaconatu, incurrissent ordinans et ordinatus[2]. Quidquid est, hæ pœnæ cessarunt, cum nullo modo memorentur in dicta bulla.

[1] Fagnan, in cit. cap. *De eo*, n. 41; — Riganti, *loc. cit.*, n. 87-88. — Anceps remanere videtur Benedictus XIV in cit. *Annotationibus*, n. 13 sq.
[2] De quo cf. Benedictum XIV, *ibid.*, n. 7 sq.; — Riganti, *loc. cit.*, n. 89 sq.

CAPUT VIII

DE PRÆREQUISITIS AD ORDINATIONEM

§ 1. De scrutinio seu inquisitione circa ordinandos [1].

N. B. — Duplex est hujusmodi inquisitio, una nempe communis omnibus ordinibus, etiam primæ tonsuræ, altera specialis ordinibus sacris; memoratur etiam scrutinium mere cæremoniale, quod fit intra ipsos ritus ordinationis.

I. De scrutinio communi omnibus ordinibus

115. — Decretum concilii Tridentini. — Hoc concilium, cap. *Sancta synodus,* 7, sess. XXIII, De ref., hæc statuit : « Sancta synodus, antiquorum canonum vestigiis inhærendo, decernit, ut, quando episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peri-

[1] Cf. Hallier, part. I, sect. II; ed. Migne, col. 279 sq.

tis divinæ legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, *ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet.* » — Hæc autem verba concilium Tridentinum mutuatum est a concilio Nannetensi[1], can. 11, qui canon gravissimi momenti insertus est in omnibus fere collectionibus canonum[2], et demum in Decreto Gratiani, can. *Quando*, 5, dist. XXIV. Cum autem sæculo XVI canonis hujus observantia negligeretur[3], hunc, quoad præcipuam partem, iisdem fere terminis renovavit relato capite concilium Trid. — Ex hoc autem decreto plura eruuntur :

1° *De necessitate examinis seu inquisitionis.* — Omnino necessaria est hæc inquisitio, ut patet ipsis verbis concilii, et ipso jure naturali; cum enim gravissima et innumera mala ex indignorum ordinatione, experientia teste, oriantur, idonea media adhibenda sunt ut ab altari indigni repellantur; porro medium aptissimum et fere unicum est præfata inquisitio. — Et quidem necessaria est pro *omnibus ordinibus*, tum quia concilium non distinguit inter ordines et ordines, et agit de *ordinandis* in genere; tum quia si quis episcopus velit habere bonos subdiaconos et presbyteros, necesse est ut habeat bonos acolythos et lectores. Nec dicas sufficere serium examen ante subdiaconatum, a

[1] Controvertitur utrum sit concilium Nannetense, an. 658 (Hefele, *Hist. des conciles*, § 290, ed. Delarc, t. III, p. 645), an aliud in fine sæculi IX sub Formoso papa. Quidquid id est, certissimum est illud concilium antiquius esse sæculo nono medio, cum plures ejus canones, nempe 12 et 18, jam inveniantur in capitularibus Benedicti Levitæ, *Capit.*, lib. VII, c. CCCLXXX, CCCLXXXII *bis*, ed. Baluze, t. I, col. 1106, 1107. Vide canones hujus concilii apud Mansi, *Conc.*, t. XVIII, col. 165-172; cf. t. XI, col. 59.

[2] Regino, *De eccl. discipl.*, lib. I, c. CDXLI; Migne, *P. L.*, t. CXXXII, col. 278; — Burchardus, *Decr.*, lib. II, c. I; Migne, *P. L.*, t. CXL, col. 625; — Ivo, *Decr.*, lib. VI, c. XXI; *Panorm.*, lib. III, c. XXI; Migne, *P. L.*, t. CLXI, col. 450, 1134.

[3] Cf. Giraldi, part. II, sect. XCIV, p. 942; — Benedictus XIV, *De synodo*, lib. V, c. III, n. 3.

quo arcebuntur indigni acolythi; nam : 1. Non tam facile est arcere acolythos quam laicos; turpius enim quis ejicitur a clero quam non admittitur; — 2. Ex sua cooptatione in clerum per primam tonsuram et ordines minores, acolythis quoddam jus, licet non strictum, attamen non contemnendum, quæsitum est, adipiscendi majores ordines[1].

2° *De examinatoribus.* — Ut patet relatis concilii Trid. verbis, primus examinator est episcopus; ipsi enim totum ordinationis negotium commissum est; ipsi totius gregis, et præcipue clericorum, cura concredita; ipsi dictum est : *Manus cito nemini imposueris*[2]; episcopus ergo jure proprio et nativo ordinandos examinat. — Cum autem nequeat episcopus, tot obrutus negotiis et curis, omnia per seipsum peragere, solet, juxta relata verba concilii, adciscere sibi, ad examinandos clericos, alios viros idoneos, nempe, ut ait concilium, *sacerdotes, aut alios prudentes viros, peritos divinæ legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatos;* unde non requiritur ut examinatores sint presbyteri, imo nec clerici; a fortiori, non requiritur ut sint ipsi *examinatores synodales.* — In locis, ubi sunt instituta seminaria, munus illud examinatorum episcopi committere solent ipsi superiori et aliis seminarii moderatoribus, ut infra dicetur.

3° *De materia examinis.* — Hanc breviter perstrinxit concilium Trid. his verbis supra relatis : « Ordinandorum *genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem* diligenter investiget et examinet. » De singulis pauca dicenda :

a. *Genus;* hic agitur de ipsa ordinandi *nativitate* et *parentibus;* tria vero præcipue investiganda sunt : 1. Num ordinandus sit *baptizatus;* — 2. Num sit *filius legitimus;* — 3. Num ortus sit ex *parentibus catholicis;* hæresis enim

[1] Hallier, part. I, sect. II, c. I, n. 6-17, col. 281 sq.
[2] I Tim., v, 22.

parentum est pro filio impedimentum ad ordines, ut suo loco dicetur. — Porro : 1. Ad primum demonstrandum, examinatores omnino requirere debent *scriptam authenticam attestationem baptismi, ex libris parochialibus desumptam;* nec admittere possunt alias probationes, nisi in casu quo sit impossibile habere illam attestationem, v. g., quia in bello aut incursu hostium libri parochiales periere; — 2. Ad secundum demonstrandum, requiritur *scripta authentica attestatio matrimonii parentum* (veri, inquam, matrimonii, nempe religiosi), item *ex libris parochialibus desumpta;* attestatio enim baptismi, licet in ea baptizatus dicatur filius legitimus, *per se* non sufficit ad demonstrandos legitimos filii natales; attestatio enim parochi non est plena et juridica nisi circa ea facta quæ per se agit aut novit; fieri autem potest, præsertim in magnis urbibus, ut qualitatem illam *filii legitimi* parochus non sciat nisi ex auditu; unde receptum est in jure canonico ut attestatio baptismi (nisi alia adminicula concurrant) non demonstret legitimitatem filii[1]; — 3. De tertio, nempe num ordinandus natus sit *ex parentibus catholicis*, solliciti non sunt examinatores nisi in regionibus in quibus hæretici passim vivunt mixti catholicis, aut nisi adsit ea de re dubium positivum; ut autem demonstretur parentes esse catholicos, prosunt maxime tum duæ dictæ attestationes baptismi et matrimonii, tum testimonia parochorum, etc.

b. Personam; hic agitur de ipsa ordinandi persona, num scilicet immunis sit ab omni irregularitate aut alio impedimento ad ordines; quæ tamen non præsumuntur, et

[1] Sic asserit de Luca, *De fideicommissis,* disc. CXCIII, n. 1, Romæ, 1670, *Operum,* t. x, p. 718; — ita etiam pluries decidit aut supposuit Rota, v. g., *Recentiorum,* part. XIII, dec. CCCLXXXVIII, n. 13-14, Romæ, 1672, p. 682; part. XIV, dec. DXXXV, n. 45, Romæ, 1673, p. 791; part. XVIII, dec. DCCLXXIX, n. 1, Romæ, 1681, t. II, p. 624.

ideo de hoc non sunt solliciti examinatores, nisi quod dubium exsurgat, aut quis denuntiet. — Hic quærunt etiam examinatores, si agatur de prima tonsura, num ordinandus receperit *sacramentum confirmationis*, ad normam conc. Trid., cap. *Prima tonsura*, 4, sess. XXIII, De ref.; et, si agatur de subdiaconatu, num ordinandus habeat titulum beneficii, patrimonii, etc., et num hic titulus sit canonicus. — Quoad sacramentum confirmationis, si habeatur liber parochialis *confirmatorum*, parochus præfatæ attestationi de baptismo jungit attestationem de confirmatione; si non habeatur liber parochialis *confirmatorum*, sufficit juramentum ordinandi, asserentis se illud sacramentum recepisse, ut declaravit S. Congr. Conc., in *Interamnen.*, 6 maii 1617[1]; in Gallia, sufficiens haberi solet affirmatio ordinandi, recordantis et asserentis se illud sacramentum recepisse.

c. Ætatem; in jure canonico, authentica attestatio de *baptismo* juridicam probationem præbet de ætate[2], modo tamen, ut patet, illa attestatio clare memoret diem nativitatis : quod revera fieri solet. — Si quod dubium remaneat, examinatores proferri curabunt, ex regestis civilibus, authenticam attestationem de nativitate.

d. Institutionem, mores; hic agitur de illa probitate et gravitate morum, quam supra (n. **90**) requisitam pro variis ordinibus diximus, et ad quam conferendam multum prodesse solet *institutio* seu *educatio*[3]. Quoniam ergo examinatores certi esse debent unumquemque ordinandum requisita morum probitate præditum esse, recurrunt, ut adipiscantur hanc certitudinem, ad media quæ

[1] Quam refert Giraldi, part. II, sect. xci, p. 938.

[2] Cf. loca supra relata ex Rota et card. de Luca.

[3] Quidam dicunt per vocabulum *institutionem*, quod adhibent conc. Nannetense et conc. Tridentinum, significari ipsum *titulum patrimonii, beneficii*, etc., ad quem clericus ordinari cupit; sed minimi refert.

illis in hunc finem præsto sunt, v. g., attestationes parochorum, magistrorum, etc., et præsertim ad propriam experientiam, si ipsi cognoscant ordinandos. — Prosunt etiam valde *litteræ testimoniales*, de quibus infra, n. **121** sq.

e. Doctrinam; hic agitur de illa scientia quæ requiritur pro singulis ordinibus, juxta ea quæ supra (n. **89**) diximus. De examine scientiæ ordinandorum sermo statim redibit.

f. Fidem; cum sacerdos sit prædicator fidei, patet in illo, qui ad sacerdotium vocatur, fidem debere esse integram et firmam : de quo proinde debent esse solliciti examinatores; porro de *fide* ordinandorum documenta habebunt sive ex illis attestationibus quas de *educatione* et *moribus* requirent, sive præsertim ex speciali *examine scientiæ* ordinandorum.

4° *De tempore et loco examinis.* — Quoad *tempus*, omnino remissum est arbitrio episcopi; concilium quidem Nannetense, juxta antiquum usum Ecclesiæ Romanæ[1], præscripserat *feriam quartam ante ordinationem*, et ideo hoc etiam exscripsit conc. Tridentinum; sed statim addit : « Vel quando episcopo videbitur; » imo, ex hoc modo loquendi, patet episcopum posse assignare diversa tempora pro variis partibus examinis. — Quoad *locum* examinis, pariter remissum est judicio episcopi.

116. — Examen de scientia ordinandorum. — 1. Hoc examen non est nisi pars totius illius examinationis seu inquisitionis, quam relato capite præscripsit concilium Trid. pro singulis ordinandis; cum enim concilium Trid. maximam libertatem relinquat episcopis circa modum

[1] *Ordo Romanus IX*, n. 1, 2, 8; Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 1004, 1008; — cf. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, c. X, § 3, Paris, 1903, p. 353.

examinis et designationem examinatorum, hinc plurimi episcopi committunt varias partes examinis diversis examinatoribus; sic plures committunt cancellario episcopali curam requirendi varias attestationes de baptismo, matrimonio parentum, etc., et inquirendi in natales, baptismum, et ætatem ordinandorum, exemplo S. Caroli qui hanc etiam provinciam demandari jubet alicui clerico determinato[1]; sic ergo pariter multi episcopi examen de *scientia* ordinandorum committunt examinatoribus a se ad id specialiter designatis; imo, propter rei gravitatem, hæc de doctrina ordinandorum inquisitio vocatur aliquando per antonomasim *examen ordinandorum;* — 2. Hoc igitur examen fieri debet ante singulos ordines, et *saltem* circa hanc partem scientiæ litterariæ et theologicæ, quam requirit concilium Tridentinum pro singulis ordinibus, juxta ea quæ supra (n. **89**) dicta sunt; — 3. Verum cum in multis regionibus, v. g., apud nos, soleant presbyteri, fere statim post ordinationem suam, deputari ad munus prædicationis et ad audiendas fidelium confessiones, sequitur eos debere competentem scientiam habere sive de theologia dogmatica, sive de theologia morali, sive de ea parte juris canonici et liturgiæ, quæ eos respicere potest; unde etiam valde expedit ut episcopus curet eos his de rebus examinari. Pariter, cum apud nos subdiaconi et diaconi non diu in suis ordinibus remaneant, sed mox ordinandi sint in presbyteros, id est, in prædicatores et confessarios, jubere potest episcopus ut subdiaconi et diaconi examinentur, non tantum de iis quæ respiciunt exercitium ordinis sui, ut vult conc. Trid., sed etiam super parte determinata theologiæ dogmaticæ et

[1] Cf. conc. provinciale Mediolanense IV, part. II, tit. *Quæ pertinent ad sacramentum Ordinis,* § Hac adhibita ratione, *Acta Eccl. Mediolanensis,* Lugduni, 1683, t. I, p. 116.

moralis[1]. Episcopi erit assignare materiam examinis pro singulis ordinibus.

117. — Ratio instituendi examen ordinandorum in seminariis. — Institutio seminariorum præbuit episcopis medium simplicissimum simul et efficacissimum, exsequendi supradictum decretum Tridentinum de examine ordinandorum. Sic enim fieri solet apud nos examen ordinandorum in seminariis : superior seminarii, vel, hujus nomine, magister cæremoniarum, requirit, pro singulis ordinandis, prædictas *attestationes de baptismo ordinandi* et *de matrimonio parentum*, simul et *litteras testimoniales Ordinariorum* (de quibus infra, n. **121** sq., dicitur), et *bannorum publicationes* pro majoribus ordinibus requisitas; — cœtus moderatorum seminarii (*conseil des directeurs du séminaire*) examinat singulos ordinandos *de moribus et de fide*, præ oculis habens sive dicta documenta, sive varia testimonia a parochis aut aliis missa, sive etiam et præcipue propriam experientiam, cum ipsi commorari soleant in seminariis, vitam communem cum alumnis agentes; — ipsi autem magistri seu professores ordinandos examinant de *scientia*, sive instituant speciale examen ante singulos ordines, sive examina periodica, quæ bis aut ter in anno fieri solent, locum teneant examinum ad ordines; — demum, in casibus dubiis aut gravioribus, superior rem defert episcopo. — Porro nulli dubium esse potest, quin episcopi examen ordinandorum ita ordinare potuerint in seminariis, quia, ex una parte, hoc modo plene, imo quam plenissime, satisfit decreto Tridentino,

[1] Sic etiam S. Congregatio Ep. et Reg., decreto *Auctis admodum*, die 4 nov. 1892, n. 6, jubet ut alumni Ordinum Regularium vel Congregationum cum votis simplicibus, non admittantur ad subdiaconatum, diaconatum, presbyteratum, nisi post, respective, unum, duos, tres annos in studio sacræ theologiæ impensos (infra, n. **164**).

et, ex altera parte, ut dictum est, episcopi liberrimi sunt quoad *modum* et *tempus examinis*, et quoad *designationem examinatorum*, modo hi habeant dotes requisitas a concilio Trid., nempe modo sint *periti divinæ legis* ac *in ecclesiasticis sanctionibus exercitati*, quales solent esse moderatores et professores seminariorum; unde hi sunt quasi *examinatores nati* pro scrutinio ordinandorum : quod longissimus apud nos usus confirmavit. — Ceterum, ut patet, jus integrum episcopo remanet designandi alios examinatores, sive pro examine scientiæ, sive pro aliis inquisitionis partibus, vel etiam sibi reservandi examen.

II. De scrutinio speciali pro ordinibus sacris

118. — Decretum concilii Tridentini. — Hoc concilium, cap. *Ad minores*, 5, sess. XXIII, De ref., sic statuit : « Hi vero qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut *nominibus ac desiderio eorum qui volent promoveri*, *publice in ecclesia propositis*, *de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, et vita a fide dignis diligenter inquirat*, et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quamprimum transmittat. » — Licet hoc decretum, quoad specialem formam præscriptam, sit novum, attamen est omnino conforme antiquæ disciplinæ, juxta quam ordinandus bonum testimonium et approbationem habere debebat, præsertim a populo et parocho[1]. Hæ *publicationes futuræ ordinationis* similes omnino sunt his *denunciatio-*

[1] Cf. Hallier, part. I, sect. 1, c. II, col. 184 sq.

nibus futuri matrimonii quas ante matrimonium ter in ecclesia fieri jussit idem concilium Trid., cap. *Tametsi*. 1, sess. XXIV, De ref. matr.; utræque vocantur aliquando *publicationes bannorum*. — De nostro decreto hæc dicenda :

1° Publicatio futuræ ordinationis fieri debet in *ecclesia parochiali*. — Hic enim genuinus sensus est conc. Trid., juxta quod episcopus committere debet *parocho, ut publice in ecclesia proponat* futuram ordinationem; episcopus quidem etiam alii hoc munus committere potest, ex eodem textu conc. Trid., sed hæc mutatio *personæ* publicantis non inducit mutationem *loci*, eo magis quod jubeat concilium inquiri de ordinandi *natalibus, ætate, moribus et vita :* quæ significant concilium potissimum intendisse ecclesiam *parochialem*. Et sic usus decretum Tridentinum interpretatus est.

2° Duplex aliquando est parochia ordinandi, nempe parochia *originis* et parochia *domicilii :* parochia *originis*, in qua natus est, et parochia *domicilii*, in qua ipse aut ejus parentes, relicta parochia originis, domicilium constituerunt. — Porro ordinatio publicanda est in parochia *domicilii*, quia, jure canonico, hæc est vera parochia ordinandi. Quoad parochiam *originis*, distinguendum est : vel ordinandus reliquit eam ante *septennium*, aut etiam ante *pubertatem*, et tunc non est publicanda ordinatio in hac parochia, quia vix in ea notus est ordinandus, nec hac ætate incurri solent pœnæ canonicæ (cf. infra, n. **123**), et, quoad genus, nativitatem et baptismum ordinandi, abunde sufficient parochiales attestationes, semper requisitæ, de baptismo ordinandi et de matrimonio parentum; si vero ordinandus parochiam originis non nisi post pubertatem reliquit, etiam in hac parochia ordinatio probabilius publicanda est. — Ceterum, cum hæc non fuerint satis

determinata in dicto decreto Tridentino, episcopi est ea magis determinare statutis diœcesanis.

3° Romæ, pro clericis exteris ibi commorantibus (de quibus supra dictum est, n. **44**), ordinatio publicanda est tum in basilica Lateranensi, tum in ecclesia parochiali hujus parochiæ, in qua de facto Romæ commorantur; quod constat Alexandri VII brevi *Apostolica sollicitudo*, 7 aug. 1662, § 1[1]. — Et hoc verum est, sive habitent in domibus privatis, sive in collegiis aut seminariis; quædam tamen collegia indultum impetrarunt, vi cujus sufficiat publicatio ordinationis in propria ecclesia collegii, v. g., collegia Germanicum, Anglicum, etc.[2]. — Unde, pro clericis exteris Romæ commorantibus, requiri non videtur publicatio in propria diœcesi, pro qua ordinantur.

4° In præfato decreto, concilium Trid., præter *ipsam publicationem* futuræ ordinationis, memorat etiam specialem inquisitionem : « De ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, etc., *a fide dignis diligenter inquirat* (parochus) : » ante institutionem seminariorum, hæc inquisitio magni erat momenti[3], quia ordinandi vix noti erant extra proprias parochias; nunc autem, institutis seminariis, in quibus ordinandi degunt per quatuor aut quinque annos, optime noti sunt clerici, et sufficit examinatio quæ fit in ipsis seminariis, de qua dictum est, n. **117**; unde in multis locis non amplius fit inquisitio specialis in parochia, sed tantum futuræ ordinationis publicatio, qua facta, expectat aliquantisper parochus, si quod reveletur impedimentum; ita fit in Gallia.

5° Item in præfato decreto, jus episcopi asseritur committendi parocho, « aut alteri, cui magis expedire vide-

[1] *Bull. Rom.*, t. VI, part. 5, p. 245 (vel apud Honorante, p. VI).
[2] De quo cf. Honorante, c. XVII, p. 171, 172, etc.
[3] Vide eam descriptam apud Hallier, *loc. cit.*, art. 3, n. 5-23, col. 210 sq.

bitur, » munus publicationis et inquisitionis. — Revera, quando, ut mox dictum est, agebatur de speciali inquisitione in parochia facienda, contingere poterat ut parochus esset suspectus aut incapax, et tunc jure suo utebatur episcopus, et inquisitionem committebat vicario foraneo, vel archidiacono, etc.[1]. Nunc autem, cum agatur de mera publicatione, non amplius locus est designationi alterius præter parochum; hic ergo, aut, ejus nomine, vicarius, futuram ordinationem publicat.

6° Quoad *publicationem futuræ ordinationis*, debet fieri in ecclesia parochiali diebus *dominicis* aut *festivis*, *intra officia publica;* hoc enim sufficienter continetur in decreto Tridentino : « Nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, *publice* in ecclesia *propositis;* » quibus verbis non satisfieret, si diebus ferialibus, quibus in ecclesiam non convenit populus, propositio fieret. — Item, fieri debet publicatio ante *singulos ordines majores,* ut expresse jubet concilium. — Sufficit tamen ut *semel* fiat ante singulos, licet alicubi, de jure *particulari*, ante hanc vel illam ordinationem majorem, duæ vel etiam tres fiant publicationes.

7° Juxta modum, quo fieri solent hæ publicationes, parochus non tantum hortatur fideles ut revelent impedimenta, sed etiam, in nomine episcopi, expresse eis *præcipit,* ut, si qua noverint impedimenta propositæ ordinationi, ea revelent. Unde, etiamsi stricte, *jure naturali*, non tenerentur tale aut tale impedimentum revelare, tenentur tamen, *vi præcepti episcopalis.* Obligatio autem est gravis, si agatur de impedimento, unde sequi possit grave malum aut damnum pro communitate, vel pro religione, fide, honore cleri, v. g., si clericus re ipsa non fuerit rite baptizatus, si sit malis moribus, ebriosus, fur, male sentiens

[1] Cf. Hallier, *ibid.,* n. 22-23, col. 221-222.

quoad dogmata fidei, vel aliquod speciale dogma, etc. Non vero gravis est obligatio revelandi, si agatur de re parvi momenti, v. g., si clericus non fuerit confirmatus. — Fideles autem revelant impedimentum vel ipsi parocho, vel episcopo aut vicario generali.

8° Publicatione facta, et elapso aliquo tempore ad expectandum si quod forte reveletur impedimentum, parochus transmittit episcopo attestationem de peracto negotio, juxta decretum Trid. : « Et (parochus) litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quam primum transmittat. » — Cum concilium non determinaverit tempus, per quod parochus expectare debeat revelationes, expedit ut illud determinet episcopus (v. g., duos aut tres dies), et de hoc moneantur fideles in ipsa publicatione.

9° Vis juridica publicationis cessat ex se ipsa per lapsum temporis; fieri enim potest ut decurrente tempore ordinandus mutet mores, aut impedimentum contrahat, aut pœnam canonicam incurrat. Cum ergo tempus illud jus commune non determinaverit, expedit ut illud episcopus determinet. Hic Parisiis publicatio futuræ ordinationis valet per *sex menses;* si ergo infra illud tempus clericus non receperit ordinationem, de novo publicanda est ordinatio. — Tempus autem illud *sex mensium* sapienter institutum est; cum enim, ubi agatur de litteris testimonialibus, commoratio *semestris* in loco reputetur sufficiens ut ibi contrahi possit impedimentum, et requirantur litteræ testimoniales, opportune hæc determinatio applicata fuit publicationi futuræ ordinationis. Romæ, publicatio ordinationis non valet nisi per quadraginta dies[1].

[1] Gasparri, *De ordinatione*, n. 703, t. II, p. 26

119. — De consuetudine et episcopi potestate in hac re.

1° In aliquibus regionibus, ex consuetudine, non fiunt prædictæ publicationes. Sic in Germania, ut testantur sive veteres, v. g., Schmalzgrueber, Reiffenstuel, Engel, Leurenius[1], sive recentes, v. g., Phillips[2]; sic etiam in pluribus diœcesibus Helvetiæ et Scotiæ, et in Fœderatis Statibus Americæ septentrionalis. — De legitimitate hujus consuetudinis non dubitant præfati doctores, sive quia gravibus de causis inducta est (v. g., ne quis, in his regionibus hæreticis, injuste aut scandalose obstaret ordinationibus), sive quia quod deficit ex parte hujus scrutinii, diligentius suppletur ex altero scrutinio, de quo supra dictum est (n. **115**). — Alibi, quod minus derogat textui Tridentino, publicationes non fiunt ante *tres majores ordines*, sed tantum ante unum, vel duos. Ita in aliquibus Galliæ diœcesibus.

2° Quærunt aliqui num possit episcopus *dispensare cum aliquo ordinando in publicatione requisita*. — Certum est episcopum non posse jure proprio dispensare in hac lege; agitur enim de lege universali Ecclesiæ, nec concilium ei ullam hac in re concessit potestatem[3]; unde, si quis ordinandus putet justam se habere causam dispensationis, petat a S. Sede, sicut petunt pro dispensatione in ætate aut in temporibus ordinationum. — Non negaverim tamen

[1] Schmalzg., in tit. *De scrutinio in ordine faciendo*, n. 1; — Reiff., in eumd. tit., n. 3; — Leurenius, in eumd. tit., q. DCI, n. 2; — Engel, in eumd. tit., n. 1.

[2] *Kirchenrecht*, § 44, trad. Crouzet, Paris, 1850, t. I, p. 302. — Notandum tamen in aliquibus Germaniæ diœcesibus adhuc vigere vel de novo fuisse imperatas has publicationes, v. g., in diœcesibus Moguntina, Paderbornensi, Monacensi (Hinschius, *Kirchenrecht*, § 13, Berlin, 1869, t. I, p. 108, not. 5).

[3] Econtra concilium dedit episcopis potestatem dispensandi in publicationibus matrimonialibus, cap. *Tametsi*, 1, sess. XXIV, DE REF. MATRIM.

posse contingere casum, in quo publicatio tanta paritura sit incommoda, ut merito quis dubitet num in his adjunctis lex illa obliget : quo in casu episcopum posse dispensare indubium mihi videtur.

III. De scrutinio cæremoniali in ordinatione diaconi et presbyteri

120. — Tertium scrutinium mere cæremoniale. — Præter duo supradicta scrutinia, quæ præscripta sunt a concilio Tridentino, memorant doctores tertium scrutinium, quod fit in ipso actu ordinationis, et habet quasi duas partes :

1° Initio ordinationis sive diaconi sive presbyteri, episcopus postulat ab archidiacono, num hi clerici, quos præsentat ad diaconatum vel presbyteratum, sint digni : « Scis illos dignos esse? » et respondet archidiaconus : « Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor, ipsos dignos esse ad hujus onus officii. » Quod est vestigium antiquæ disciplinæ, juxta quam archidiaconus curam gerebat ordinandorum, eosque præparatos offerebat pontifici[1]. — Porro, juxta omnes[2], hic est hodie merus ritus, et archidiaconus præfatam attestationem emittere potest, *licet nesciat ordinandos revera esse dignos;* ita expresse interpretatur Innocentius III, cap. *Ex parte*, 1, De scrutinio in ordine faciendo. Si tamen *certo noverit hunc vel illum esse indignum,* non potest illam attestationem emittere ; sed tenetur, ante diem ordinationis, rem notam facere episcopo; ita etiam Innocentius, præfato cap. *Ex parte;*

[1] Cf. Hallier, *loc. cit.*, c. II, art. 2, col. 201 sq.
[2] Cf. Benedictum XIV, *De synodo,* lib. V, c. III, n. 4.

quod de se patet, et sequitur ex supradictis de obligatione revelandi impedimenta.

2° Post illam archidiaconi responsionem, episcopus alloquitur fideles circumstantes : « Si quis habet aliquid contra illos, pro Deo, et propter Deum, cum fiducia exeat et dicat; verumtamen memor sit condicionis suæ. » — Hæc est etiam mera cæremonia, juxta omnes[1]. Verumtamen his verbis admonemur omnes, ut si quid noverimus quo ordinandus reddatur indignus ordinatione, illud, ante diem ordinationis, episcopo vel parocho futuram ordinationem publicanti pandamus.

§ 2. De litteris testimonialibus.

121. — Varii casus in quibus requirantur litteræ testimoniales. — Litteræ *testimoniales* sunt litteræ in quibus *ab auctoritate competenti datur testimonium de idoneitate alicujus ordinandi.* Unde valde differunt tum a litteris dimissoriis, tum ab illis aliis litteris de quibus supra (n. **60**) dictum est. — Tria sunt documenta legislativa quæ determinant casus in quibus requirantur litteræ testimoniales :

1° Concilium Trid., cap. *Ordinationes,* 8, sess. XXIII, De ref., jubet, quando quis, vi privilegii aut indulti, ordinari petat ab episcopo non proprio, haberi testimoniales ab Ordinario suo : « Si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei... permittatur, nisi *ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur.* »

2° Innocentii XII bulla *Speculatores*, pridie nonas nov. 1694, requirit testimoniales in quatuor casibus :

[1] Catalanus, *Comm. in Pontificale Romanum,* in tit. *De ordinibus conf.*, § 4, n. 6, Parisiis, 1850, t. I, p. 94.

a. Quando episcopus ordinat *ratione beneficii* (supra, n. **37**), requiruntur testimoniales utriusque episcopi, nempe *originis* et *domicilii*[1]; declarat enim Innocentius non posse tunc ad ordines promoveri clericum, « nisi, ante eorumdem susceptionem, *testimoniales litteras proprii episcopi, tam originis, quam domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit*, easque episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit[2]. »

b. Quando episcopus ordinat *ratione domicilii* (supra, n. **32**), requiruntur testimoniales episcopi *originis*, non tamen semper, sed in casu quem Innocentius determinat his verbis : « Si quis tamen *a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici*, etiam *Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit*, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit[3]. »

c. Quando episcopus ordinat *ratione familiaritatis* (supra, n. **39**), requiruntur testimoniales *alterutrius episcopi*, nempe vel *originis* vel *domicilii;* declarat enim Innocentius tunc familiarem non posse ordinari « absque ejus *propriæ originis* scilicet seu *domicilii prælati testimonialibus litteris*, ut supra »[4].

d. Demum, quacumque ratione (originis, domicilii, etc.) episcopus ordinat, requiruntur testimoniales episcopi *loci fortuitæ nativitatis*, non tamen semper, sed in casu quem ita determinat Innocentius : « Quod si quis *tanto temporis spatio in eo loco in quo ex accidenti*, sicuti præmittitur,

[1] Si nimirum locus domicilii distinctus sit a loco originis.

[2] Bulla *Speculatores*, § 3; *Bull. Rom.*, t. IX, p. 375. — Hanc bullam habes ad calcem hujus voluminis, *Documentum I.*

[3] *Ibid.*, § 5, p. 376.

[4] *Ibid.*, § 6, p. 376.

natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam *ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales*, ut supra, obtinere, illasque episcopo ordinanti, per eum in collatorum ordinum testimonio similiter recensendas, præsentare teneatur[1]. »

3° Pii IX bulla *Apostolicæ Sedis*, quarto idus oct. 1869, *De suspensionibus*, n. 3, statuit : « Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes... subditum proprium, qui *alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus*[2]. »

N. B. — Si quis inter se conferat sex illa relata loca, videbit legem Pianam omnes alias in sua amplitudine complecti, imo multo longius procedere, si tamen excipias casum episcopi ordinantis *ratione beneficii*, qui eget litteris testimonialibus episcopi *originis* in quocumque casu, et proinde etiamsi ordinandus e loco originis discesserit ante septennium. Hoc ergo casu excepto, in praxi fere sufficit attendere ad legem *Pianam*. — Sed hæc lex eget expositione.

122. — Quæritur : 1° *Quodnam sit illud tempus commorationis in aliena diœcesi, quod sufficiat ut quis ibi canonicum impedimentum contrahere potuerit.*

Resp. : A. In genere (nempe extra casum de quo agitur in responsione B), tempus illud est *sex mensium*, ut fert communis, imo hodie communissima opinio doctorum. Non enim agitur de possibilitate *metaphysica* contrahendi impedimentum, pro qua sufficiat una dies ; lex enim non respicit quod fit rarissime et per accidens, sed quod com-

[1] Bulla *Speculatores*, § 4, p. 375.
[2] *Pii IX Acta*, Romæ, 1871, t. v, p. 67.

munius contingit, ut ait Jus Romanum : « Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ et *frequenter* et *facile*, quam quæ perraro, eveniunt [1]. » Agitur ergo de possibilitate *morali* contrahendi impedimentum; porro ad hoc apte statuitur tempus *sex mensium*, ut suadetur usu multarum curiarum episcopalium, quæ non dant dimissorias nisi pro sex mensibus [2], quæ jubent repeti publicationes ordinationum, quando post sex menses a die publicationum clericus non fuit ordinatus [3], quæ, in re matrimoniali, jubent fieri publicationes futuri matrimonii in locis in quibus sponsi per sex menses manserunt, etc.; quorum omnium ratio est, quia intra sex menses potuit contrahi impedimentum seu ad ordines, seu ad matrimonium. — Unde etiam in casu de quo agimus, facile admissum fuit a doctoribus *semestre* esse tempus sufficiens ut quis, commorans in aliqua diœcesi, ibi possit contrahere impedimentum canonicum ad ordines. Et ideo si ordinandus commoratus fuerit per sex menses in aliqua diœcesi, requiri debent litteræ testimoniales ab episcopo hujus diœcesis; et si sic commoratus fuerit in pluribus diœcesibus, ab omnibus harum diœceseon episcopis requiri debent. Et ita, ut dixi, communissima hodie doctorum opinio [4].

B. Si agatur de *clericis militiæ addictis*, tempus brevius, nempe *trium mensium* sufficiens esse declararunt Romanæ Congregationes, ut clericus potuerit contrahere impedi-

[1] L. *Nam ad ea*, 5, ff. *De legibus*, I, III; cf. etiam L. 3, 4, 6, *ibid.*

[2] Ita etiam curia Romana, ut ait Honorante, c. XIV, n. 3, p. 151.

[3] Sic, v. g., in curia Parisiensi, ut dictum est.

[4] Ita, ut quosdam referam, Santi, in tit. *De temporibus ordin.*, Appendix, n. 2-3, Ratisbonæ, 1886, t. I, p. 147; — Piatus, *In const. Apostolicæ Sedis*, de susp., n. 3, Tornaci, 1884, p. 297; — d'Annibale, *In const. Apostolicæ Sedis, ibid.*, Reate, 1880, p. 114; — Pennacchi, *In const. Apostolicæ Sedis*, appendix 44, Romæ, 1883, t. II, p. 381; — Bucceroni, *In const. Apostolicæ Sedis*, de susp., n. 3, Romæ, 1890, p. 67; — Gasparri, *De ordinatione*, n. 730, Parisiis, 1893, t. II, p. 43.

mentum, et proinde requirere teneatur litteras testimoniales. Nam : 1. S. Congregatio super disciplina regulari, die 27 nov. 1892, quoad *alumnos ex familiis religiosis*, qui militiæ in Italia addicti sunt, plures auctoritate R. Pontificis edidit *Præscriptiones*, lingua italica exaratas, inter quas, sub numero 5, legitur : « Omnibus vero (qui ad professionem solemnem et ad ordines sacros vocati sunt) erunt necessariæ litteræ testimoniales Ordinariorum, in quorum diœcesi *saltem per tres menses* commorati sunt[1]; » — 2. Anno 1893, cum archiepiscopus Firmanus, in relatione status ecclesiæ suæ, inter *Postulata*, peteret a S. Congr. Concilii, num pro clericis sæcularibus, qui militiæ addicti huc illuc vagare coguntur, necessariæ essent *litteræ testimoniales*, quas forsan supplere possent informationes secretæ episcoporum[2], S. Congregatio, die 9 sept. 1893, respondit : « Litteras testimoniales esse necessarias, quoties promovendus moratus fuerit in aliqua diœcesi *saltem per trimestre*[3]; » — 3. Cum autem hæc omnia probe nosset episcopus Urgellensis, petiit ab eadem S. Congr. Conc., num in omnibus casibus, et sub pœna statuta in const. *Apostolicæ Sedis*, necessariæ essent litteræ testimoniales; cui respondit S. Congr., die 26 jan. 1895 : « *Pro clericis ordinandis jam militiæ addictis, sub pœna a const. Apostolicæ Sedis comminata, requiri litteras testimoniales Ordinarii, in cujus diœcesi per trimestre commorati fuerint, et, quatenus Ordinarii litteræ plenum testimonium non reddant, episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede, provideat per juramentum suppleto-*

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXV, p. 638.

[2] Revera S. Congr. Inquisitionis, in *Instructione* diei 16 sept. 1875, pro clericis italis militiæ addictis, præscripsit specialem super eos vigilantiam Ordinariorum, horumque secretas informationes ad episcopos clericorum proprios. Vide *Instructionem* apud *Acta S. Sedis*, t. XXIII, p. 40.

[3] *Acta S. Sedis*, t. XXVI, p. 431.

rium[1]. » — Unde indubia est mens S. Congregationis Concilii, quæ ceteroquin maxime rationi conformis est; si enim tempus sex mensium sufficiens ab omnibus reputatur, ut clericus, etiam in optimis adjunctis versatus, contrahere possit impedimentum canonicum ad ordines, procul dubio sufficiens reputare debemus tempus trium mensium, ut clericus, in castris aut in militaribus præsidiis huc illuc vagans, impedimento obnoxius esse possit. — De quo notanda duo : 1. Non agitur, in præfatis responsionibus S. Congr. Concilii, de laicis primum militiæ addictis, et deinde ordinem clericalem ingressis, sed de *clericis militiæ actu addictis;* — 2. Licet, ut dixi, indubia sit mens S. Congr. Conc., nolim tamen ejus duas responsiones ad vim juris communis evehere ; ut enim responsiones hujus S. Congr. sint *interpretationes authenticæ* legis, requiritur, ex Sixti V bulla *Immensa,* ut edantur *R. Pontifice consulto,* seu *relatione facta ad R. Pontificem;* porro in duobus præfatis responsionibus, ne unum quidem verbum aut minimum vestigium reperire est hujus relationis aut consultationis Pontificiæ.

123. — Quæritur : 2° *In qua ætate constitui debeat ordinandus, ut censeatur posse contrahere canonicum impedimentum.*

Resp. : 1. Ut, juxta præceptum legis Pianæ, requiri debeant litteræ testimoniales Ordinarii, in cujus diœcesi ordinandus commoratus est, non sufficit ut ibi commoratus fuerit per sex menses, sed requiritur ut ibi commoratus fuerit *in ea ætate, in qua revera potuerit contrahere impedimentum;* quod per se patet ; unde et Innocentius, jubens requiri testimoniales episcopi diœcesis in qua quis

[1] *Acta S. Sedis,* t. XXVIII, p. 49.

ex accidenti natus est, non requirit eas, nisi quando ordinandus in loco fortuitæ nativitatis « tanto temporis spatio moram traxerit ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri[1] ». — Porro quænam sit illa ætas, controvertitur; alii nempe dicunt sufficere *septennium completum*[2]; alii autem requirunt *pubertatem*, nempe *annum decimum quartum expletum.*

2. Quidquid dicendum est de aliis regionibus, in Gallia, saltem in multis locis, invaluit posterior opinio tanquam probabilior; unde, in pluribus diœcesibus, v. g., hic Parisiis, viget consuetudo non requirendi testimoniales, nisi quando ordinandus per semestre degit in aliena diœcesi, vel in loco originis remansit, *post pubertatem*, ita ut *tempus sex mensium decurrere non incipiat nisi post annum decimum quartum completum.* — Cujus opinionis et consuetudinis duo potissimum sunt argumenta : 1. Juxta Innocentium et Pium, talis debet esse ordinandi ætas, ut *possit contrahere impedimentum canonicum*, et agitur, ut jam supra diximus, non de possibilitate *metaphysica*, sed de possibilitate *morali*, quam solam leges respiciunt. Porro, apud nos, puer infra quatuordecim annos constitutus, licet *metaphysice* possit forsan contrahere impedimentum canonicum ad ordinem, *moraliter* nequit; nam : *a.* Non potest incurrere censuras *latæ sententiæ*, a quibus, vi consuetudinis, excusantur *impuberes*[3]; — *b.* Si dicas ab hac consuetudine excipi censuras tum contra *violatores clausuræ monialium*, tum contra *percussores clericorum*, quibus proinde etiam impuberes sint obnoxii, reponam apud

[1] *Supra*, n. **121**, 2°.

[2] V. g., plerique auctores relati supra (n. **122**), ubi de commoratione sex mensium.

[3] S. Alph., lib. VII, n. 14; — d'Annibale, *In const. Apostolicæ Sedis*, n. 11, not. 47, ed. 3, Reate, 1880, p. 10, et in *Summula*, ed. 3, t. I, n. 312, not. 66, p. 300.

nos locum non esse priori censuræ, cum moniales non emittant vota solemnia; quoad alteram censuram, vix etiam illi locum esse posse, cum apud nos prima tonsura non soleat conferri nisi jam grandioribus, nempe juvenibus annorum 18 aut 20; difficile autem supponas infantem octo annorum violentas manus injicere in juvenem viginti annorum; — *c.* Quoad *irregularitates ex delicto*, vix est etiam ut impubes illas possit contrahere, tum quia non incurruntur nisi propter graviora delicta, tum quia ab illis semper excusabit ignorantia pœnæ, nempe ipsius irregularitatis; — *d.* Quoad *irregularitates ex defectu*, ratio earum, juxta omnes, non habetur in præsenti quæsito, cum possint contrahi etiam ab infantibus, imo in ipsa nativitate, et de eis soleat constare aliis mediis, v. g., per attestationes de matrimonio parentum, baptismo, etc. — 2. Secundum argumentum desumitur ex Pii IX decreto *Romani Pontifices*, 25 jan. 1848[1], circa admittendos in ordines regulares aut congregationes votorum simplicium; jussit enim Pius IX, antequam quis admittatur ad habitum, requiri litteras testimoniales omnium Ordinariorum, in quorum diœcesibus novitius commoratus fuerit « post *expletum decimum quintum annum* ætatis suæ », et hoc sive agatur de ordinibus aut congregationibus laicorum, sive de ordinibus aut congregationibus *sacerdotum;* signum ergo manifestum est legislatorem non multum sollicitum fuisse de illa possibilitate metaphysica contrahendi impedimenta canonica ante pubertatem. Quod quidem argumentum non peremptorium est, ut patet, sed est magni momenti, cum leges interpretari per alias leges sit optimus interpretationis modus.

3. Unus casus excipitur, juxta bullam *Speculatores;*

[1] Bizzarri, *Collectanea S. Congr. Episc. et Reg.*, Romæ, 1885, p. 831.

quando enim episcopus ordinat *ratione beneficii* (quod rarissimum est apud nos), episcopus requirere tenetur litteras testimoniales tum episcopi domicilii, tum etiam *episcopi originis*[1], et hoc sine distinctione, sive nempe ordinandus remanserit in loco originis post septennium et pubertatem, sive etiam reliquerit hunc locum ante pubertatem aut etiam septennium; tunc autem episcopus dabit testimonium de *natalibus* et *ætate*, ut requirit Innocentius. — Ut episcopus det testimoniales de natalibus et ætate, sufficere puto, ut requirat a parocho attestationes de baptismo ordinandi et de matrimonio parentum, et illas attestationes recognoscat et approbet; sic enim hæ attestationes evehuntur ad dignitatem et auctoritatem litterarum testimonialium.

124. — Quæritur : 3° *Quales debeant esse litteræ testimoniales.*

Resp. : 1. Distinguendum est inter casum quo litteræ testimoniales præcipiuntur vi bullæ Innocentianæ et casum quo non præcipiuntur nisi vi Pii IX bullæ *Apostolicæ Sedis*. Ut enim patet ex lectione textus utriusque Pontificis (cf. supra, n. **121**, 2°, 3°), Pius IX requiri jubet testimoniales in casu in quo non requiruntur ab Innocentio, nempe quando ordinandus *in diœcesi aliena* (quæ non sit diœcesis *originis*) *tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit.* Hic enim casus non continetur in bulla *Speculatores*[2] (quidquid dixerunt aliqui[3]), eo magis quod hæc lex pœnalis est.

[1] *Supra*, n. **121**, 2°.

[2] Ita etiam Riganti, *In reg. 24 Cancellariæ*, § 3, n. 31, p. 349.

[3] V. g., Honorante, c. xv, n. 6, p. 162-163, qui tamen fatetur rem non esse decisam, nec pœnas incurri, etc. Quoad S. Congr. Conc., allegantur decisiones pro et contra, licet decisiones, quæ requirunt testimoniales in casu, sint posteriores; has vide apud Honorante, *loc. cit.*, vel in causa *Parentina*, 14 julii 1894, *Acta S. Sedis*, t. xxvii, p. 159-162.

2. Si ergo testimoniales non requirantur nisi vi bullæ Pianæ, nempe *ob commorationem semestrem, aut longiorem, in aliena diœcesi*, sufficit, in rigore juris, *ad satisfaciendum legi*, ut testentur ordinandum nullum contraxisse impedimentum canonicum ad ordinationem. Ratio est quia, ut patet ex ipso textu legis Pianæ, præcipuus finis quem sibi proposuit Pius IX in hac lege, est ut constet de immunitate ordinandi a quolibet impedimento; ceterum, præsertim si commoratio fuerit brevis, aut in ætate quindecim tantum aut sexdecim annorum, fere nil aliud scire poterit episcopus, præter immunitatem ab impedimento. Nec dicas Pium IX, dum adhibuit vocabulum *litteras testimoniales*, illud intellexisse in sensu Innocentii XII, nempe litteras testimoniales de *natalibus*, *ætate*, *moribus et vita*. Nam hoc non constat, sive quia has litteras præcepit in casu diverso a casibus, in quibus eas præcepit Innocentius, sive quia quando Pius IX reipsa voluit hoc aut illud exprimi in litteris testimonialibus, illud diserte expressit, v. g., in cit. decreto *Romani Pontifices*, 25 jan. 1848, quo requirit testimoniales de *natalibus*, *ætate*, *moribus*, *vita*, *fama*, etc. Ergo, in casu nostro, sufficit, *ad satisfaciendum legi*, ut episcopus testetur, in litteris testimonialibus, ordinandum nullum contraxisse impedimentum, eo magis quod hic agatur de materia pœnali, et proinde applicari debeat Regula 49 Juris in VI : « In pœnis benignior est interpretatio facienda. » — Sed, nota cautissime, dixi : *Ad satisfaciendum legi*, non vero *ad conferendam ordinationem* ; nam ut episcopus conferre possit ordinationem, certus esse debet, non tantum de immunitate ordinandi a quolibet impedimento, sed etiam *de dignis ejus moribus relative ad ordinationem* quam recipere intendit, juxta ea quæ supra (n. **90**) dicta sunt. Unde, in casu, requiretur ut episcopo constet de dignis moribus ordinandi ex aliis

documentis, v. g., ex testimonio superioris et moderatorum seminarii, ex aliis testimonialibus, etc.

3. Si autem testimoniales requirantur etiam vi bullæ *Speculatores*, nempe in quatuor casibus supra (n. **121**, 2°) relatis, oportet ut in eis testetur episcopus etiam de *natalibus*, *ætate*, *moribus et vita* ordinandi (testimonium tamen de *natalibus* et *ætate* reservari solet episcopo originis) : hoc enim expresse requirit Innocentius. Insuper, juxta probabiliorem opinionem, episcopus, in his litteris, testari debet de ordinandi moribus, *non tantum bonis et honestis*, sed etiam *dignis relative ad ordinem, de quo agitur, recipiendum*. Licet enim Innocentius id expresse non præcipiat, deducitur tamen ex fine quem sibi proposuit in hac lege condenda[1]. — Attamen, *modo certo constet ex aliis documentis* (v. g., ex testimoniis magistrorum seminarii, etc.) *ordinandum præditum esse dignis moribus relative ad ordinem recipiendum*, putaverim præfatas testimoniales, testantes tantummodo de moribus bonis et honestis, non esse nullas, sed sufficientes esse *ad satisfaciendum legi*, tum quia tandem aliquando nihil ultra expresse requirit Innocentius[2], tum quia finis seu ratio legis (quam allegant patroni alterius sententiæ) non est lex, tum quia constitutio Innocentiana est etiam lex pœnalis, ut patet ex paragrapho 8[3], et proinde strictam recipere debet interpretationem. Unde dictæ testimoniales non sufficiunt quidem ad ordinationem, bene vero ad satisfaciendum legi.

4. *Litteras testimoniales* dari posse *viva voce* indubium est; quod concluditur a fortiori ex eo quod ipsæ litteræ dimissoriales eo modo concedi possint; valde tamen expe-

[1] Vide *folium* causæ *Pientinæ seu Ilcinensis*, 8 aug. 1733, *Thesaurus*, t. VI, p. 148-149.

[2] Uti agnoscit Secretarius S. Congr. Conc., in prædicto *folio* causæ *Pientinæ*, p. 151.

[3] *Bull. Rom.*, t. IX, p. 376.

dit, ut nemo non videt, ut nunquam acceptentur nisi in *scripto*.

125. — **Quæritur : 4°** *Quis possit dare litteras testimoniales.*

Resp. : 1. De *episcopo* non est dubium.

2. *Vicarius capitularis*, sede vacante, potest etiam concedere litteras testimoniales. — Ratio est quia tum concilium Trid., tum Pius IX, locis relatis supra (n. **121**), has expresse vocant litteras testimoniales *Ordinarii;* quoad Innocentium, qui quatuor vicibus memorat has litteras (*ibid.*), bis eas vocat litteras *Ordinarii*, semel *episcopi*, semel *prælati;* quod signum est satis esse Innocentio, si conferantur ab *Ordinario*. Atqui vicarius capitularis sine ulla controversia et juxta omnes venit nomine *Ordinarii*. Ergo vicarius capitularis potest quocumque tempore concedere *testimoniales*, licet non possit concedere *dimissorias*, nisi post primum annum luctus. Et ita omnes[1].

3. *Vicarius generalis* potest etiam concedere testimoniales, etiam sine mandato speciali. — Ratio est quia, ut dictum est, satis est Innocentio, si litteræ testimoniales conferantur ab *Ordinario*, et concilium Trid. et Pius IX expresse dicunt requiri testimoniales *Ordinarii*. Porro certissimum est et ab omnibus receptum, præcipue a S. Congregationibus Romanis, vicarium generalem esse *Ordinarium* et venire nomine *Ordinarii*. Et si quod remaneat dubium ex parte const. *Speculatores*, quæ semel adhibet vocabulum *episcopi*, exponendum est illud dubium ad normam bullæ *Apostolicæ Sedis*, eo magis quod utraque bulla est pœnalis et proinde recipere debet benigniorem

[1] Reiffenstuel, in tit. *De temporibus ordin.*, n. 112; — Schmalzgrueber, in eumd. tit., n. 47; — Pirhing, in eumd. tit., n. 59; — Leurenius, in tit. *De scrutinio in ordine faciendo*, q. DCIII, n. 2; — Ferrari, *Regiminis diœcesani...*, n. 248, Parisiis, 1876, p. 290.

interpretationem. — Unde non sunt audiendi qui dicunt litteras testimoniales concedi debere ab ipso episcopo, excluso vicario generali, v. g., Monacelli, Gasparri[1]. Hi auctores nituntur decisione S. Congr. Concilii, quam legerunt apud Gallemart dicentem *In conc. Trid.*, cap. VIII (sess. XXIII, De reform.), n. 5, in hæc verba *Testimonio commendentur :* « Etiamsi essent absentes, et ad titulum pensionis vel patrimonii assumendi essent, sed *non testimonio vicarii generalis, nisi haberet speciale mandatum concedendi dimissorias*[2]. » — Verum hæc decisio est *sine die et consule;* imo nullo modo certum est hæc verba, quæ obiter profert Gallemart, referre decisionem S. Congregationis, potius quam opinionem ipsius Gallemart.

4. Quoad *prælatos inferiores,* in quorum territorio ordinandi saltem per sex menses commorati sunt, distinguendum est : *a.* Si non sint *Nullius,* jus non habent concedendi testimoniales; ratio est quia bulla *Apostolicæ Sedis* requirit testimoniales ab *Ordinario loci;* porro prælatus hujusmodi, licet sit in vero sensu *Ordinarius,* non est tamen *Ordinarius loci illius;* locus enim in quo exercet jurisdictionem, est *de diœcesi* et *in diœcesi* episcopi, a qua diœcesi numquam fuit separatus; proinde *Ordinarius loci* est solus episcopus diœcesis illius. Revera, ut dictum est supra (n. **61**, 8°), hujusmodi prælati non possunt concedere testimoniales etiam pro *propriis subditis* sæcularibus; a fortiori pro aliis; — *b.* Si sint *Nullius,* possunt concedere testimoniales; ratio est quia tunc sunt vere Ordinarii et *Ordinarii loci;* locus enim, in quo exercent jurisdictionem, est plene et omnino avulsus et separatus a qualibet diœcesi, nec ullum habet *Ordinarium*, nisi prælatum.

[1] Monacelli, *Formularium,* part. I, tit. IV, form. 9, n. 9, Romæ, 1713, t. I, p. 83; — Gasparri, *De ordinatione,* n. 710, Parisiis, 1893, t. II, p. 29.

[2] Gallemart, *Conc. Trid.,* in cap. 8, sess. XXIII, De ref., n. 5, Venetiis, 1780, p. 244.

5. Quoad *prælatos regulares*, quæritur num possint concedere litteras testimoniales subditis suis, qui statum regularem relinquunt, et inveniunt episcopum benevolum, a quo petunt ordinationem; quis in hoc casu dabit litteras testimoniales pro ordinatione necessarias, utrum prælatus regularis monasterii, in quo mansit ordinandus, an episcopus loci, in quo situm est monasterium? — *Resp.* : 1. *Summo jure*, concessio litterarum testimonialium pertinet ad episcopum loci, qui solus est Ordinarius totius illius territorii, in quo situm est monasterium, quod monasterium remanet *de diœcesi* et *in diœcesi* episcopi[1]; — 2. Attamen sufficere probabiliter putaverim testimoniales prælati regularis, tum quia fuit *Ordinarius* subditi ordinandi, tum quia est *Ordinarius monasterii*, et proinde aliquo modo *loci;* tum quia hoc modo melius satisfit menti legis; superior enim regularis multo plenius cognoscit subditum suum quam episcopus qui forsan ne nomen quidem illius novit[2]. Ceterum non est assimilandus subditus prælati regularis subdito illi prælati inferioris, de quo supra dixi, ad 4; hic enim, quoad ordinationem, nullo modo pendet a prælato suo, qui ne dimissorias quidem illi concedere potest; dum subditus regularis, quoad ordinationem, omnino pendet a prælato suo, qui solus dare potest illi dimissorias; — 3. Hæc extenderim ad *novitium*, qui saltem per sex menses manet in conventu, et deinde revertitur ad clerum sæcularem.

6. Quod dixi de *prælatis regularibus*, extendi nequit ad *superiores congregationum votorum simplicium*, quoad subditos suos qui relinquunt congregationem, et deinde petunt ordinationem ab aliquo episcopo. Hi enim superio-

[1] Suppono enim prælatum illum regularem non esse *Prælatum Nullius;* alioquin idem dicendum quod supra, ad 4.

[2] Ita etiam Gasparri, *loc. cit.*, n. 711.

res, licet habeant, vi indulti, potestatem concedendi litteras dimissorias subditis suis, nullo modo sunt *Ordinarii*, nec hoc nomine vocantur. Unde dabunt attestationes de moribus, doctrina, vita, etc., subditi, et episcopus loci, attentis his attestationibus et aliis documentis, quæ forsan aliunde habere poterit, dabit testimoniales.

7. Præter supradictos, nullus alius dare potest testimoniales. In specie, rector seminarii (nisi sit simul vicarius generalis) has litteras dare nequit; non enim est *Ordinarius*. Unde in hoc sensu respondit S. Congr. Conc. in *Parentina*, 14 julii 1894 (*per summaria precum*)[1].

126. — Quæritur : 5° *Num requirantur litteræ testimoniales pro tempore quo ordinandus commoratus est in seminario alienæ diœcesis.*

Resp. : 1. In genere, requiruntur litteræ testimoniales, non quidem vi bullæ *Speculatores*, quæ hunc casum non respicit (ut dictum est supra, n. **124**), sed vi bullæ *Apostolicæ Sedis*, quæ aperte jubet requiri testimoniales quando subditus proprius « alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit »; quod etiam responsum fuit a S. Congr. Conc. in cit. *Parentina*.

2. Specialis vero casus contingere potest, ut nempe ordinandus, in seminario alienæ diœcesis commoratus, ordinetur, non a proprio episcopo in propria diœcesi, sed in ipso seminario aut in ipsa civitate, ubi est seminarium, vi dimissoriarum proprii episcopi. Sic clerici galli qui Romæ in seminario Gallico commorantur, a cardinali Urbis vicario, vi dimissoriarum proprii episcopi, ordinantur; sic etiam alumni majoris seminarii Parisiensis, qui ad varias

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXVII, p. 159-162.

Galliæ diœceses pertinent, ab archiepiscopo Parisiensi, vi dimissoriarum proprii episcopi, Parisiis ordinantur. Quæritur ergo num etiam in hoc casu testimoniales requirantur pro tempore commorationis singulorum ordinandorum in seminario alienæ diœcesis. — Porro respondeo : 1. Litteræ testimoniales requiruntur, cum lex non distinguat, — 2. Attamen *re ipsa* et *sufficienter* conceduntur hæ testimoniales, eo ipso quod rector seminarii bonam attestationem de alumno emittat, ejusque ordinationem postulet et proponat, et episcopus loci seminarii (cujus est dare testimoniales), acceptis episcopi proprii litteris dimissoriis, et attenta prædicta rectoris seminarii attestatione, petitam ordinationem per se vel per alium conferre annuat; hic enim consensus Ordinarii loci in ordinationem includit in se, implicite quidem, sed necessario, testimoniales, nec requiritur ut hæ dentur in scripto (supra, n. **124,** 4). Et ita fit, a longo jam tempore, in prædicto seminario Parisiensi, et mihi dictum est etiam ita fieri Romæ, pro alumnis seminarii Gallici.

127. — Quæritur : 6° *Cujus sit postulare litteras testimoniales, easque examinare.*

Resp. : 1. Ipse ordinandus tenetur postulare ab episcopis litteras testimoniales, quibus eget. — Ratio est quia ipse tenetur probare suam idoneitatem ad ordinationem; insuper Innocentius, in bulla *Speculatores*, ipsi ordinando, non alii, injungit ut sibi procuret testimoniales; vide supra relatos textus (n. **121**). — Verum, quidquid est de jure stricto, solent apud nos superior aut moderatores seminarii hac in re operam suam commodare ordinandis, sive ipsi scribant epistolam, sive scriptam ab ordinando epistolam commendent.

2. Examen seu inspectio litterarum testimonialium per-

tinet ad *episcopum proprium ordinandi* ; quod per se patet. Hanc autem inspectionem delegare potest aliis ; de facto, in diœcesibus in quibus sunt instituta seminaria, sicut episcopus delegat superiori et moderatoribus seminarii examen ordinandorum, juxta ea quæ supra (n. **117**) dicta sunt, ita et eisdem delegare solet inspectionem litterarum testimonialium, quæ revera non est nisi pars totius illius examinationis, quam præscripsit concilium Tridentinum, cap. *Sancta Synodus*, 7, sess. XXIII, De ref. (supra, n. **115**), et cujus finis est ut in lucem ponatur dignitas singulorum ordinandorum. Unde, ut fieri solet apud nos, de mandato episcopi, superior seminarii vel alius ab ipso delegatus, postulari curat testimoniales requisitas, quas receptas examinat vel examinari mandat, et, si quod dubium occurrat, refert ad episcopum. — In seminariis, in quæ confluunt alumni ex variis diœcesibus, superior seminarii (vel alius ab eo delegatus) postulat examinatque testimoniales non tantum pro alumnis diœcesis, cujus est seminarium, sed etiam pro alumnis exteris, de mandato expresso vel tacito episcoporum qui rectori seminarii committunt quidquid respicit ordinationem propriorum subditorum. — Ita fit in seminario Parisiensi.

128. — Quæritur : 7° *Quid faciendum sit, quando litteræ testimoniales sunt insufficientes.*

Resp. : Duplex præcipue casus occurrit, prout litteræ testimoniales requiruntur vi solius const. *Apostolicæ Sedis*, vel etiam vi const. *Speculatores*, juxta ea quæ supra dicta sunt (n. **124**). Unde :

1° Quando litteræ testimoniales requiruntur ratione *commorationis semestris, vel longioris, in diœcesi aliena*, demonstrare debent, ut dictum est, ordinandum *nulli obnoxium esse impedimento canonico*. Quando ergo hoc

non demonstrant, sunt insufficientes, v. g., si episcopus scribat clericum esse ignotum, si episcopus dubie loquatur, si dicat neminem inveniri qui testificetur de clerico, etc.; quæ eo facilius contingent, quo commoratio fuerit brevior, vel civitas amplior. — Pro his igitur casibus, hæc dicenda : *a*. Certo subditus ille ordinari nequit, licet etiam in seminario dignos ordinibus recipiendis mores præ se ferat; nam utique episcopo constare debet subditum esse immunem ab impedimento canonico; — *b*. Hic casus propositus est coram S. Congr. Conc., in *Urgellen.*, 26 jan. 1895, his verbis : « 3. Utrum sufficientes censendæ sint litteræ testimoniales alieni episcopi, quando testatur *nihil constare de ordinando*, eo quia nemo sit qui de ordinando testimonium reddere possit, *cum sit*, ut judicatur, *omnibus ignotus;* » porro S. Congregatio respondit : « Quatenus Ordinarii litteræ plenum testimonium non reddant, *episcopus, obtenta, ad hoc, facultate ab Apostolica Sede, provideat per juramentum suppletorium*[1]; » ipse ergo subditus hanc facultatem, commendante episcopo, petit a S. Congregatione vel Concilii vel Inquisitionis, aut etiam episcopus ipse petit, ad hoc, indultum habituale; — *c*. Hac facultate obtenta, subditus coram episcopo, vel ab eo deputato (nisi denegata fuerit delegandi potestas), jurejurando affirmat se in tali diœcesi nullum incurrisse impedimentum canonicum ad ordines; — *d*. Adhiberi etiam potest juramentum suppletorium, quando ordinandus per tot diœceses vagatus est, ut impossibile vel nimis difficile sit omnes litteras testimoniales necessarias requirere; — *e*. Episcopum propria auctoritate, et sine indulto apostolico, posse deferre subdito suo juramentum suppletorium, non putaverim; nam tandem aliquando res reincindit in *dispensationem a*

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXVIII, p. 49-50.

lege universali Ecclesiæ; nec dicas episcopum dispensare posse in *necessariis;* nam, hoc prætermisso, non est necessarium hunc subditum ordinari.

2° Quando testimoniales requiruntur etiam vi bullæ *Speculatores*, testimonium reddere debent de *bonis* et *honestis moribus* ordinandi, juxta ea quæ supra dicta sunt (n. **124**, 3). Porro aliquando hæ litteræ revelant hæc aut illa facta quæ plus minusve opponuntur illi probitati et honestati morum. De quo hæc dicenda : 1. Si talia sint illa facta revelata, quæ ostendant candidatum esse sacris ordinibus indignum, repellendus est, v. g., si reveletur eum esse ebriosum, impudicum, furem, etc.; — 2. Si talia sint facta, quæ corrigi possint, et revera constet, per documenta posteriora, v. g., per testimonia moderatorum seminarii, ordinandum esse emendatum, et ita quidem ut vere mores ejus digni sint sacris ordinibus, admitti potest; — 3. Demum, si facta revelata corrigi quidem possint, sed nondum constet ordinandum emendatum esse eo modo, quem requirant sacri ordines, dilatio imponenda est donec de emendatione constet.

129. — Pœnæ contra violantes legem de testimonialibus.

1° Innocentius XII, in bulla *Speculatores*, § 8[1], pœnas statuerat contra violatores suæ constitutionis; si quid nempe peccaretur contra hanc bullam, ordinans suspensus erat ipso facto a collatione ordinum per annum, et ordinatus ab exercitio ordinis suscepti, ad beneplacitum proprii Ordinarii. — Pius autem IX, in bulla *Apostolicæ Sedis*, non memoravit pœnam contra *ordinatum* (quæ proinde cessavit); quoad pœnam contra *ordinantem*, non statuit

[1] *Bull. Rom.*, t. IX, p. 376

eam nisi pro uno tantum casu quem ipse exprimit. Unde sufficit ut habeamus præ oculis articulum bullæ *Apostolicæ Sedis*.

2° Pius IX, in bulla *Apostolicæ Sedis, De suspensionibus*, n. 3, sic ait : « *Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes...* subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, *absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.* » Ergo, qui ordinat proprium subditum sine requisitis testimonialibus, suspensus est a collatione ordinum. — Unde :

a. Quoad *ordinantes*, agitur sive de episcopis, sive de abbatibus ordinandi facultate præditis; requiritur autem *ordinatio*, unde non incurrunt pœnam, qui conferunt tantum primam tonsuram (quæ non est ordo), nec qui tantum dant subditis suis dimissorias ut ordinentur, quia lex pœnalis stricte intelligenda est, nec extendi potest ad casum etiam similem.

b. Quoad ipsam *pœnam*, est suspensio latæ sententiæ, et quidem a collatione *omnium ordinum* (licet unus tantum male collatus sit), quia lex non distinguit[1], non tamen a collatione *primæ tonsuræ*, quæ non est ordo; pœna autem durat per annum integrum, quo elapso, ipso facto cessat; intra autem hunc annum, reservata est R. Pontifici, ut fert ipse textus bullæ : *Suspensiones latæ sententiæ S. Pontifici reservatæ;* si tamen delictum sit *occultum*, casus continetur in cap. *Liceat*, 6, sess. XXIV, De ref., in conc. Tridentino.

3° Remanet etiam pœna quam statuit concilium Trid. in

[1] Ita communiter interpretes sive bullæ *Apostolicæ Sedis*, sive bullæ *Speculatores*, quæ eadem formula usa est. Cf. Piatum, *In const. Apostolicæ Sedis*, de susp., n. 3, Tornaci, 1884, p. 295; — *Nouvelle revue théologique*, t. XVII (an. 1885), p. 496 sq.; — Pennacchi, *In const. Apostolicæ Sedis*, app. 44, Romæ, 1883, t. II, p. 374.

casu speciali quem contemplatum est cap. *Ordinationes*, 8, sess. XXIII, De ref. (supra, n. **121**). Si quis nempe, vi indulti aut privilegii pontificii, ab episcopo non proprio ordinari petit, requiruntur litteræ testimoniales proprii Ordinarii : « Si secus fiat, *ordinans a collatione ordinum per annum*, et *ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* »

§ 3. De titulo ad ordinem sacrum requisito.

I. Notitia historica[1]

130. — Decretum concilii Nicæni.

1° Canon 15 concilii Nicæni supponit *usum*, tunc temporis jam vigentem, vi cujus episcopus aut presbyter aut diaconus non ordinabatur nisi pro ecclesia certa et determinata, cui ascribebatur. Sic enim fert ille canon : « ... De civitate ad civitatem, non episcopus, non presbyter, non diaconus transferatur. Si quis autem... tale quid agere tentaverit,... hoc factum prorsus in irritum ducatur, et restituatur *ecclesiæ, cui fuit episcopus aut presbyter aut diaconus ordinatus*[2]. »

2° Hic autem usus non ordinandi episcopum aut presbyterum nisi pro certa ecclesia adeo frequens et quasi sacer erat, ut, a tempore concilii Nicæni usque ad conc. Chalcedonense, non notentur nisi paucissimæ exceptiones, quæ potius firmant regulam. Sic :

a. Anno 379, S. Hieronymus Antiochiæ ordinatus fuit presbyter a Paulino episcopo, ea condicione, ut non alligaretur alicui ecclesiæ, sed remaneret monachus, et sua posset frui solitu-

[1] Cf. Phillips, *Kirchenrecht*, § 57, ed. 3, Regensburg, 1855, t. I, p. 605-623; vel trad. Crouzet, Paris, 1850, t. I, p. 438 sq.

[2] Ita ex versione Dionysii Exigui, Migne, *P. L.*, t. LXVII, col. 150; canon insertus est Decreto Gratiani, can. *Non oportet*, 19, Caus. VII, q. I, juxta versionem Hispanam. Vide textum græcum apud Bruns, t. I, p. 18.

dine; sic enim dixit Paulino : « Num rogavi te, ut ordinarer? Si sic presbyterum tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo. Sin autem, sub nomine presbyteri tollis mihi propter quod sæculum dereliqui, ego habeo quod semper habui [1]. »

b. Anno 392 vel 393, item S. Paulinus Barcinonæ ordinatus fuit presbyter, ea condicione ut liber remaneret. Quod ipse dicit ad Severum : « Ea condicione in Barcinonensi ecclesia consecrari adductus sum, *ut ipsi ecclesiæ non alligarer;* in sacerdotium tantum Domini, *non etiam in locum ecclesiæ dedicatus* [2]. »

c. Sic etiam *absolute,* seu sine vinculo ad aliquam ecclesiam, presbyter ordinatus est, a Flaviano episcopo Antiocheno, monachus ille celeberrimus, nomine Macedonius, ut narrat Theodoretus [3].

d. Item narrat Sozomenus duos aut tres monachos, in monasteriis Edessæ, ordinatos fuisse episcopos *absolute :* « Barses item et Eulogius; qui quidem ambo postmodum *episcopi* fuere, *non alicujus urbis, sed honoris duntaxat causa, tanquam ad repensanda ipsorum facinora, in suis monasteriis ordinati.* Quo quidem modo etiam Lazarus episcopus fuit [4]. »

131. — Decretum concilii Chalcedonensis.

1° Concilium Chalcedonense, can. 6, omnino prohibet ordinationes *absolutas :* « Nullum *absolute* (ἀπολελυμένως, ἀπολύτως) ordinari debere presbyterum aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, *nisi specialiter* (ἰδικῶς) *ecclesiæ civitatis, aut possessionis* (κώμης, nempe pagi), aut *martyrii,* aut *monasterii,* qui ordinandus est pronuntietur. Qui vero *absolute* ordinantur, decrevit sancta synodus irritam (ἄκυρον) haberi hujusmodi manus impositionem, et nunquam posse ministrare, ad ordinantis injuriam [5]. » Unde jubet concilium, et quidem sub pœna gravissima,

[1] In libro *Contra Joannem Hierosolymitanum,* n. 41 *bis*; Migne, *P. L.,* t. XXIII, col. 393. — Cf. *Vita S. Hieronymi,* c. XII, n. 3; *ibid.,* col. 41.

[2] Epist. I, *Ad Severum,* n. 10; Migne, *P. L.,* t. LXI, col. 159.

[3] *Religiosa historia,* c. XIII; Migne, *P. G.,* t. LXXXII, col. 1402.

[4] Sozomenus, *H. E.,* lib. VI, c. XXXIV; Migne, *P. G.,* t. LXVII, col. 1394-1395.

[5] Ita ex versione Dionysii Exigui, Migne, *P. L.,* t. LXVII, col. 172-173;

neminem ordinari, nisi pro aliqua ecclesia civitatis aut pagi, vel pro aliqua ecclesia ad reliquias martyrum ædificata, vel etiam ad exercenda sacra in aliquo monasterio; tunc enim in monasteriis etiam virorum fere non nisi laici inveniebantur [1]. — Hinc ordinatio fiebat, non pro Ecclesia universa, sed pro *loco* certo et determinato; inde aiebat, eodem tempore, S. Leo : « Aliter autem vana habenda est creatio (nempe ordinatio), quæ *nec loco fundata est*, nec auctore munita [2]. »

2° Hoc autem decretum sæpissime iteratum est, v. g., in capitulari Aquisgranensi, an. 789, cap. 24 [3]; — in concilio Romano, an. 853, can. 39 [4]; et in pluribus aliis legibus infra referendis.

132. — Ordinationes ad titulum.

1° Sæculo quinto, ecclesiæ incipiunt vocari *tituli*. *Titulus* enim idem fere est ac *signum* [5]; cum ergo, reddita Ecclesiæ pace, templa christiana decorari et distingui cœperunt signo seu titulo vel *fundatorum*, vel *martyrum*, in quorum honorem dedicata erant, vel etiam sæpissime signo seu titulo *crucis* [6], paulatim vocari cœperunt *tituli*. Jam Innocentius I, epist. xxv, *Ad Decentium*, n. 8, ecclesias urbis Romæ vocat *titulos* [7]. In concilio Romano, an. 499, sub Symmacho, presbyteri Romani subscribunt hoc modo : « Martianus presbyter *tituli* S. Cæciliæ

hic canon insertus est Decreto Gratiani, can. *Neminem*, 1, dist. LXX, juxta versionem Hispanam, quam adhibuit etiam Isidorus Mercator (Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianæ*, p. 285). Vide textum græcum apud Bruns, t. I, p. 27.

[1] Vide in hunc canonem sextum Chalcedonem commentaria Balsamonis, Zonaræ et Aristeni, apud Migne, *P. G.*, t. CXXXVII, col. 406 sq.; — *Scholia* Van Espen, *Scripta omnia*, Lovanii, 1753, t. III, p. 223; — item Lupus, *Synodi gen.*, Venetiis, 1724, t. II, p. 72.

[2] *Epist.*, CLXVII, *Ad Rusticum Narbonensem*, c. I; Migne, *P. L.*, t. LIV, col. 1203.

[3] *Capitularia*, ed. Baluze, t. I, col. 223.

[4] Mansi, t. XIV, col. 1015.

[5] Cf. Forcellini, *Lexicon totius latinitatis*, v° *Titulus*, Patavii, 1831, t. IV, p. 481.

[6] De quo cf. Cod. Theod., L. *Omnibus*, 25, lib. XVI, tit. X, ed. Ritter, Mantuæ, 1750, t. VI, part. I, p. 274.

[7] « De fermento vero, quod, die dominica, per *titulos* mittimus, etc. » Migne, *P. L.*, t. XX, col. 556.

subscripsi[1]. » Et sic deinceps ecclesiæ sæpe vocantur *tituli*, sive in Urbe, sive extra, v. g., in concilio a S. Bonifacio celebrato, circa an. 745, can. 5[2]; — in *Libris capitularium*, lib. VII, cap. 249; Additio III, cap. 82[3].

2° Cum ergo presbyteri, diaconi, etc., ordinarentur pro tali ecclesia seu titulo, dicebantur *titulati* vel *prætitulati* in hac ecclesia[4]; hinc etiam dicebantur ordinari *ad talem titulum*, *ad titulum*. Sic legimus in concilio Meldensi, an. 845, can. 52 : « Qui vero ex nostris parochiis aut *ad titulum* aut absolute ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in clero certo et religioso, vel etiam in civitate, saltem uno anno immorentur, ut de vita atque doctrina illorum certitudo possit agnosci. Et nemo absolute quemquam ordinare præsumat, sicut sancti sanxerunt canones[5]. » Ita etiam in conc. Claromontano, an. 1095, can. 13[6].

133. — Motiva legis Chalcedonensis. — Duo sunt præcipui fines canonis Chalcedonensis : prior nempe, ut clerici non incertis vagentur sedibus, aut vitam otio terant, sed resideant et laborent in ecclesia certa et determinata, ubi suis fungantur muneribus, et etiam de gradu in gradum ascendere possint; quem gravissimi momenti finem declarat concilium Trid., cap. *Cum nullus*, 16, sess. XXIII, De ref., ubi renovat canonem Chalcedonensem. — Alter autem finis est ut clerici, ex reditibus ecclesiæ in qua et pro qua laborant, honeste vivere possint et sic non cogantur « cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quæstum exercere », ut iterum ait conc. Trid., cap. *Cum non deceat*, 2, sess. XXI, De ref. Hinc ergo episcopus, probe sciens quot clerici singulis ecclesiis necessarii sint, quotque ex

[1] Thiel, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, p. 651 sq.

[2] « De sacerdotibus qui suos *titulos* absque licentia episcopi dimittunt aut dimiserunt, etc.; » Migne, *P. L.*, t. LXXXIX, col. 827.

[3] Ed. Baluze, t. I, col. 1076, 1172. — Vide multa alia loca apud Ducange, *Glossarium*, v° *Titulus*, Parisiis, 1736, t. VI, col. 1158.

[4] Bened. Levita, lib. V *Capitularium*, cap. 28; ed. Baluze, t. I, col. 830; — conc. Placentinum, an. 1095, can. 15; Mansi, t. XX, col. 806.

[5] Mansi, t. XIV, col. 831.

[6] Mansi, t. XX, col. 817.

earum reditibus ali et sustentari possint, numerum clericorum ordinandorum semper accommodat necessitatibus et censibus ecclesiarum : unde æque vitari possunt incommoda, vel penuriæ ministrorum, vel multitudinis inutilis clericorum. Quæ profecto ostendunt sapientissimam esse Chalcedonensem disciplinam.

134. — Evolutio legis Chalcedonensis.

1° Sæculis IX, X et XI, pars illa bonorum uniuscujusque ecclesiæ, quæ a pluribus jam sæculis (nempe a sæculo quinto exeunte) divisa ac separata fuerat a tribus aliis partibus (pro episcopo, fabrica ecclesiæ et pauperibus), iterum distributa fuit in tot partes quot erant clerici sustentandi; attamen divisio non fuit plena et perfecta nisi sæculo XI exeunte; tunc enim singulæ portiones omnino ab invicem separatæ sunt, ita ut, moriente clerico, portio illi assignata non amplius ad massam communem, ut antea, reverteretur, sed *vacaret :* quæ portiones sic plene separatæ, vocatæ sunt *beneficia* seu *præbendæ*. Cum igitur clerici, hoc tempore, ordinarentur ad *titulum* seu ecclesiam determinatam, et reipsa illis assignaretur, ad victum et sustentationem, *beneficium* seu *præbenda* distincta, pronum fuit ut hoc ipsum beneficium seu præbenda vocaretur *titulus*. Hanc assimilationem *tituli* et *præbendæ* jam conspicimus in conc. Clarom., an. 1095, can. 12, ubi legimus : « Ut nulli clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas *præbendas* obtinere, cum duos *titulos* non possit habere[1]. » In cap. *Postulasti,* 30, De jure patronatus (quod est Innocentii III, an. 1210), *tituli* vocantur varia beneficia unius ejusdemque ecclesiæ parochialis.

2° Concilium Lateranense, an. 1179, ansam præbuit ulteriori evolutioni legis Chalcedonensis. Sic enim fert can. 5 hujus concilii (= cap. *Episcopus,* 1, De præbendis) : « Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua ecclesia ei convenientia stipendia militiæ clericalis assignet; *nisi talis ordinatus, de sua vel pa-*

[1] Mansi, t. XX, col. 817.

terna hereditate, subsidium vitæ possit habere[1]. » Procul dubio, concilium Lateranense non intendebat permittere ut laici vel clerici divites ordinari possint *sine titulo*, id est, sine beneficio, cujus officio occupari, cujus reditibus ali possent : quæ fuisset eversio legis Chalcedonensis; sed tantum, cum tulisset contra episcopos ordinantes *sine titulo* pœnam pecuniariam, nempe obligationem sustentandi diaconos et presbyteros sic ordinatos, decrevit pœnam non habere locum, si forte clerici ordinati *de sua vel paterna hereditate subsidium vitæ possent habere.* — Attamen hic loquendi modus occasionem quibusdam præbere poterat asserendi concilium permisisse episcopis, ut clericos divites ordinarent *sine titulo.*

3° Quod revera evenit, teste Stephano, episcopo Tornacensi (def. an. 1203), qui scripsit ad Cælestinum III (vel Innocentium III) : « Quidam etiam, *quibus sunt propriæ facultates, ut inde vivere possint,* ordinari tamen expetunt, ut *pro titulo,* secundum dispensationem sacrorum canonum, rebus propriis utantur[2]. » Unde, vix elapsis 20 annis post concilium, passim jam dictitabatur, patrimonium seu proprias facultates, esse *pro titulo*, et hoc, quod magis mirum est, *secundum dispensationem sacrorum canonum.*

4° Quidquid est, paucis post annis, an. nempe 1208, Innocentius III permisit archiepiscopo Bisuntino, ut clericos divites ordinare posset ad sacros ordines sine titulo : « Tuis quæstionibus respondemus, quod clericos in minoribus ordinibus constitutos, *de patrimonialibus bonis habentes, unde possint congrue sustentari, etsi nondum fuerint beneficium ecclesiasticum assecuti,* dummodo aliud canonicum non obsistat, *ad superiores poteris ordines promovere.* » Quæ decretalis a Gregorio IX inserta est in Corpore Juris (cap. *Tuis,* 23, De præbendis).

5° Unde mox patrimonium non tantum habitum est *pro titulo,* sed etiam vocatum est *titulus patrimonii, titulus patrimonialis,* quasi patrimonium, relative ad ordinationem, fuisset omnino in

[1] Mansi, t. xxii, col. 220.

[2] Stephani Tornacensis, *Epist.*, cxciv, *Ad papam;* Migne, *P. L.,* t. ccxi, col. 477.

eodem gradu quo verus unicusque proprie dictus titulus, nempe *titulus beneficii*. Sic jam in concilio Biterrensi (Béziers), an. 1233, can. 6 : « Sine *titulo patrimoniali* centum solidorum Turonensium ad minus, vel ecclesiastico beneficio competenti, *sicut in jure canonico cautum est*, ordinandus de cetero nullatenus admittatur[1]. » Ita etiam Glossa, in can. *Neminem*, 1, dist. LXX (= cit. can. concilii Chalcedonensis), v° *Sive possessionis*, ait : « Id est, si ordinatur *ad titulum patrimonii sui*[2]. » Unde locutio *titulus patrimonii*, licet hæc duo vocabula inter se male cohæreant, jus civitatis adepta erat in Corpore Juris.

6° Hinc autem multa mala enata sunt, tum quia in pluribus locis patrimonium non tantum tituli, sed etiam divinæ vocationis locum tenere visum est, tum quia clerici titulo patrimonii ordinati, nec habentes beneficium aut ecclesiam in qua laborarent, incertis vagabantur sedibus, otio dediti, multisque periculis et malis obnoxii. Hinc in concilio Tridentino plures episcopi abolendum esse sic dictum titulum patrimonii, restituendamque omnino disciplinam Chalcedonensem censuerunt[3]. Cum autem alii duos titulos, beneficii nempe et patrimonii, juxta inveteratum usum, servatos vellent, media inita est via. Servatus est titulus patrimonii, sed duo simul decreta sunt, nempe : 1. Ut episcopus non ordinaret titulo patrimonii, nisi « quos judicaverit assumendos *pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum* (cap. *Cum non deceat*, 2, sess. XXI, De ref.); — 2. Ut unusquisque clericus illi ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumebatur, ascriberetur, ubi suis fungeretur muneribus (cap. *Cum nullus*, 16, sess. XXIII, De ref.). — Cum autem postea hæc disciplina negligeretur, et multi episcopi quoslibet obvios titulo patrimonii, non attentis suarum eccle-

[1] Mansi, t. xxiii, col. 271.

[2] Nota obiter Glossam male interpretari vocabulum *possessionis* (græce χωμής), quod significat *pagum*, non *patrimonium*. — *Corpus juris canonici cum glossis*, Lugduni, 1671, t. i, p. 347.

[3] Cf. *Acta conc. Trid. sub Pio IV, a card. Paleotto conscripta*, sess. V (nempe XXI), apud Theiner, *Acta authentica conc. Trid.*, t. ii, p. 565-566; — cf. etiam Pallavicini, *Histoire du concile de Trente*, l. XVII, c. ix, n. 6; ed. Migne, 1844, t. ii, p. 1194.

siarum necessitate aut utilitate, ordinarent, disciplinam Tridentinam in memoriam revocarunt, tum Innocentius XI, per *Litteras encyclicas* S. Congr. Conc., 13 maii 1679[1], tum Innocentius XII, in const. *Speculatores,* 4 nov. 1694, § 1[2].

7° Quoad *Regulares,* qui passim, a pluribus sæculis, sacris ordinibus initiantur, leges canonicæ, relative ad modum sustentationis, nihil speciale habent. Initio, ad normam canonis Chalcedonensis (supra, n. **131**), pro singulis monasteriis, quorum monachi solebant esse laici, ordinabatur presbyter, qui ibi sacra faceret (ad instar hodierni capellani in conventibus monialium). Postea autem, quidam ex ipsis monachis ordinibus sacris initiati sunt[3]; imo concilium Viennense hac de re decretum edidit: « Ad ampliationem autem cultus divini, statuimus quod monachi quilibet, ad monitionem abbatis, *se faciant ad omnes ordines sacros*, excusatione cessante legitima, *promoveri* (cap. *Ne in agro*, 1, De statu monachorum, Clement.). » Cum autem monachi, propter professionem solemnem, quæ inter ipsos et Religionem indissolubile vinculum inducit, de propria sustentatione usque in finem vitæ securi essent, nihil unquam caverunt Romani Pontifices aut concilia de sustentatione Regularium ad ordines sacros promovendorum. Verum, cum in ipso actu ordinationis quæri cœptum est de titulo singulorum ordinandorum[4], inventus est pro Regularibus *titulus professionis religiosæ,* aut potius, mira vocabulorum associatione, *titulus paupertatis.* — Sedulo autem cavit Pius V, const. *Romanus Pontifex sacrorum,* die 14 oct. 1568[5], ut soli Regulares *professi* ad hunc titulum ordinarentur, ut infra dicetur cap. IX.

[1] Apud Benedictum XIV, *Inst., XXVI,* n. 2; vel, in extenso, apud Riganti, *In regulam 24 Canc.,* § 5, n. 109, Coloniæ Allobrogum, 1751, t. II, p. 412.

[2] *Bull. Rom.,* t. IX, p. 374.

[3] Cf. Lupus, *loc. cit.,* p. 75-76.

[4] Vide *Pontificale Romanum, De ordinatione subdiaconi,* initio.

[5] *Bull. Rom.,* t. IV, part. 3, p. 46-47.

II. Necessitas tituli pro ordinibus sacris

135. — Necessitas tituli. — *Promovendi ad sacrum ordinem, tenentur habere titulum sustentationis.* — Constat clarissime :

1° Canone 6 (supra, n. **131**, relato) concilii Chalcedonensis, cum variis mutationibus quas passus est, præsertim ex relatis capp. *Episcopus*, 4, et *Tuis*, 23, De præbendis, quæ induxerunt titulum patrimonialem.

2° Concilio Trid., cap. *Cum non deceat*, 2, sess. XXI, De ref., ubi legimus : « Statuit sancta synodus, ne quis deinceps clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et ætate, ad sacros ordines promoveatur, *nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere... Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum.* »

136. — Restringitur necessitas ad ordines sacros. 1° Licet plures textus juris, nempe cit. canon 6 concilii Chalcedonensis, cap. *Non liceat*, 2, et *Cum secundum*, 16, De præbendis, et etiam cap. *Accepimus*, 13, De ætate et qualitate, etc., inducant necessitatem tituli pro quolibet ordine, et proinde etiam pro ordinibus minoribus, attamen hanc brevi interpretationem receperunt, ut non nisi de ordinibus sacris, a subdiaconatu et supra, intelligerentur. Unde jam sæculo XIII medio, Glossa in cap. *Non deceat*, 2, De præbendis, v° *Clericos*, ait : « Ecclesia tamen Romana non consuevit cogere episcopos (ad providendum), *nisi pro his qui sunt in sacris ordinibus*[1]. » Quem usum confirmavit

[1] *Corpus Jur. can. cum glossis*, Lugduni, 1671, t. II, col. 1025.

concilium Trid., cit. cap. *Cum non deceat*, in quo aperte restringit necessitatem tituli ad *ordines sacros* : « Ne quis deinceps... ad *sacros ordines* promoveatur, nisi, etc. »

2° Ut patet his conc. Trid. verbis, requiritur titulus pro singulis ordinibus sacris, nempe subdiaconatu, diaconatu et presbyteratu; sed titulus, qui valet pro subdiaconatu, valet etiam pro aliis ordinibus. Si tamen titulus periisset post subdiaconatum, clericus non posset recipere diaconatum, nisi cum novo titulo.

3° De jure *particulari*, requiritur aliquando titulus pro ordinibus minoribus, imo et pro prima tonsura. Sic Romæ, sæculo XVIII, requirebatur titulus pro prima tonsura, teste Honorante[1]: qui usus hodie cessavit. Ita etiam hodie, in insula Melevitana (*Malte*), requiritur titulus beneficii, capellaniæ perpetuæ vel patrimonii, pro *prima tonsura*, ex Pii VI const. *Ea semper*, die 25 junii 1777[2].

III. Tituli qui sunt hodie juris communis

137. — Titulus beneficii. — Ut jam constat relato textu conc. Trid., in cap. *Cum non deceat*, beneficium est præcipuus titulus ordinationis sacræ. De quo hæc dicenda supersunt :

1° *Ut beneficium sit legitimus titulus ordinationis sacræ*, quatuor requiruntur :

A. Ut beneficium sit *actu possessum*, nempe antequam clericus recipiat ordinem sacrum. — Constat clare textu Trid. : « Ne quis deinceps... ad sacros ordines promovea-

[1] *Praxis Secretariæ*, etc., c. I, not. 5, p. 9.

[2] De quo cf. causam nuper agitatam in S. Congr. Conc., in *Melevitana*, 9 aug. 1890, ubi etiam relata est pars præcipua const. Pii VI (*Thesaurus S. C. C.*, t. CXLIX, p. 754-768). — Cum, jure communi, beneficium conferri nequeat nisi iis qui jam tonsuram primam adepti sint, datur ea de re Melevitanis opportuna dispensatio, saltem implicita.

tur, *nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.* » Hinc non sufficit *promissio*, nec *præsentatio*, imo nec ipsa *institutio* seu *collatio* sine capta *possessione*.

B. Ut sit *pacifice* possessum. — Constat eodem textu; hinc requiritur ut non sit lis super beneficii proprietate aut possessione.

C. *Ut ad victum clerici honeste sufficiat* : sunt ipsa verba concilii. — De quo dicendum : 1. Quanti requirantur reditus beneficiales, ut sufficiant ad honestam clerici sustentationem, non determinavit, nec determinare potuit conc. Trid. : quæ determinatio proinde facienda relicta est episcopis. Revera solent episcopi, sive in synodo, sive extra synodum, præscribere summam libellarum quæ sufficiens censeatur ad honestam clericorum sustentationem : quæ vocatur *taxa synodalis* (licet *extra synodum* præfixa); quæ si desideretur, attendi debet *consuetudo diœcesis*. Hic Parisiis, taxa synodalis est 400 libellarum (400 *francs*)[1] : Romæ, 60 scutorum romanorum[2]. Clarum est posse ab episcopo hanc taxam novo statuto mutari, mutatis temporum adjunctis; posse etiam aliam esse pro clericis in civitate, aliam pro clericis ruri commorantibus. — 2. Si diœcesis, in qua possidet clericus beneficium, diversa sit a diœcesi ubi fovet domicilium, et taxæ synodales etiam diversæ sint, attendi debet taxa diœcesis in qua domicilium habet clericus : ibi enim sustentandus erit, ut dictum est supra, ubi agebatur de beneficio, tanquam ratione sortiendi episcopum proprium ordinationis (n. **38**). — 3. Si reditus beneficii non sufficiant juxta taxam synodalem, suppleri possunt, non tantum per aliud beneficium, quod clarum

[1] *Rituale Parisiense*, Lutetiæ Parisiorum, 1839, p. 312, 746.
[2] Nempe, in moneta gallica, 321 fr. 60.

est, sed etiam per *bona patrimonialia*[1]; cum enim beneficium et patrimonium sint ambo tituli legitimi, quod deest ex parte unius, suppleri potest ex parte alterius, eo magis quod finis decreti Tridentini, nempe sustentatio clerici, eodem prorsus modo obtineri possit, vel ex beneficio per se sufficiente, vel ex beneficio quod juncto patrimonio sufficiat; unde in hoc sensu respondit S. Congr. Conc., in *Seguntina*, 26 oct. 1589[2]; et ita omnes[3]; tunc tamen, ut notat in hac *Seguntina* S. Congregatio Conc., observanda erit *forma concilii* sess. XXI, cap. 2, ita ut bona patrimonialia habeant omnes condiciones a concilio requisitas (de quibus mox dicam), et episcopus non ordinet nisi pro utilitate suarum ecclesiarum. — 4. Reditus beneficii computari debet *detractis oneribus*, uti præscripsit Innocentius XII, in bulla *Speculatores*, pro beneficio, tanquam ratione sortiendi episcopum proprium ordinationis (vide textum supra, n. **38**, 1°); ratio enim eadem est, et per se patet; si enim reditus beneficii mei sit 400 libellarum, et beneficium meum gravatum sit annua pensione 100 libellarum, reipsa reditus non est nisi 300 libellarum. Agitur autem de oneribus certis et fixis, non vero de extraordinariis, ut clarum est[4]. — 5. Num autem detrahenda sint *onera missarum*, sive quando beneficiatus teneatur illas celebrare per seipsum, sive quando possit illas celebrare per alium, maxima fuit tempore Benedicti XIV controversia; soluta est autem per decisionem S. Congr.

[1] Licet hoc supplementum non admittatur, si agatur de beneficio, tanquam ratione sortiendi episcopum proprium ordinationis (supra, n. **38**, 1°).

[2] Quam refert Giraldi, part. II, sect. LIV, not. 2, p. 874.

[3] V. g., Giraldi, *loc. cit.*; — Benedictus XIV, *Inst.*, *XXVI*, n. 10; — Garcias, *De beneficiis*, part. II, c. V, n. 125-126, t. I, p. 129; — Honorante, c. I, not. 2, p. 41; — Lucidi, *De visitatione*, etc., c. II, n. 393; ed. 1878, t. I, p. 448; — Riganti, *In regulam 24 Canc.*, § 5, n. 46; Coloniæ Allobrogum, 1751, t. II, p. 405.

[4] Cf. Riganti, *loc. cit.*, § 3, n. 126, p. 358.

Conc., in *Ariminen.*, 8 et 29 aug. 1722, 15 maii et 17 julii 1723[1], quæ tandem respondit « esse relinquendum arbitrio et conscientiæ Ordinariorum »[2].

D. *Ut sit perpetuum;* hæc quidem condicio non expresse scribitur in cit. conc. Tridentini cap. *Cum non deceat;* sed clare deducitur, tum ex *fine legis*, nempe perpetua sustentatione clerici, tum ex *toto tenore capitis*, sive quia agitur de beneficio, quod de natura sua est perpetuum, sive quia prohibetur clericus ne unquam resignet hoc beneficium, ut infra dicetur; unde pluries S. Congr. Concilii respondit beneficium debere esse perpetuum[3], et ita tenent omnes. — Si tamen clericus possideat beneficium manuale, et patronus, a quo pendeat remotio beneficiati, ita se obstringat ad non removendum clericum, ut revera is nequeat usque ad mortem removeri (de quo judicet episcopus), potest ordinari ad titulum hujus beneficii, quod revera in casu erit perpetuum; ita communiter Doctores[4].

2° *Si clericus ordinatus fuerit ad titulum alicujus beneficii, non potest resignare hoc beneficium, nisi sub certis condicionibus.* Concilium enim Trid., in cit. cap. *Cum non deceat,* sic pergit : « Id vero beneficium resignare non possit, nisi *facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus;* neque ea resignatio admittatur, nisi *constito quod aliunde vivere commode possit;* et aliter facta resignatio nulla sit. » — Unde, ad resignationem præfati beneficii, duo requiruntur, sub pœna nullitatis : 1. Ut in actu resignationis, fiat *expressa et absoluta mentio* hujus facti, quod nempe clericus fuit ordinatus ad titulum hujus

[1] *Thesaurus,* t. II, p. 213, 221, 309, 338.

[2] De ipsa controversia cf. Benedictum XIV, *Discursus secretarii*, in *Thesauro,* loc. cit., p. 214-220; *Inst., XXVI,* n. 5-6; et *De synodo,* lib. XII, c. IX, n. 3-6; — Riganti, *loc. cit.,* § 5, n. 49-68, p. 405 sq.

[3] Apud Riganti, *loc. cit.,* § 5, n. 32-33, p. 404.

[4] Riganti, *loc. cit.*, n. 34-35; — Lucidi, *loc. cit.*, n. 397

beneficii; — 2. Ut *constet,* per documenta certa, clericum aliunde commode posse vivere, nempe habere vel bona patrimonialia sufficientis juxta taxam reditus, vel aliud beneficium item sufficientis reditus. Hoc autem constare debet *authentice* (agitur enim de foro externo et de validitate resignationis beneficii), et ideo requiritur ut ipse episcopus, per scriptum in forma authentica, declaret talia bona patrimonialia, vel tale beneficium, ad sustentationem clerici esse sufficientia, et *constitui in novum titulum sacræ ordinationis,* et proinde *priori titulo subrogari.* Licet ergo hæc *subrogatio, authentice facta ab episcopo,* non videatur formaliter requiri a concilio Tridentino, implicite tamen requiritur ejus decreto, et ideo omitti nequit. Quod confirmatur pluribus decisionibus S. Congr. Conc., et aliarum Congregationum, ita ut sit constans jurisprudentia Curiæ Romanæ. Ita expresse S. Congr. Conc., in *Lancianen.,* 9 febr. 1726, ad 5 et 6 [1]; ita etiam declaravit S. Congr. de Prop. Fide, 1 sept. 1856, teste hac eadem S. Congr., in *Instructione de titulo S. Ordinationis,* 27 apr. 1871, n. 11 [2].

138. — Titulus patrimonii. — De titulo patrimonii sic statuit concilium Tridentinum cit. cap. *Cum non deceat :* « Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse

[1] *Thesaurus S. C. C.,* t. III, p. 271-273. — Cf. plures alias decisiones hujus Congr., apud Monacelli, *Formularium,* ed. Romæ, 1713, t. I, p. 70, n. 2; t. II, p. 72, n. 18; t. IV, p. 80, n. 440.

[2] *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide,* n. 1179, p. 402. Habes hanc *Instructionem* ad calcem hujus voluminis, *Documentum III.*

quæ eis ad vitam sustentandam satis sint. » De quo titulo hæc dicenda :

1° *Titulus patrimonii, licet legitimus, est tamen subsidiarius et dispensativus*, et quidem in duplici sensu; nam : 1. Si quis clericus habeat beneficium sufficiens, et patrimonium, non potest ordinari ad titulum patrimonii, sed debet ordinari ad titulum beneficii. Patet ex concilio Trid., cit. cap. *Cum non deceat,* ubi ante omnia prohibet ne quis ad sacros ordines promoveatur « nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum possidere » ; unde cum postea concilium permittit aliquando eos ordinari qui patrimonium habent, non censetur hoc permittere nisi *deficiente beneficio;* unde titulus patrimonii non admittitur in clerico nisi in casu quo non habeat beneficium : quod pluries respondit S. Congr. Concilii, v. g., in *Sorana,* 26 jan. 1669, et in *Camerinen.,* 4 aug. 1685[1]; — 2. Si quis habeat patrimonium sufficiens, non ideo ordinari potest, *nisi etiam concurrat necessitas aut commoditas ecclesiarum*, quod patet cit. textu concilii.

2° *Ut patrimonium constituat titulum legitimum ordinationis sacræ,* plura requiruntur :

A. Ut sit *vere* et *actu possessum :* quod patet ex concilio Tridentino, requirente, ut visum est, patrimonium *vere a clericis obtineri.* Hinc bona ficte donata, futura patris hereditas, etc., non possunt constituere titulum legitimum.

B. Ut bona patrimonialia talia sint quæ eis *ad vitam sustentandam satis sint;* quæ sunt ipsa verba conc. Trid.; hæc autem sufficientia attenditur juxta taxam synodalem aut consuetudinem diœcesanam, ut dictum est de titulo beneficii.

[1] Apud Monacelli, *Formularium*, t. II, tit. XIII, form. 3, n. 6, p. 71; — cf. Riganti, *loc. cit.*, n. 111, p. 412; — Honorante, c. III, not. 3, p. 47.

C. Ut patrimonium constet bonis *certis* et *ex se mansuris*, saltem per vitam clerici; certa enim esse debet sustentatio clerici per totam ejus vitam; hinc quælibet bona incerta aut transitoria inepta sunt ad constituendum patrimonium sacrum. Sic non admittuntur ad titulum constituendum : 1. *Stipendia manualia missarum*, tum quia sunt incerta, tum quia clericus, in casu morbi, ea non lucrabitur; — 2. *Industria personalis clerici*, v. g., si sit pictor, musicus, etc., propter eamdem rationem[1]; — 3. *Bona hypothecis gravata*, quia nempe sunt evictioni obnoxia, etc., nisi tamen, etiam in casu evictionis, satis supersit ad clerici sustentationem.

D. Num patrimonium constitui debeat *in bonis immobilibus*, quæri potest; de quo dicendum : 1. Omnibus præferenda sunt bona *immobilia* frugifera, ut per se patet, sunt enim maxime certa; — 2. Certo sufficiunt illa bona, quæ immobilibus accensentur aut assimilantur, v. g., apud nos *census publici* (*rentes sur l'État*)[2], sive perpetui, sive vitalitii; ita etiam *census privati* (*rentes sur des particuliers ou des sociétés*), modo hi census sint etiam *reales*, id est, fundati super bonis immobilibus, quorum sint onus, et quibuscum transeant ad possessorem; — 3. Non sufficiunt annui reditus, quos clericus percipiat, vi obligationis *mere personalis*, quam quis, etiam episcopus, etiam princeps, assumat illi præbendi sustentationem; ratio est quia, pereunte persona, peribit et sustentatio; ita etiam pluries S. Congr. Conc.[3]; — 4. Si tamen hæc obligatio personalis fiat etiam *realis*, v. g., si hypotheca constituatur in bonis, si media efficacia adhibeantur ut

[1] Cf. Riganti, *loc. cit.*, § 5, n. 120-121; — item Bened. XIV, *Inst.*, *XXVI*, n. 7, ubi plures allegat S. Congr. Concilii decisiones.

[2] Licet in Codice civili gallico, art. 529, declarentur bona *mobilia*.

[3] Apud Riganti, *loc. cit.*, n. 122-123.

etiam successor aut heres obligetur, etc., sufficiet ad titulum; concilium enim Trid. non expresse exigit bona *immobilia*, sed tantum bona *talia quæ clericis ad vitam sustentandam satis sint;* — 5. Capellania mere laicalis, quæ non potest esse titulus beneficii (cum non sit beneficium), potest esse titulus patrimonii, sive sit perpetua, aut ad vitam, sive etiam sit *manualis*, modo in hoc casu patronus se obstringat ad non removendum clericum[1].

139. — 3° Non rejiciuntur patrimonia *condicionata*, condicione nempe, non *suspensiva*, sed *resolutiva*, hoc modo : *Hoc patrimonium tibi constituo, quod tamen mihi reddes, quando beneficium sufficiens assecutus fueris*, aut alia simili formula. — Ratio desumitur ex concilio Tridentino, quod, cit. cap. *Cum non deceat*, post relata (n. **138**) verba de patrimonio et pensione, hæc addit : « Atque illa deinceps sine licentia episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, *donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint.* » Cum ergo, in casu quo clericus adeptus sit beneficium sufficiens, admittatur a concilio alienatio patrimonii, hæc alienatio potest deduci in pactum seu condicionem, modo supradicto. Et ita tenent communiter doctores[2], et ipsa Congregatio Concilii id omnino licitum supponit, v. g., in *Ravennaten.*, 19 julii 1783[3]. Et ita constitui et fundari solent in pluribus regionibus sic dicta *patrimonia sacra*, quæ scilicet clericis conceduntur, ut ad eorum titulum ordinari possint, sed ea condi-

[1] Ita etiam Benedictus XIV, *Inst. XXVI*, n. 11; — Lucidi, n. 396-400, p. 449.

[2] Garcias, *De beneficiis*, part. II, c. v, n. 169, p. 134; — Monacelli, t. I, tit. III, form. 18, n. 1, p. 70; t. II, tit. XIII, form. 3, n. 18, p. 72.

[3] *Thesaurus*, t. LII, p. 147-152.

cione, ut, cum adepti fuerint beneficium sufficiens, ea dimittant, quæ iterum aliis eodem modo concedantur[1].

140. — 4° Quoad *constitutionem* patrimonii, hæc dicenda : 1. Si ordinandus *ex bonis propriis* constituat suum ad ordines patrimonium, nulla est difficultas; sufficit ut ordinandus in scripto determinet et designet hunc vel illum fundum, hos vel illos titulos (*titres de rente, d'obligations,* etc.), quos in patrimonium sacrum sibi constituere proponit; hæc porro individua bonorum determinatio necessaria est, ut hæc sacri patrimonii bona, quæ, ut infra dicetur, sunt inalienabilia, accurate secernantur a ceteris ordinandi bonis. Episcopi est, juxta relata concilii Trid. verba in cap. *Cum non deceat,* perspicere *hæc bona vere ad ordinandum pertinere, et eorum annuos reditus ad taxam synodalem pertingere:* — 2. Si parentes vel extranei patrimonium sacrum ordinando constituere velint, ei donando bona ad hoc sufficientia, requiritur omnino ut hæc donatio fiat *vere, et absque ulla fraude, et in forma juris valida;* ita præscripsit S. Congr. Concilii, in pluribus decisionibus an. 1573 et 1598[2], declarans prædicta verba conc. Trid.; unde requiritur tum ut adsit vere animus donandi, alioquin esset ficta donatio; tum ut absint quælibet pacta fraudulosa, etiam tacita, vel implicita, v. g., non percipiendi fructus, aut eos restituendi, aut reddendi bona post aliquod tempus; tum ut in hac donatione serventur præscripta legum civilium quoad validitatem; alioquin enim, si quid horum desit, donatio esset ficta, aut invalida, vel rescissioni obnoxia, et proinde violaretur lex Tridentina quæ requirit « patrimonium *vere ab ordinando obtineri* »; episcopi autem erit perspicere num omnia recte in ista

[1] Lucidi, *loc. cit.,* n. 400, p. 450.
[2] Quas refert Benedictus XIV, *Inst. XXVI,* n. 13.

donatione impleta sint; — 3. In utroque casu, nempe sive ipse ordinandus sibi, sive extranei sacrum illi constituant patrimonium, episcopus, præter supradicta quæ sunt juris communis, varias cautelas præscribere potest, quibus certius et efficacius fraudes amoveantur; sic Benedictus XIV, cum erat archiepiscopus Bononiensis, plura hunc in finem præscripsit, v. g., bona in sacrum patrimonium constituenda publicari in ecclesia parochiali, ordinandum emittere juramentum, imo et audiri testes de existentia et sufficientia bonorum, veritate donationis, etc.[1].

141. — 3° Quoad *alienationem* patrimonii sacri referenda sunt verba concilii Trid., in eodem cit. cap. *Cum non deceat;* post verba superius relata (n. **138**, initio), sic pergit concilium : « Atque illa (patrimonium et pensio) deinceps *sine licentia episcopi alienari aut extingui vel remitti*[2] *nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint,* antiquorum canonum pœnas super his innovando. » Unde : 1. Illud potissimum et directe prohibetur a concilio, nempe ne ordinatus titulo patrimonii hoc patrimonium *sine licentia episcopi* alienet, *antequam aliud medium sustentationis adeptus fuerit;* imo, in hoc casu, hæc alienatio, licet legis civilis solemnitatibus roborata, prorsus nulla est, ut concludere est tum ex particula *nullatenus*, quæ operatur nullitatem[3], tum ex jurisprudentia S. Congr. Conc., v. g., in decisionibus an. 1638, 1652, etc.[4]; — 2. Si præfatus ordinatus alienet patrimonium, ante-

[1] Benedictus XIV, *ibid.*, n. 20 sq.

[2] Vocabulum *alienari* refertur potius ad patrimonium; verba autem *extingui* et *remitti* intelliguntur potius de pensione.

[3] Cf. Barbosa, *De dictionibus usufrequentibus*, dictio 226; — Honorante, *Praxis*, etc., c. III, not. 2, p. 43.

[4] Quas refert Benedictus XIV, *Inst. XXVI*, n. 28, 29.

quam aliam sustentationem habeat, sed *cum licentia episcopi*, valida quidem est alienatio (hunc enim casum non respicit concilium), sed utique res recidit in casum ordinationis factæ scienter ab episcopo sine titulo, de quo casu dicendum est, ut infra, n. **151**; — 3. Si præfatus ordinatus alienet patrimonium sacrum sine quidem licentia episcopi, sed postquam adeptus est aliud sustentationis medium, v. g., beneficium sufficiens, pensionem, etc., valide quidem agit, ut concludi posse videtur ex textu concilii, in quo particula *donec* limitat tempus Tridentinæ sanctionis; sed illicite agit, quia agitur de titulo ordinationis, de cujus existentia et sufficientia solus legitimus judex est episcopus; unde, etiam in hoc casu, requiritur ejus licentia, et *subrogatio* ab eo facta novi tituli, in locum alienati patrimonii; et ita fert jurisprudentia Curiæ Romanæ [1]; — 4. Sub nomine *alienationis* intelligitur etiam *permutatio*, quæ proinde prohibita censeri debet sicut *venditio;* attamen, si sacrum patrimonium constitutum sit in titulis censuum publicorum, vel obligationum, etc. (*titres de rente sur l'État, d'obligations*, etc.), et ordinatus, bonam nactus occasionem, suis titulis *meliores* substituat, hic non dicetur alienasse, sed potius prudenter rem suam œconomicam administrasse; unde, ni fallor, ad hoc non egebit licentia episcopi.

142. — Titulus pensionis. — Ut patet ex cit. supra (n. **138, 141**) conc. Trid. cap. *Cum non deceat*, concilium eodem gradu ponit, in re de qua agimus, patrimonium et *pensionem*. De qua *pensione* hæc dicenda :

[1] Ita pluries S. Congr. Concilii, apud Monacelli, *Formularium*, tit. III, form. 18, n. 2, Romæ, 1713, t. I, p. 70; tit. XIII, form. 3, n. 18, t. II, p. 72; — Lucidi, *loc. cit.*, n. 422, p. 459. — Ita etiam S. Congr. de Prop. Fide, in *Instructione de titulo S. ordinationis*, n. 11, *Collectanea...*, n. 1179, p. 402, vel ad calcem hujus voluminis, *Documentum III*.

1° Agitur, in textu Tridentino, de pensione *canonica*, id est, de pensione quæ solvatur ex fructibus alicujus beneficii. Unde non agitur de pensione *civili*, quæ solvatur ex bonis publicis vel ex obligatione personali a viro privato, etiam episcopo aut principe; hæc pensio reducitur ad patrimonium, nec prodesse potest ut titulus sacræ ordinationis nisi juxta supradicta, n. **138**, 2°.

2° Cum concilium patrimonio assimilet pensionem, hæc, quatenus titulus ordinationis, obnoxia est eisdem legibus quibus patrimonium. Unde, ut præcipua attingam, requiritur ut hæc pensio sit, non solum promissa, sed *vere* et *definitive* constituta; ut *sufficiat ad honestam ordinati sustentationem* juxta taxam synodalem; ut constituta sit saltem *ad vitam ordinati* (licet admittatur pensio *condicionata* eodem modo quo admittitur, ex dictis, patrimonium *condicionatum*); tandem hæc pensio alienari, extingui aut remitti nequit, nisi sub eisdem condicionibus quibus patrimonium.

143. — Titulus paupertatis. — Titulus *paupertatis*, seu *professionis regularis*, de cujus origine supra (n. **134**, 7°) dictum est, consistit in ipso *jure*, *quod unusquisque Regularis*, *vi suæ professionis*, *adipiscitur*, nempe *ut per totam suam vitam sustentetur ex bonis conventus*, in quo emittit professionem. — Hoc jus Regularium extitit ab ipsis initiis status religiosi; cum autem requiri cœptus est, pro singulis ad sacros ordines promovendis, *titulus sacræ ordinationis*, recte pro Regularibus assignatum est præfatum jus sustentationis, quod proinde, sub hoc respectu, vocatum est *titulus paupertatis*. — De eo latius infra, cap. IX.

IV. Tituli qui requirunt indultum pontificium

144. — Notitiæ præviæ.

1° Jus commune circa titulum sacræ ordinationis continetur tum sæpe citato concilii Trid. cap. *Cum non deceat,* in quo instituuntur aut potius ordinantur tres tituli, nempe *beneficii, patrimonii* et *pensionis,* tum lege illa antiquissima, de qua dictum est, vi cujus professi Regulares ordinem sacrum recipiunt ad titulum *paupertatis.* — Extra hos titulos, omnes alii sunt contra jus commune, cui plus minusve derogant, et proinde requirunt indultum pontificium.

2° Inter hos titulos, indulto pontificio concessos, alii se referunt ad titulum paupertatis, alii ad titulum beneficii. In priore genere sunt illi omnes tituli, ad quos ordinari possunt, vel Regulares non professi, vel alumni votorum simplicium; quorum titulorum typum gerit titulus *mensæ communis,* qui maxime assimilatur titulo paupertatis; de quo præsertim agetur cap. x. — In altero genere sunt illi omnes tituli, ad quos ordinari possunt clerici sæculares sacro ministerio addicti vel addicendi; si agatur de locis *missionum,* et in genere de locis qui jurisdictioni subditi sunt S. Congregationis de Propaganda Fide, eminet præcipue titulus *missionis;* si agatur de locis qui solito modo reguntur, concessus non raro reperitur titulus *servitii ecclesiæ,* vel *servitii diœcesis,* vel *administrationis*[1], vel alterius similis appellationis.

3° Cum illi tituli sint extra jus commune, non aliis

[1] De titulo *administrationis,* qui viget in Ecclesia Mexicana, cf. *Acta S. Sedis,* t. xii, p. 569 sq. Juxta *Acta et decreta concilii plenarii Americæ latinæ,* n. 582 (Romæ, 1900, p. 254), hic titulus in usu est etiam in tota America latina.

reguntur legibus, quam ipsis indultis concessionis, in quibus cáveri solet tum de requisitis ut titulus concessus adhiberi possit, tum de juribus et obligationibus titulo annexis, tum de duratione ipsorum indultorum. Unde episcopi et ordinandi ad hæc indulta se referre debent. — Pauca tantum hic dicam de titulo *missionis*, propter magnam ejus diffusionem.

145. — Titulus missionis.

1° *Generalia.* — Titulus *missionis* consistit in *ipso jure quo fruuntur clerici* (hoc titulo ordinati), *ut ex ministerio, cui addicti sunt vel addicentur in hac vel illa missione, ad victum necessaria consequantur.* Hic titulus primo, ut videtur, concessus est alumnis collegii Hiberni Romæ ab Urbano VIII, const. *Sacrosanctæ*, pridie id. apr. 1631 [1]; deinde alumnis collegii de Propaganda Fide, ab eodem Urbano, const. *Ad uberes*, 18 maii 1638 [2], etc. Hi ergo alumni potuerunt in sacris ordinari *ad titulum missionis*, ut expresse dicebat Urbanus, ea lege ut missionibus operam darent, unde etiam sustentationem recipere possent. — Hic autem titulus extensus est etiam ad regiones episcopali hierarchia auctas; sic episcopi Statuum Fœderatorum Americæ, vi formulæ C, art. 11, facultatem habent, ad quinquennium : « Promovendi clericos sibi subditos ad subdiaconatum aliosque ordines majores usque ad presbyteratum inclusive *titulo missionis, præstito tamen ab eisdem clericis juramento, antequam subdiaconi ordinentur, quo spondeant*, ad instar pontificiorum alumnorum, *suæ diœcesi vel missioni se esse perpetuo inservituros* [3]. »

[1] De Martinis, *Juris Pontificii de Prop. Fide*, part. I, t. 1, p. 128; — cf. Honorante, *Praxis*, etc., c. XVII, p. 172.

[2] De Martinis, *ibid.*, p. 173; — cf. Honorante, *loc. cit.*, p. 173.

[3] Konings, *Commentarium in facultates apostolicas*, n. 211, Neo-Eboraci, 1898, p. 369.

Qua facultate potiuntur etiam episcopi Canadenses, vi formulæ T, n. 2[1]; item episcopi Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, etc. — Jus vigens circa hunc titulum fere totum desumitur ex ipsa formula *Indulti* et ex juramento ad quod astringuntur ordinandi. Jus autem illud diligenter declaratum est in S. Congr. de Prop. Fide *Instructione de titulo S. Ordinationis*, 27 apr. 1871[2]. — Præcipuum requisitum ut clericus ad hunc titulum ordinetur, est *juramentum ab ipso præstandum*, de quo dicendum est.

2° *Juramentum ab ordinando præstandum :*

A. *Formula juramenti.* — Ut constat tenore Indultorum (cf. cit. formulam C, art. 11), et usu constanti S. Sedis (cf. cit. *Instructionem*, n. 8), clericus, antequam in subdiaconum ordinetur, tenetur omnino juramentum emittere, quo spondeat missioni cui addictus est vel addicetur, se fore perpetuam operam daturum. Imo, ut uniformitas hac in re servetur, formulam certam atque determinatam hujus juramenti præcipit S. Congregatio de Prop. Fide[3]. Formula autem hæc est[4] :

« Ego N., filius N., diœcesis vel vicariatus N., spondeo et juro quod, postquam ad sacros ordines promotus fuero, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem, sine speciali Sedis apostolicæ licentia aut S. Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

« Voveo pariter et juro, quod in hac diœcesi aut vica-

[1] Konings, *Commentarium in facultates apostolicas*, n. 249, p. 426.

[2] *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, n. 1179, p. 402. — Habes etiam hanc *Instructionem* apud *Acta et decreta concilii plen. Baltimorensis tertii*, p. 204, Baltimoræ, 1886, et ad calcem hujus voluminis, *Documentum III.*

[3] *Instructio*, n. 8.

[4] Qualis describitur in fine dictæ *Instructionis.*

riatu (vel[1] in missione cui S. Sedi vel Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit) perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam; quod etiam præstabo, si, cum prædictæ Sedis apostolicæ licentia, religionem, societatem aut congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

« Item voveo et juro me prædictum juramentum et ejus obligationem intelligere et observaturum. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. »

Expedit ut hoc juramentum emittatur coram rectore seminarii aut collegii vel sacerdote ab eo delegato, et exemplar propria manu ordinandi subscriptum ad episcopum mittatur.

B. *Obligationes ex hoc juramento ortæ.* — Ut patet ipso juramenti tenore, ordinatus plures obligationes contrahit :

a. Ut non ingrediatur, *sine speciali Sedis Apostolicæ licentia*, quemlibet ordinem regularem ; unde hæc pars juramenti est *expresse* Sedi apostolicæ reservata.

b. Ut *perpetuo, sub omnimoda jurisdictione Ordinarii,* operam suam navet in diœcesi vel vicariatu, cui addicitur; unde etiam, vi ejusdem juramenti, transire nequit in aliam diœcesim, cui incorporetur, aut ingredi in congregationem votorum simplicium; hic nempe transitus omnino pugnat cum obligatione *perpetuo ministrandi in propria diœcesi sub omnimoda jurisdictione Ordinarii.* — Hæc quidem pars juramenti non *expresse* est reservata S. Sedi; attamen negari nequit eam pariter esse reservatam S. Sedi, ita ut sola S. Sedes, aut S. Congregatio de Propaganda

[1] Juxta hunc alterum modum jurare debent, qui nondum alicui missioni addicti fuerint.

Fide, licentiam clerico tribuere possit ad aliam diœcesim vel congregationem religiosam transeundi; nam : 1. Unitas juramenti ejusque finis, providendi nempe bono spirituali missionum, postulant ut hæc verba prioris partis, *sine speciali Sedis apostolicæ licentia*, applicentur toti juramento; — 2. Sacra Congr. de Prop. Fide constanter juramentum prædictum interpretata est in hoc sensu, v. g., in cit. *Instructione*, n. 13 : « Qui titulo certæ alicujus missionis ad ecclesiasticos ordines ascenderunt, ubi missionarii officium dimiserint, procul dubio suum amittunt titulum, ac de alio sibi providere debent; *si vero alterius missionis servitio deputentur, ut hujus missionis titulum assumant, nova opus erit S. Sedis concessione;* neque enim eis suffragatur facultas, si quam obtinuerit ejus missionis Ordinarius, memorato titulo clericos ordinandi; » ita etiam in *Responsionibus*, 4 febr. 1873, ad 4 et 5 [1].

c. Ut, etiam si ingrediatur aliquem Ordinem aut congregationem regularem cum licentia S. Sedis, *pro salute animarum laborem suum impendat in diœcesi seu vicariatu, ad cujus titulum est ordinatus*. — Constat ipsis juramenti verbis : *quod etiam præstabo*, etc. Unde non potest (sine specialissima S. Sedis licentia) ingredi Ordinem, in quo non possit adimplere hanc sui juramenti partem, nimirum Ordinem, qui non vacet operi missionum, et quidem in ipso territorio, cui ordinatus vi sui juramenti alligatus est. De quo attendenda est hæc *Declaratio* S. Congregationis de Propaganda Fide : « Quod si alumni religionem aliquam ingredi voluerint, quæ huic muneri (missionum) minime vacet, vel, quantumvis vacaverit, aut munia in fundatione collegii præscripta in ea exercere [2],

[1] *Collectanea*, etc., n. 1180, vel apud *Acta... conc. Balt.*, p. 210.

[2] Si quis enim alumnus alicujus collegii pontificii, ad præscriptum bul-

aut nationibus quibus se devoverunt prodesse non concedatur, æquum prorsus erit ut ab ea excludantur[1]; » id est, æquum est ut in eam ingrediendi ipsis licentia non detur, vel, si jam ingressi fuerint, ut ab illa exeant. Unde relinquendi videntur esse auctores[2] qui docent præfatos ordinatos, semel in Ordine regulari professos, posse a suis superioribus cuivis officio ubilibet addici.

d. Prædictum tamen juramentum non impedit quin episcopus unum aut plures sacerdotes *commodare* possit *ad tempus* alii diœcesi, etiam extra provinciam, vel alicui pio loco, v. g., collegio; hoc enim in casu, sacerdos nullo modo alii diœcesi incorporatur aut alterius missionis titulum assumit (quo in casu, ut dictum est, requiritur licentia S. Sedis); sed tantum, sic permittente episcopo, operam suam navat in hac alia diœcesi, vel in collegio; episcopus autem liberrime potest revocare in suam diœcesim suum presbyterum, et item hic presbyter potest liberrime relinquere novam diœcesim vel collegium, et petere a suo episcopo munus ecclesiasticum et sustentationem. Et ita juramentum prædictum interpretantur episcopi, v. g., in Statibus Fœderatis Americæ septentrionalis, in regione Canadensi, etc. — Propter eamdem rationem, potest episcopus commodare suum presbyterum communitati ecclesiasticæ, vel etiam congregationi, modo presbyter in his nulla vota emittat, et sic possint libere tum episcopus revocare, si velit, suum presbyterum, tum presbyter relinquere communitatem aut congregationem.

larum fundationis hujus collegii ministret, satisfacit juramento. Ita S. Congregatio de Propaganda Fide, *Declarationes* super formula juramenti, 8 apr. 1661, n. 1; *Collectanea S. Cong. de Prop. Fide,* n. 361, p. 126.

[1] Cit. *Declarationes* 8 apr. 1661, n. 4; *Collectanea,* etc., p. 127.

[2] V. g., Ballerini-Palmieri, *Opus morale,* tract. X, sect. VII, n. 85, not., Prati, 1892, t. V, p. 757; — Konings, *Commentarium,* etc., n. 211, p. 371.

C. *Relaxatio juramenti.* — Ut ex dictis patet, relaxatio hujus juramenti quoad omnes ejus partes, reservatur S. Sedi; unde si velit ordinatus vel ingredi Ordinem aut quamlibet congregationem votorum simplicium vel transire ad aliam diœcesim aut vicariatum, recurrendum est ad S. Sedem. — Duo tamen notanda : 1. Episcopi Angliæ, quorum diœceses unam tantum constituunt provinciam ecclesiasticam, speciale indultum a S. Sede impetrarunt, vi cujus clericus, ordinatus ad titulum missionis, ita alligatus est diœcesi suæ, ut tamen transire possit ad aliam diœcesim *in eadem prædicta provincia ecclesiastica*, sine recursu ad S. Sedem et sine emissione novi juramenti, ita ut tunc sufficiat consensus utriusque Ordinarii, juxta modum solitum excorporationis et incorporationis; ita ex indulto S. Congr. de Prop. Fide, 18 aug. 1885[1]; — 2. Hoc idem indultum postularunt et impetrarunt episcopi Statuum Fœderatorum Americæ, quorum proinde subditi, ad titulum missionis pro tali diœcesi ordinati, possunt alii diœcesi incorporari, sed *in eadem provincia ecclesiastica tantum*, sine recursu ad S. Sedem et sine emissione novi juramenti; ita ex indulto S. Congr. de Prop. Fide, 30 nov. 1885[2].

3° *Indoles tituli missionis :*

A. Hic titulus, etsi longe lateque diffusus, est tamen *extraordinarius*, et præter jus commune, cui ex parte derogat. Unde si quis clericus, ad subdiaconatum promovendus, habeat patrimonium sufficiens, expedit ut ad titulum hujus patrimonii ordinetur[3], nec cogi potest ut assu-

[1] *Collectanea*, n. 1181, p. 403.

[2] *Collectanea*, n. 1182, p. 403, vel apud *Acta... conc. Balt.*, p. CIV.

[3] Non tamen, ut puto, necessarium est, ut ad titulum patrimonii ordinetur; nam formulæ indultorum potestatem concedunt episcopis, sine ulla distinctione et exceptione, ordinandi subditos *ad titulum missionis;* unde etiam divites hoc titulo ordinare possunt.

mat titulum missionis. Imo « hortatur S. Congregatio Ordinarios, ut, quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra ordinatione introducantur »[1].

B. Hic titulus non est *inamissibilis,* id est, ut clarius loquar, jus illud quod habet ordinatus ad titulum missionis ut ex bonis missionis sustentetur, potest amitti, nempe si clericus se indignum reddat sacri ministerii exercendi. Si enim, ut jure communi certum est et omnes admittunt[2], clericus, ordinatus ad titulum alicujus beneficii, potest, servatis servandis, hoc ipso beneficio, in pœnam sui delicti, privari, a fortiori clericus, ordinatus ad titulum missionis, potest jure inde quæsito privari; titulus enim legitimus et canonicus majora jura tribuit quam titulus extraordinarius et dispensativus. — Unde, S. Congregatio de Prop. Fide, in *Responsionibus,* 4 febr. 1873, ad 1, cum ab ea peteretur : « Utrum et quomodo declarandum sit sacerdotes titulo missionis ordinatos, qui se indignos reddiderunt sacri ministerii exercendi, hoc titulo privari, neque Ordinarium teneri ad sustentationem illis præbendam, » respondit : « In casu, prout exponitur, prævia declaratione ejusmodi sacerdoti ab episcopo facienda, et quamdiu prædictus sacerdos in sua prava vivendi consuetudine perseveret, nullum exhibens sinceræ resipiscentiæ signum, *episcopum non teneri ad sustentationem illi præbendam.* — Sejunctim autem a resolutione dubiorum per epistolam significetur Ordinario (eidem episcopo), ut ad dictam declarationem non deveniat, nisi postquam paternis ac repetitis monitis ejusmodi sacerdotem ad resipiscendum frustra invitaverit, atque de ejus criminibus et publica diffamatione probationes certas etiam extrajudicialiter conquisitas sibi comparaverit, quas in

[1] Ita in cit. *Instructione,* n. 14.

[2] Cf. Honorante, *Praxis,* etc., c. III, not. 2, p. 44.

casu recursus exhibere valeat sacræ Congregationi [1]. »

C. Item huic titulo potest alius legitimus *substitui;* si nempe sacerdos decursu temporum acquirat *beneficium* vel *sufficiens patrimonium,* potest titulo missionis, ad quem fuit ordinatus, substituere titulum beneficii aut patrimonii; verum cum hac in re minuantur jura episcopi et obstet juramentum, petendus est consensus episcopi et simul licentia S. Congregationis de Prop. Fide.

V. De usu Ecclesiæ Galliarum

146. — Consuetudo Ecclesiæ Galliarum in re præsenti. — De facto, in diœcesibus Galliarum, episcopi plerosque clericos ad sacros ordines promovent sine titulo beneficii aut patrimonii. — Cum hæc res sit *facti,* sufficiat allegare quædam testimonia :

1. Gousset, in sua *Théologie morale,* hæc habet : « Vu le triste état où se trouve l'Église en France, les évêques n'exigent de titre clérical que d'un certain nombre d'ordinands. Le droit, pour ce qui regarde le titre de bénéfice, a peu d'application parmi nous. Si on n'ordonnait que ceux des clercs qui peuvent se procurer un titre patrimonial, il faudrait laisser le plus grand nombre des paroisses sans prêtre et sans culte. Mais un évêque, pour ne pas s'écarter de l'esprit de l'Église, n'admet aux ordres sacrés que les sujets nécessaires ou utiles à son diocèse; il ne doit pas en ordonner d'autres, à moins qu'ils n'aient un titre patrimonial, ou le titre de pauvreté religieuse [2]. »

2. Bouvier pariter hæc dicit : « In Gallia, lex civilis diei 8 aprilis 1802, vulgo *Articles organiques,* prohibuit

[1] *Collectanea,* n. 1180, vel apud *Acta... conc. Balt.,* p. 210.

[2] *Théologie morale,* Paris, 1846, t. II, n. 669, p. 454; ita etiam in editionibus 1855, 1869.

episcopis (art. 26) ne ullum clericum sacris initiarent, nisi probaret se patrimonium trecentos nummos annuos (300 *francs*) producens, habere. Numquam episcopi assenserunt huic dispositioni, bono ecclesiarum regimini omnino adversæ; sed ea contempta, sacros ordines indiscriminatim contulerunt eis omnibus, quos ecclesiis suis necessarios vel utiles judicabant, nullum exigentes titulum, quia multo pluribus adhuc sibi opus fuisset sacerdotibus[1]. »

3. Ita etiam Lequeux testatur episcopos promovere clericos ad sacros ordines sine titulo, addens *hodie vix aliter posse fieri clericorum ordinationes*[2].

4. Bouix, adductis præfatis testimoniis, ita concludit : « Ex adductis testimoniis videtur in Galliis revera inducta consuetudo a tempore concordati 1801, ut episcopi propria auctoritate clericos absque canonico titulo sacris ordinibus initient, quando id expedire, ob diœceseon suarum necessitatem aut utilitatem, existimant[3]. »

5. André supra relata verba D. Gousset mutuatur suaque facit[4].

6. Icard sic exponit vigentem in Gallia disciplinam : « In Galliis statuta diœcesana præfiniunt quis reditus annuus requiratur ad constituendum titulum, licet sit per se insufficiens ad vitæ sustentationem. Sed status plerorumque clericorum qui nec pensionem certam, nec fundum frugiferum ex sua familia habere queunt, necessitatem induxit, ut supra diximus, ut clerici ordinentur sub ea tacita condicione, quod ministerio sibi committendo in diœcesi operas suas dabunt[5]. »

7. Item multi alii, imo omnes sine ulla exceptione au-

[1] *Institutiones theologicæ*, Parisiis, 1853, t. IV, p. 59.
[2] *Compendium juris canonici*, ed. 1843, t. II, p. 147.
[3] *De episcopo*, Parisiis, 1859, t. II, p. 180.
[4] *Cours de droit canon*, V° *Titre*, § 2, Paris, 1860, t. VI, p. 260.
[5] *Prælectiones juris canonici*, n. 324, Parisiis, 1893, t. II, p. 29.

ctores galli, idem factum testantur, nempe episcopos a tempore concordati anni 1801 consuevisse clericos ad sacros ordines promovere sine titulo, quando hoc requiri judicant ad bonum suarum ecclesiarum. Et revera hoc factum negari nequit; est enim factum maxime frequens et publicum.

147. — Legitimitas hujus consuetudinis. — Quidam auctores legitimitatem hujus consuetudinis negant aut saltem in dubium revocant; ita Vecchiotti, Gasparri, Bouix, Craisson[1]. Verum ita distinguendum est:

1° Si agatur *in abstracto* de consuetudine, vi cujus episcopi promoveant clericos ad sacros ordines sine ullo titulo, quin postea curent eorum sustentationem, negari nequit talem consuetudinem esse irrationabilem; tunc enim in periculum adducitur decus ordinis clericalis, dum clerici, quovis medio sustentationis destituti, vel mendicare vel sordidos quæstus exercere coguntur : quibus malis obviare voluit conc. Trid., cit. cap. *Cum non deceat.*

2° Si vero agatur de consuetudine *in concreto,* nempe de consuetudine, qualis revera recepta est in Gallia, omnino rationabilis videtur. Nam : 1. Impossibile est hodie ut præsto sint tituli beneficiales aut patrimoniales pro plerisque clericis, sive quia non sunt beneficia quæ junioribus clericis conferri possint, sive quia plerique clerici neque ex suis, neque ex paternis bonis habere possunt, unde sibi ad normam juris communis constituant patrimonium; quod adeo verum est ut id omnes fateantur,

[1] Vecchiotti, *Institutiones canonicæ,* Augustæ Taurinorum, 1876, t. III, § 29, p. 46; — Gasparri, *De sacra ordinatione,* n. 614, t. I, p. 411; — Bouix, *loc. cit.,* p. 182, ubi ait : « Tutam in praxi dicere non auderem præfatam consuetudinem; » — Craisson, *Manuale totius juris canonici,* n. 2010, Parisiis, 1865, t. 2, p. 249, ubi *rem remittit prudentiorum judicio.*

etiam Bouix[1]; imo, cum lex civilis, sic dicta *Articles organiques*, art. 26 (an. 1802), præscripsisset pro singulis ad sacros ordines promovendis reditus annuos 300 libellarum, cardinalis Caprara, nomine S. Sedis, protestatus est contra hunc articulum, dicens : « Il est indubitable que cette clause fera déserter partout les ordinations et les séminaires[2]; » unde etiam mox iste articulus abrogatus est ab ipso Napoleone, decreto diei 28 febr. 1810, art. 2[3]; — 2. Nec ideo adducitur in periculum decus ordinis clericalis; nam : *a.* dum singuli ad sacros ordines promoti remanent in seminario, de sua sustentatione securi sunt; si enim pauperes sint, pro eis quotannis ex ærario diœcesano solvuntur congrua præstimonia (*bourses*); — *b.* statim aut fere statim post receptum presbyteratus ordinem, eis ab episcopo committitur aliquod officium, plerumque vicarii, capellani, etc., unde sibi victum facile quærere possint; ab hoc autem officio non removeri solent, nisi ut ad aliud promoveantur; — *c.* cum diœceses sint amplæ, imo quædam amplissimæ, non solent deesse officia, quæ sacerdotibus committi possint, eo magis quod sollicite curant episcopi, ne plures ordinent presbyteros, quam requirat necessitas aut utilitas suæ diœcesis; — *d.* quod si sacerdotes sint infirmi aut senes, ita ut facti sint inhabiles ad officia sacra, et aliunde non habeant bona propria, eorum sustentationi consulitur variis modis, v. g., per pensiones quæ impetrantur et solvuntur a gubernio civili, et præsertim per varias pecuniarum collectas (*caisses de retraite*, *caisses de secours*, etc.)[4]; — 3. Unde cum episco-

[1] *Loc. cit.*, p. 177-178.

[2] Videas cit. art. apud Champeaux, *Recueil général du droit civil ecclésiastique*, Paris, ed. 2, t. II, p. 29, et « Protestationem » card. Caprara, *ibid.*, p. 180.

[3] Apud Champeaux, *loc. cit.*, p. 432.

[4] Etiam lege civili (decreto nempe 13 thermidor an XIII, id est,

pus, promovendo clericos ad sacros ordines, suscipere censeatur obligationem, imo revera, in omnium æstimatione, suscipiat obligationem providendi eorum sustentationi per varia ministeria illis committenda, et postea, cum facti fuerint sacri ministerii incapaces, per congruas, in quantum possibile erit, pecuniarum largitiones, adest revera in horum clericorum ordinatione quasi *titulus implicitus,* nempe *servitii diœcesis,* aut *ecclesiæ;* qui titulus non est absimilis vel huic titulo *administrationis,* qui, ut dictum est (n. **144,** 2°), passim viget in America latina, et quem probavit S. Congr. Conc., in *Chiapensi,* 21 junii 1879[1], vel titulo *servitii ecclesiæ,* qui, ut statim dicetur, receptus est in Ecclesia Orientali, vel imo ipsi titulo primitivo, quem instituit concilium Chalcedonense, vi cujus clerici pro aliqua ecclesia ordinabantur, ex cujus reditibus alebantur; — 4. Adeo autem rationalis est hæc gallica consuetudo, et nostrorum temporum adjunctis accommodata, ut in concilio Vaticano multi Patres eam proposuerint, ad hoc ut tamquam jus approbaretur et constitueretur. Sic enim legimus in schemate *De titulis ordinationum :* « ... Decernimus, ut, in quibus diœcesibus neque sufficiens beneficiorum aut pensionum ecclesiasticarum numerus est, neque patrimonii titulus servatis sacrorum canonum præscriptionibus constitui potest, liceat episcopis eos quos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum assumendos judicaverint, ordinare titulo patrimonii ipsorum judicio congrui, et majori qua fieri potest securitate constituendi; et si nec ita patrimonium haberi

1 aug. 1805, art. 1, apud Champeaux, *loc. cit.,* p. 339) cautum est ut sexta pars redituum ex locatione sedium et scamnorum in singulis ecclesiis quotannis ortorum, in usum impendatur sacerdotum ætate aut infirmitate gravatorum; alicubi tamen, v. g., hic Parisiis, non est nisi decima pars.

[1] *Acta S. Sedis,* t. XII, p. 569.

possit, *eosdem episcopi ordinent titulo servitii suæ diœcesis seu ecclesiæ, et de ecclesiastico officio provideant, quo decenter sustentari valeant. Curent autem episcopi, sive per oblationes fidelium..., sive per alia pro locorum opportunitate comparanda subsidia id efficere, ut et is habeatur sacrorum ministrorum numerus quem Dei cultus ac fidelium cura postulat, et eorum qui indigent inopia sublevari queat*[1]; » — 3. Proinde cum prædicta consuetudo sit rationabilis, et cum per diuturnum tempus, imo centum jam annis, viguerit, dubitari nequit de ejus legitimitate.

148. — Jura clericorum præfato modo ordinatorum.

1° Clerici, de quibus agitur, jus habent ut sustententur ab episcopo. Ut enim supra diximus, juxta consuetudinem, qualis viget et qualis ab omnibus intelligitur in Galliis, episcopus, qui ordinat clericos sine titulo, suscipere censetur, imo revera suscipit obligationem sustentandi hos clericos; porro huic episcoporum obligationi respondet, tamquam correlativum, jus clericorum ad sustentationem. — Unde si episcopus nolit aut nequeat hos clericos sustentare committendo ipsis munus ecclesiasticum, unde ali possint, tenetur saltem præbere illis alimenta, « nisi, ut fert cap. *Episcopus*, 4, De præbendis (supra relatum, n. **134**, 2°) talis ordinatus, *de sua vel paterna hereditate, subsidium vitæ possit habere;* » ad normam quippe hujus canonis intelligenda videtur præfata consuetudo; non enim episcopi censentur graviorem sibi assumere obligationem, quam ea, quæ ipsis in jure canonico imponitur.

2° Jus illud clericorum ad sustentationem non est *inamissibile;* si nempe clericus *sua culpa gravi* se reddat

[1] Martin, *Omnium conc. Vat. documentorum collectio*, ... Paderbornæ, 1873, p. 144; — *Acta conc. Vatic.*, coll. Lac., p. 669.

indignum aut incapacem sacri ministerii, jus amittit ad sustentationem, et idcirco non amplius tenetur episcopus illi præbere alimenta. — Ratio est quia in his sine titulo ordinationibus inest *quasi-contractus* implicitus; ex una enim parte, suscipit episcopus obligationem sustentandi clericum; ex altera parte, suscipit clericus obligationem ministrandi in diœcesi; non enim episcopus illum ordinare intendit, imo nec ordinare potest, *nisi pro necessitate aut utilitate suarum ecclesiarum*, ita ut ministerium a clerico postea præstandum, sit, ex parte episcopi, vera causa quasi-contractus prædicti; si ergo clericus, *propria culpa gravi*, se reddat inhabilem ad hoc ministerium præstandum, cessat causa quasi-contractus, et proinde etiam obligatio episcopi ad sustentationem. — Quando sane clericus redditur ad ministerium inhabilis *senectute*, *morbo*, aut alio simili impedimento, non cessat quasi-contractus nec obligatio episcopi; hæ enim vicissitudines sunt in ipsa rerum natura, et proinde prævidentur, aut prævideri debent, et contentæ censentur in ipso quasi-contractu; unde remanet causa hujus quasi-contractus, et obligatio episcopi. Longe vero aliter se res habet, si clericus propria sua culpa gravi se reddat inhabilem ad ministerium; hæc enim rerum vicissitudo non supponitur, nec prævidetur, imo prævidetur numquam extitura; si enim prævideret episcopus hunc clericum se postea *propria culpa gravi* redditurum inhabilem ad ministerium, numquam eum ordinaret neque ordinare posset. Unde si contingat gravis culpa clerici, quæ reddat eum inhabilem, cessat causa quasi-contractus, et proinde obligatio episcopi. — Quod egregie confirmatur ex his quæ supra dicta sunt (n. **145**, 3°) de amissibilitate tituli missionis, cui valde affinis est *titulus implicitus servitii diœcesis*, de quo nunc loquimur. — Caute tamen notandum, ut episcopi cesset

obligatio sustentandi clericum, non sufficere hujus clerici culpam gravem, quæ reddat illum ad ministerium inhabilem; sed requiri etiam ut episcopus hujus culpæ gravis « *probationes certas* etiam extrajudicialiter conquisitas sibi comparaverit, quas in casu recursus exhibere valeat Sacræ Congregationi » (supra, n. **145,** 3°); cum enim hæc cessatio sustentationis sit quasi pœna, datur clerico recursus ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium, vel ad S. Congregationem Concilii, ad quam proinde mittere debebit episcopus omnia documenta ad rem pertinentia.

VI. De disciplina Ecclesiæ orientalis

149. — Disciplina Orientalium.

1° Orientales, quod titulum sacræ ordinationis respicit, nullam aliam legem scriptam norunt, præter canonem sextum concilii Chalcedonensis. Unde lex scripta apud eos est, ut « nullus sæcularis ordinetur diaconus aut presbyter, qui non habeat titulum ecclesiæ, unde vitam honeste sustentare possit »[1].

2° Attamen, in usu rerum, hodie generatim ordinantur « ad titulum *diœcesis*, ita ut ordinatus jus habeat applicationis ad aliquod officium diœcesanum et perceptionis beneficii cum eo conjuncti; quod si non adimpleatur, episcopus qui ordinavit, ordinatum intertenere debet[2] ». Locus tamen non est huic obligationi episcopi, si ordinatus habeat de suis vel paternis bonis unde vivere possit;

[1] Ita conc. Montis Libani, an. 1736, part. II, c. XIV, n. 31, coll. Lac., t. II, p. 240; part. II, c. XIV, n. 12, p. 231. — Cf. etiam concilium provinc. Ruthenorum, an. 1720, tit. III, § 7, *ibid.*, p. 41; — item ultimum concilium Syrorum Unitorum, an. 1888; *Synodus Sciarfensis Syrorum*, c. V, art. 13, § 3, n. 5, Romæ, 1897, p. 138.

[2] Papp-Szilagyi, *Enchiridion juris Orientalis*, Magno-Varadini, 1880, p. 183.

quod concludi videtur ex conc. Montis Libani, quod, post verba citata, sic pergit : « Aut igitur habere debet (clericus) ex ecclesia, cujus servitio addicitur, unde vivat; aut patrimonium sufficiens de sua vel paterna hereditate constitutum, quod ipsi subsidium vitæ præstet; aut saltem per honestum artificium vel per litteras victum quærat [1]. »

3° Juxta hoc idem concilium, alumni collegii Maronitarum, in Urbe, ordinantur ad titulum *missionis*, et vivunt ex reditibus missionum, quibus postea addicuntur [2].

4° Regulares ordinantur ad titulum professionis monachalis, ex antiquissimo usu, ut apud Latinos.

VII. Pœnæ contra violatores legum canonicarum de titulo ordinationis

150. — Pœnæ contra episcopos ordinantes. — Duplex pœna contra eos statuta est, nempe *suspensio*, et *pœna*, ut ita dicam, *pecuniaria* :

1° *De pœna suspensionis;* statuta est in duplici casu :

A. *Prior casus.* — Sic statuitur in const. *Apostolicæ Sedis*, De suspensionibus, n. 2. « Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. » Origo hujus suspensionis referenda est ad Gregorium IX, qui, in cap. *Si quis ordinaverit*, 45, De simonia, hanc pœnam in eodem casu et fere iisdem terminis sancivit. — De qua suspensione hæc dicenda :

a. Ut incurratur, duo copulative requiruntur : 1. Ut desit titulus beneficii vel patrimonii; 2. Ut adsit pactum

[1] *Loc. cit.*, p. 240.
[2] *Ibid.*

præfatum. — Quoad prius, notandum est non incurri suspensionem, si titulus sit *insufficiens*, quia revera adest aliquis titulus, — nec si titulus sit *resolutioni obnoxius*, quia interim non deest titulus, — nec si titulus sit *fiduciarius*, id est, cum condicione non petendi fructus, aut eos restituendi, quia hæc condicio irritatur a concilio Trid. [1], — imo nec si titulus fuerit *ficte* donatus, id est, si patrimonium fuerit donatum *sine vero animo illud donandi*, quia, quidquid est de foro interno, donatio valet in foro externo, potestque episcopus fictum donatorem, in pœnam sui delicti, bonis ficte donatis privare [2]. — Quoad posterius, requiritur, ex ipso cit. textu, pactum *ut ordinatus non petat ab episcopo alimenta;* et quidem, quia sumus in materia odiosa, requiritur pactum *expressum;* unde non sufficit *promissio simplex* ordinandi, nec *spes* quam etiam exterius manifestet episcopus.

b. Hæc suspensio incurritur, sive episcopus ordinet *proprium* subditum, sive *alienum*, quia lex non distinguit; extenditur ad collationem *omnium ordinum*, non vero tonsuræ, quæ probabilius non est ordo; hæc suspensio non durat nisi per *triennium*, quo expleto, pœna ipso facto cessat; interim vero, id est, durante triennio, reservatur simpliciter R. Pontifici, ut patet ipso textu bullæ *Apostolicæ Sedis :* « Suspensiones latæ sententiæ *Summo Pontifici reservatæ.* » — Quidquid autem dicunt plures auctores [3], episcopus *dimittens* non incurrit hanc censuram,

[1] Hoc enim concilium, cit. cap. *Cum non deceat,* ut supra dictum est, prohibet et irritat *alienationem* aut *remissionem* patrimonii, factam sine licentia episcopi, et subrogatione alterius tituli.

[2] De quo cf. Benedictum XIV, *Inst. XXVI,* n. 18; — Monacelli, *Formularium,* tit. III, form. XIII, n. 4, t. I, p. 67. — De pactis fiduciariis vel fictione in constituendo patrimonio sacro, cf. etiam Thesaurus, *De pœnis,* V° *Ordo,* c. XI, n. 6, p. 313 sq.

[3] Apud Piat, *Commentarius in const. Apostolicæ Sedis,* in hunc locum, Tornaci, 1881, p. 293.

quia bulla plectit *ordinantem*, et pœnæ strictissimam interpretationem recipiunt.

B. *Posterior casus.* — Sic statuitur in const. *Apostolicæ Sedis*, De suspensionibus, n. 4 : « Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit, absque titulo beneficii vel patrimonii, clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo. » Origo hujus suspensionis referenda est ad S. Pium V, qui, in const. *Romanus Pontifex*, die 14 oct. 1568[1], hanc pœnam in eodem casu, restrictam tamen ad collationem ordinum sacrorum, sancivit. Per hæc verba : « Religioso nondum *professo*, » intelligitur, ut patet, nondum professo *solemniter*.

151. — 2° *De pœna pecuniaria.* — Episcopus qui *sua culpa* contulit *ordinem sacrum* clerico *sine titulo beneficii, tenetur illum sustentare, nisi clericus de suis vel paternis bonis habeat unde sustentetur.*

A. *Demonstratur assertum :* 1. Cap. *Non licet*, 2, De præbendis : « *Non licet ulli episcopo ordinare clericos et eis nullas alimonias præstare;* sed duorum alterum eligat : vel non faciat clericos, vel, si fecerit, det illis unde vivere possint; » in quo canone ponitur principium, nempe obligatio, qua premitur episcopus, providendi sustentationi clericorum, quos in sacris ordinavit; — 2. Cap. *Episcopus*, 4, eod. tit. : « Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit, *tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua ecclesia ei convenientia stipendia militiæ clericalis assignet; nisi talis ordinatus de sua vel*

[1] *Bull. Rom.*, t. IV, part. 3, p. 46-47.

paterna hereditate subsidium vitæ possit habere; » per *titulum* de quo agit Alexander III in hoc capite, intelligitur, juxta disciplinam illius ætatis, *beneficium* ecclesiasticum; — 3. Cap. *Cum secundum*, 16, eod. tit., in quo Innocentius III hæc ait : « Licet autem prædecessores nostri[1] ordinationes eorum qui sine certo titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas esse voluerint et inanes, nos tamen benignius agere cupientes, *tamdiu per ordinatores vel successores eorum provideri volumus ordinatis,* donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur; » quam legem deinde applicat episcopo, cujus prædecessor ordinaverat aliquem clericum ad subdiaconatum; — 4. Cap. *Si episcopus,* 37, eod. tit., in VI, quod infra refertur[2].

B. *Requisita ut hæc pœna incurratur;* ut episcopus dictam sustentandi clericos obligationem contrahat, tria concurrere debent : 1. Ut clerico contulerit ordinem sacrum, nempe a subdiaconatu, et supra; quamvis enim cit. cap. *Non licet* loquatur de quibusvis ordinibus, attamen tria alia cit. capita non memorant obligationem nisi pro ordinibus sacris; ceterum, ut supra (n. **136**) dictum est, brevi mos invaluit ut necessitas tituli restringeretur ad ordines sacros; — 2. Ut episcopus sit *in culpa,* id est, ut sua culpa contulerit ordinem sacrum sine titulo; hoc enim perpetuo supponitur in textibus juris, v. g., in cit. cap. *Cum secundum;* ceterum diserte exprimitur in cit. cap. *Si episcopus,* 37, eod. tit., in VI, in quo hæc leguntur : « Si episcopus, cui, nullis personis expressis, in genere commisisti ut vice tua ordines in tua diœcesi celebraret, ad sacros ordines promoverit quempiam titulum

[1] Alludit Innocentius ad plures Rom. Pontifices qui canonem sextum Chalcedonensem in conciliis vel in propriis decretalibus confirmaverant.

[2] De hac obligatione sustentandi clericum cf. Fagnan, in cap. *Cum secundum*, 16, De præb., n. 20-62, Vesuntione, 1740, t. II, p. 85 sq.

non habentem, ei, *cum in culpa fuerit taliter ordinando eumdem,* tenebitur vitæ necessaria ministrare, donec, etc. Si vero certas commisisti eidem ordinare personas, tu, *qui prævidere hoc casu an haberent titulum debuisti,* taliter ordinato ad prædicta... obligatus existis. » Unde si episcopus absque sua culpa ordinaverit, v. g., si deceptus fuerit a clerico, dictam pœnalem obligationem non contrahit; — 3. Ut clericus *non habeat aliunde unde vivat;* quod expresse cavetur in cit. cap. *Episcopus,* et etiam in illis omnibus juris capitibus quæ de titulo patrimonii agunt (supra, n. **134**). Unde si episcopus clericum ordinaverit sine titulo quidem beneficii, sed cum titulo patrimonii sufficientis, obligationem non contrahit clericum sustentandi.

C. *Quinam contrahant dictam pœnalem obligationem :*

a. *De ipso episcopo ordinante;* regula generalis est, ut ex dictis patet, episcopum ordinantem sine titulo teneri ad sustentationem clerici sic ordinati; huic tamen regulæ datur duplex exceptio : 1. Si episcopus ordinaverit *alienum subditum cum litteris dimissoriis proprii episcopi;* constat cit. cap. *Si episcopus,* 37, De præb., in VI, ubi, post verba superius relata, sic pergit Bonifacius : « Eis autem (clericis), quibus a Diœcesanis datur licentia, ut possint a quo voluerint episcopo ad omnes sacros ordines promoveri, *non qui ordinant, sed qui tribuunt licentiam, cum eam dare non debeant titulum non habenti,* ad præmissa, si titulum non habeant, obligantur. » Ceterum notissimum est episcopum, ad quem episcopus proprius clericum suum dimittit ordinandum, non teneri inquirere in dotes ordinandi, sed posse fidem habere episcopo proprio[1]; — 2. Si episcopus ordinaverit alumnum Ordinis regularis vel

[1] Cf. Fagnan, *loc. cit.,* n. 58 sq.

congregationis, rite dimissum ad eum a suis superioribus; ratio est tum quia hic casus fere recidit in præcedentem, tum quia Innocentius, cit. cap. *Cum secundum*, dum imponit episcopo ordinanti obligationem sustentandi clericum, expresse et diserte dicit episcopum ad ordinationem processisse *nullo præsentante;* porro in nostro casu superior religiosus episcopo *præsentat* alumnum ordinandum [1].

b. *De successore episcopi ordinantis;* successor episcopi qui culpa sua clericum sine titulo ordinavit, tenetur et ipse sustentare clericum, sive ejus prædecessor jam cœperit hunc sustentare, sive non. Clarissime constat relatis Innocentii verbis cap. *Cum secundum :* « Tamdiu per ordinatores vel *successores eorum* provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur. » — Nec dicas successorem numquam conveniri ex culpa prædecessoris. Id enim in genere verum est, sed hic militat ratio specialissima, nempe decus ordinis clericalis, cui providere tenetur episcopus; unde præfata sustentandi clericum obligatio erit quidem *pœna* pro episcopo delinquente, pro successore vero ejus erit *officium* muneris ejus [2]. — Nec addas heredes episcopi teneri etiam ad hunc clericum sustentandum (ut statim dicetur , et proinde non requiri ut successor episcopi teneatur. Id enim theoretice verum est; sed, de facto, heredes episcopi vel obligationem suam non agnoscent, vel eam adimplere abnuent; quod probe animadvertens Innocentius clerici sustentationem rejicit in episcopi successorem.

c. *De heredibus episcopi ordinantis;* jure naturali, si episcopus gravi culpa sua clericum sine titulo ordinaverit, teneri videntur ejus heredes ad hunc clericum sustentandum; ratio est quia heredes, qui accipiunt bona defuncti,

[1] Cf. Fagnan, *ibid.*, n. 50 sq.
[2] Fagnan, *ibid.*, n. 26 sq.

ea accipiunt cum omnibus debitis et oneribus suis, sive hæc debita seu onera orta sint ex contractu, sive ex *delicto*[1]; quod etiam, quoad debita ex *delicto*, supponit jus canonicum, cap. *Parochiano*, 14, De sepulturis, et cap. *In litteris*, 5, De raptoribus; porro si episcopus præfato modo clericum ordinaverit, ex delicto contraxit debitum erga hunc clericum, quo debito onerata remanent ejus bona; ergo heredes ad hoc debitum solvendum tenentur[2]. Quia tamen, ut dixi, haud facile erit heredes ad hoc officium implendum adducere, ideo Innocentius hanc heredum obligationem silet (quin tamen eam neget), remque totam dimittit et imponit successori episcopi.

152. — Pœnæ contra clericos sine titulo ordinatos.

1° Ante Pii IX const. *Apostolicæ Sedis*, clericus qui gravi culpa sua sine titulo beneficii aut patrimonii fuerat ordinatus, obnoxius erat suspensioni latæ sententiæ. — Hanc pœnam tulit primo concilium Chalcedonense, can. 6, ubi has ordinationes, ut dictum est, irritas et inanes esse jussit; istam quidem suspensionem suppressit Innocentius cit. cap. *Cum secundum;* sed eam, saltem ex parte, restituit Gregorius IX, cap. *Si quis ordinaverit*, 45, De simonia, ubi suspensione Rom. Pontifici reservata plectit clericum qui ordinatur ab episcopo, promittens ei seu jurans, se sustentationem ab ipso non esse petiturum; deinde suspensionem Chalcedonensem, cum aliis pœnis antiqui juris, innovavit generaliter concilium Trid., cit. cap. *Cum non deceat,* in cujus fine hæc addit : « *Antiquorum canonum pœnas* super his innovando; » licet non desint controversiæ circa complexum horum verborum, probabilius

[1] Cf. Carrière, *De justitia*, n. 558, Parisiis, 1839, t. II, p. 179.
[2] Cf. Fagnan, *loc. cit.*, n. 36 sq.

tamen est pœnam Chalcedonensem his verbis innovari [1].

2° Vi const. *Apostolicæ Sedis,* cessavit ista suspensio, quæ in ipsa non memoratur, nec directe lata fuit a conc. Trid., sed tantum, ut dixi, generaliter ab eo innovata. — Unde hodie non sunt pœnæ latæ sententiæ contra clericos sine titulo ordinatos.

§ 4. De jejunio et exercitiis spiritualibus.

I. De jejunio [2]

153. — Disciplina antiqua. — 1. Sanctus Leo, epist. IX, *Ad Dioscorum,* cap. I, refert tamquam *usum a Patribus propensiore cura servatum,* ut, ad peragendas ordinationes, « post diem sabbati, ejus noctis, quæ in prima sabbati lucescit, exordia deligantur, in quibus *his qui consecrandi sunt jejunis,* et *a jejunantibus* sacra benedictio (diaconatus, vel presbyteratus vel episcopatus) conferatur [3]. » Revera jam legimus in *Actibus Apostolorum,* XIII, 2, 3 : « Ministrantibus autem illis Domino, et *jejunantibus,* dixit illis Spiritus Sanctus... Tunc *jejunantes,* et orantes, *imponentesque eis manus,* dimiserunt illos; » — 2. Imo jubet S. Leo, ut si ordinatio protrahatur ad diem dominicam, vel quocumque modo fiat mane diei dominicæ, *continuetur jejunium sabbati; ibid.;* — 3. S. Gelasius, decreto supra (n. **92**) relato, alligat ordinationes diaconorum et presbyterorum quinque sabbatis, in quibus præscriptum erat jejunium, nempe sabbatis quatuor temporum et

[1] Quas controversias, utpote nunc inutiles, prætermitto : de his cf. Fagnan, *loc. cit.,* n. 63 sq.; — Thesaurus, *De pœnis,* v° *Ordo,* c. XI, n. 3; — Bened. XIV, *Inst. XXVI,* n. 16; — S. Alph., lib. VI, n. 820.

[2] Hallier, *De sacris electionibus et ordin.,* part. I, sect. IV, § 4, ed. Migne, col. 407; et part. II, sect. VIII, c. III, art. 1, col. 1453.

[3] Migne, *P. L.,* t. LIV, col. 625. — Cf. supra, n. **91**.

sabbato medianæ quadragesimæ; unde certius lex jejunii ordinationibus præmittendi servabatur; — 4. Urbanus II, loco supra (n. **92**, 3°) citato, loquens de sabbatis ordinationum, ait : « Tunc *protrahatur jejunium usque ad vesperas* (qua hora fiebat ordinatio), et, si fieri potest, usque ad crastinum. » — Unde ordinandi et episcopus ordinans speciali lege tenebantur (præter præceptum jejunii pro sacram eucharistiam percepturis), jejunium præmittere ordinationibus; imo cum de facto ordinatio fieri nequiret nisi sabbatis quatuor temporum et uno vel duobus sabbatis quadragesimæ, jejunabant, non tantum ipso die ordinationis, nempe sabbato, sed etiam feria VI et feria IV ejusdem hebdomadis.

154. — Jus hodiernum. — Præfatus mos adhuc manet, cum aliquo tamen temperamento, ut sequitur :

1° Quando fit ordinatio debitis temporibus, nempe sabbatis quatuor temporum, sabbato ante dominicam passionis, et sabbato sancto, ordinandi et episcopus ordinans jejunant tum *die sabbati,* tum *feria VI,* sed tantum ratione præcepti generalis jejunandi in quatuor temporibus et quadragesima. — Insuper, ipso die ordinationis, nempe sabbato, jejunium naturale servare debent a media nocte ii omnes qui sacram eucharistiam sunt percepturi.

2° Quando fit ordinatio *extra tempora,* ii omnes qui sacram eucharistiam percepturi sunt in missa ordinationis, jejunium naturale servare debent a media nocte. — Præter autem hoc jejunium, nullum aliud servare tenentur, neque ipso die ordinationis, neque pridie; unde etiam carnes manducare possunt his duobus diebus (nisi occurrat alia lex). Quod constat usu universali; unde etiam Congregatio S. Officii, feria IV, die 14 decembris 1898, respondit : « Quoad ordinationes, sufficit servare jejunia

quatuor Temporum ; nam, pro ordinationibus extra tempora, non adest jejunii obligatio[1]. » Idem valet etiam pro consecratione episcopali ; unde legitur in *Pontificali Romano*, tit. *De consecratione electi in episcopum*, initio : « Statuta die consecrationis, quæ debet esse dominica, vel natalitium apostolorum... ; et tam consecrator quam electus *conveniens est, ut præcedenti die jejunent.* » Unde jejunium non urget nec die consecrationis, nec pridie.

II. De exercitiis spiritualibus[2]

155. — Jura particularia de exercitiis spiritualibus ordinationi præmittendis.

1° Clerici sæculares exteri, ultra quatuor menses Romæ commorantes, et ordinem sacrum cum dimissoriis episcopi proprii recepturi, *tenentur præmittere exercitia spiritualia per decem dies in domo religiosa ad id Romæ destinata.* — Constat expresse Alexandri VII brevi *Apostolica sollicitudo*, 7 aug. 1662, § 1[3]. — De facto autem, domus ad id deputata est domus urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum[4].

2° Clerici suburbicarii, nempe pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis (Romæ vicinis), si ordinentur extra propriam diœcesim, et proinde cum dimissoriis proprii episcopi ad cardinalem vicarium directis, *tenentur cuilibet ordini sacro præmittere exercitia spiritualia per decem dies in domo urbana sacerdotum Missionis*, et quidem sub pœna suspensionis ab ordine recepto Rom.

[1] *Canoniste*, t. XXII, an. 1899, p. 424.

[2] Hallier, *loc. cit.*, part. I, sect. IV, § 3, col. 404 sq. ; cf. etiam part. II, sect. VIII, c. III, art. 2, col. 1454 ; — Benedictus XIV, *Inst. CIV.*

[3] *Bull. Rom.*, t. VI, part. 5, p. 245 ; illud etiam habes apud Honorante, p. VI.

[4] Cf. supra dicta, n. **44**, 1°.

Pontifici reservatæ, ex Pii IX bulla *Apostolicæ Sedis*, De suspensionibus, n. 7[1].

3° Clerici suburbicarii, in quorum diœcesi adest suffraganeus, a quo (vel de cujus licentia ab alio episcopo) sacrum ordinem in propria diœcesi recepturi sunt, tenentur item præmittere exercitia spiritualia in domo sacerdotum ad id deputatorum per decem dies. — Ita expresse ex cit. Alexandri VII brevi *Apostolica sollicitudo*, § 2. Verum in hoc casu cessavit pœna suspensionis ab Alexandro VII lata, quippe quæ renovata non fuerit in bulla *Apostolicæ Sedis*.

4° In Italia et insulis adjacentibus, tenentur omnes clerici, ante receptionem cujuslibet ordinis sacri, præmittere exercitia spiritualia per decem dies in domo ad id ab Ordinariis designata. — Constat : 1. Epistola encyclica S. Congr. Ep. et Reg., diei 9 oct. 1682, ad omnes Italiæ Metropolitanos, et, per eos, ad omnes Italiæ et insularum adjacentium Ordinarios, in qua dicta Congregatio, de expresso mandato Innocentii XI, præfatam legem statuit, extendendo ad omnem Italiam legem ab Alexandro VII latam[2]; — 2. Epistola encyclica S. Congr. Conc., 1 febr. 1710, ad omnes Italiæ insularumque adjacentium Ordinarios, in qua, de expresso mandato Clementis XI, legem Innocentii XI renovat et confirmat, quoad ordines tamen *sacros* tantummodo[3] (lex enim Innocentii omnes ordines, etiam minores, complexa erat). — Hanc legem egregie commendat et urget Benedictus XIV, in cit. *Inst. CIV*.

5° In multis aliis locis eadem lex viget. Plurimi enim episcopi, S. Carolum Borromæum[4] imitati, hanc statue-

[1] Cf. supra dicta, n. 45.

[2] Textum italicum habes apud Bizzarri, *Collectanea*, etc., Romæ, 1885, p. 374; vel apud Ferraris, v° *Exercitia spiritualia*, ed. Migne, t. III, col. 916.

[3] Apud Ferraris, *loc. cit.*

[4] Cf. concilium provinciale Mediolanense IV, part. II, *Quæ pertinent ad sacramentum Ordinis* (*Acta eccl. Mediol.*, Lugduni, 1683, t. I, p. 116).

runt. Imo, in quibusdam regionibus, v. g., Americæ latinæ[1], eadem præcepta urgent, de mandato ipsorum Rom. pontificum.

6° In Gallia, licet disciplina seminariorum majorum sit quasi continua series exercitiorum spiritualium, usus tamen est, ante receptionem quorumlibet ordinum, etiam minorum, ut præmittantur exercitia spiritualia per sex aut septem dies; quæ exercitia fieri solent adhibitis publicis concionibus et hortationibus, communibusque precibus, unde multo major eorum fructus accrescit.

7° Eadem lex viget apud plerosque Orientales, ut constat, v. g., pro Maronitis, ex concilio Montis Libani, an. 1736, part. II, cap. XIV, n. 30, ubi præscripta sunt exercitia spiritualia per decem vel octo dies ante diaconatum et presbyteratum[2]; pro Ruthenis, ex conc. an. 1720, tit. III, § 7[3], et ex recenti concilio an. 1891, tit. II, cap. VI, n. 3[4]; pro Syris unitis, ex recenti eorum synodo, an. 1888, cap. V, art. 13, § 2, n. 6[5].

8° Unde, licet nullibi legatur lex generalis hac de re, fere tamen ubique viget; adeo intelligunt omnes esse cuilibet clerico necessarium, ut, antequam ordines sacros recipiat, magnopere cogitet ad quantum ecclesiæ gradum ascendat, quæ onera suscipiat, quantum sit clericalis disciplinæ pondus, et inde cum magna diligentia et fervore ad tanta sacramenta se disponat.

[1] Cf. *Acta concilii plenarii Americæ latinæ*, n. 665, Romæ, 1900, p. 290.
[2] Coll. Lac., t. II, col. 240.
[3] *Ibid.*, col. 41.
[4] *Acta et decreta synodi provincialis Ruthenorum*, Romæ, 1896, p. 29.
[5] *Synodus Sciarfensis Syrorum*, an. 1888, Romæ, 1897, p. 136.

CAPUT IX

DE ORDINATIONE REGULARIUM

§ I. De episcopo proprio quoad ordinationem Regularium.

I. Notitia historica [1]

156. — Ante concilium Tridentinum.

1° Ordinatio monachorum, ab ipsis initiis status religiosi, reservata fuit episcopo diœcesis, in qua situm erat monasterium ordinandi. Revera omnia monasteria, in aliqua diœcesi constituta, omnino subjecta erant episcopo hujus diœcesis; quæ subjectio ad omnia, præcipue vero ad ordinationem monachorum, extensa erat. Imo gravissimis pœnis cautum erat, ne episcopus extraneus monachum ordinaret; sic conc. Carthaginense, an. 419, can. 80, statuit: « Item placuit, ut *si quis de alterius monasterio susceptum*, vel *ad clericatum promovere voluerit*, vel in suo monasterio majorem constituerit, *episcopus, qui hoc fecerit, a ceterorum communione sejunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit, et ille neque clericus*, neque præpositus

[1] Cf. Hallier, *De sacris electionibus*, etc., part. I, sect. I, *Appendix de ordinandis Regularibus*, ed. Migne, col. 259-267; — part. II, sect. V, c. III, art. 8, *ibid.*, col. 1016-1024; — Riganti, *In regulam 24 Canc.*, § 3, n. 250 sq., t. II, p. 372; — Petra, *In const. I Urbani II*, Venetiis, 1741, t. I, p. 178 sq.

perseveret[1]. » Unde pœna erat excommunicationis contra episcopum, et pœna depositionis contra monachum sic ordinatum.

2° Tanta erat monasteriorum et monachorum subjectio erga episcopum diœcesanum, ut is initio ordinaret monachos propria auctoritate, id est, nullo habito abbatis consensu, multo minus præsentatione. Cum tamen hæc agendi ratio abbatum et monasteriorum jura lædere, nec immerito, videretur, passim præcipi cœptum est ut ad ordinandum monachum consensus abbatis necessarius esset. Sic concilium Agathense, an. 506, can. 27, statuit : « Si necesse fuerit clericum de monachis ordinari, cum consensu et voluntate abbatis præsumat episcopus[2]. » Quod exscripsit conc. Ilerdense, an. 523, can. 3[3]. Unde paulatim jus commune factum est, ut monachi ordinari non possent, nisi *de licentia,* aut *ad præsentationem abbatis.* In cap. *Ne in agro*, 1, De statu monachorum, Clem., § 8, statuitur : « Ad ampliationem autem cultus divini, statuimus quod monachi quilibet, *ad monitionem abbatis,* se faciant ad omnes ordines sacros, excusatione cessante legitima, promoveri ; » quod supponit semper requiri consensum abbatis.

3° Sæculo xiii, cum orti essent Mendicantium Ordines, quorum alumni sæpe variis de causis de monasterio ad monasterium transibant, concedi cœpit Regularium superioribus privilegium, ut subditos suos ordinandos *præsentare* possent ad quemlibet antistitem communionem cum Sede apostolica habentem. Quod privilegium concessit Clemens IV (1265-1268) fratribus Minoribus, const. *Virtute conspicuos*, § 7, quam constitutionem confirmavit et in integrum retulit Sixtus IV in sua const. *Regimini universalis,* pridie kal. sept. 1474, § 7[4]. Hoc deinde privilegium multis Regularium Ordinibus sive directa concessione, sive per privilegiorum communicationem tributum est, ita ut, ætate

[1] Hic canon est octogesimus in *Codice canonum Ecclesiæ Africanæ,* Bruns, t. i, p. 175.

[2] Bruns, t. ii, p. 152.

[3] Bruns, t. ii, p. 21.

[4] *Bull. Fratrum Minorum,* Romæ, 1750, t. vi, p. 163.

concilii Tridentini, plerique, imo omnes[1] Regulares hoc privilegio fruerentur.

157. — Decreta concilii Tridentini.

1° Conc. Trid. statuit cap. *Facultates,* 11, sess. VII, De ref. : « *Facultates de promovendo a quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam;* et tunc non ordinentur nisi ab episcopo in sua diœcesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti prævio examine; » et cap. *Ordinationes,* 8, sess. XXIII, De ref. : « *Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur; quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu,* etiam statutis temporibus, *permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur.* »

2° Acriter controversum fuit, num concilium his decretis revocasset privilegium Regularium recipiendi ordines a *quocumque* (episcopo). Quoad prius caput, non videtur respicere Regulares; nam privilegia Regularium non solent venire nomine *facultatum;* quoad alterum caput, majorem difficultatem movet, cum non permittat usum privilegii (recipiendi ordines ab alieno episcopo) nisi quatenus habeantur *proprii episcopi litteræ commendatitiæ,* quæ assimilari videntur *licentiæ proprie dictæ.*

3° S. Pius V, qui erat ex Ordine Prædicatorum, declaravit caput Tridentinum (cit. cap. *Ordinationes*) locum non habere in Regularibus (const. *Etsi Mendicantium*[2], § 2, n. 7). Verum Gregorius XIII, S. Pii V successor, Pianam bullam ad terminos juris communis et concilii Trid. omnino reduxit, in const. *In tanta,* kal. martii an. 1583[3]. Unde de novo et acrius motæ sunt controversiæ inter episcopos et Regulares.

[1] Ut ait Benedictus XIV, bulla *Impositi Nobis,* 3 kal. martii 1747, § 2, *Bull. Bened.,* t. II, n. 27. Habes hanc Bullam ad calcem hujus voluminis, *Documentum II.*

[2] *Bull. Rom.,* t. IV, part. 2, p. 376.

[3] *Bull. Rom.,* t. IV, part. 3, p. 252.

4° Quidquid id est, omnino soluta est controversia tribus præsertim decretis S. Sedis; scilicet : 1. Idem Gregorius XIII, eod. anno 1583, declaravit monachos Carthusianos, qui petant promoveri ab episcopo alieno, *obligari ad habendam licentiam episcopi proprii*, nempe episcopi in cujus diœcesi situm sit monasterium[1]; — 2. Sixtus V partes utriusque, nempe superioris regularis et episcopi proprii acute definivit, declarando *superiorem regularem jus habere suis subditis litteras dimissorias concedendi*, sed tantum *ad episcopum diœcesanum, nisi hic absit, aut ordinationem non sit habiturus;* tunc enim *ad quemcumque dimissorias posse dirigi, modo ab episcopo ordinante examinetur ordinandus*[2]; quo in decreto Sixtum respexisse ad cit. caput Trid. *Facultates,* indubium est; — 3. Tandem Clemens VIII, an. 1596, decretum edidit, quo magis declaravit decretum Sixtinum, quodque adhuc hodie constituit hac in re jus commune : quod decretum statim refertur.

II. Jus commune hac in re vigens

158. — Decretum Clementinum. — In extenso referendum est illud decretum, quod vim habet legis universalis : « De mandato S. D. N. Clementis divina providentia papæ VIII, tenore præsentium, mandatur omnibus et singulis quorumcumque Regularium superioribus, ut de cetero observent et observari faciant ea quæ in decreto S. Congr. Concilii continentur, cujus tenor est talis : Congregatio Concilii censuit, superiores Regulares posse suo subdito itidem regulari, qui, præditus qualitatibus requisitis, ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad episcopum tamen diœcesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis ad quos pertinet Regularis positus fuerit, et, si diœcesanus abfuerit, vel non

[1] Quod decretum refertur a Benedicto XIV, cit. bulla *Impositi,* § 3.
[2] Apud Benedictum XIV, cad. bulla *Impositi,* § 4.

esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium episcopum, dum tamen ab eo episcopo qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus diœcesanus vel abfuturus vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum, cum a superioribus regularibus, episcopo diœcesano absente vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ diœcesani episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis, ac vocis activæ et passivæ privationis ac alias arbitrio S. D. N. papæ reservatas incurrant. In quorum fidem, etc. Datum Romæ die 15 mensis martii 1596[1]. »

Hoc autem decretum quoad plura authentice interpretati sunt tum Innocentius XIII, in bulla *Apostolici ministerii*, 30 maii 1723, § 16[2], tum Benedictus XIV, in cit. bulla *Impositi*. Quæ interpretationes infra referuntur.

159. — Expositio juris communis.

1° Superior regularis *jus habet subdito suo regulari concedere litteras dimissorias* ad ordines. — Clarissime constat ex relatis decretis. — Alicubi hæc *dimissio* subditorum ad episcopos, vocatur *præsentatio*, ut sæpe ante concilium Trid. Utriusque vocabuli idem est omnino sensus.

2° Tenetur regulariter has dimissorias dirigere ad *episcopum diœcesanum*, nempe ad episcopum *illius monasterii in cujus familia Regularis positus fuerit a suis superio-*

[1] Apud Benedictum XIV, ead. bulla *Impositi*, § 5.

[2] *Bull. Rom.*, t. XI, part. 2, p. 260. — Hæc quidem bulla non est nisi pro Hispaniis, sed bullæ partem quæ rem nostram respicit, refert Benedictus XIV in bulla *Impositi*, § 8, et extendit ad totum orbem, § 11.

ribus. — Hic Benedictus XIV, in bulla *Impositi*, § 15, notat fraudem aliquando patratam, nempe illorum superiorum qui, « advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant, eosdemque, statim post susceptos ordines, falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubeant; » hæc tamen fraus clare demonstrari deberet, nec ullo modo præsumitur, eo magis quod nihil in jure statutum est circa tempus quo Regulares ordinandi morari debent in monasterio episcopi ordinantis, ad effectum ut *de ejus familia* dici possint [1].

3° Duo casus excipiuntur, in quibus superior regularis suum subditum dimittere potest *ad quemcumque episcopum* : 1. Quando *abest episcopus diœcesanus*, ut constat ex cit. decretis; quod verum est, licet episcopus absens curet ordinationem fieri in sua diœcesi per alium episcopum, quia etiam tunc revera *episcopus diœcesanus est absens* [2]; — 2. Quando episcopus diœcesanus, licet præsens in sua diœcesi, *non habiturus est ordinationem*, nempe, uti interpretatus est Benedictus XIV in bulla *Impositi*, § 12, non habiturus est ordinationem *proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto;* unde, licet episcopus diœcesanus non sit habiturus ordinationem hac vel illa die dominica aut festiva, quam Regulares, vi indulti *extra tempora*, petierint, si tamen ordinationem habiturus sit proximo sabbato ad collationem ordinum apto, non est locus huic posteriori exceptioni, et proinde non potest superior regularis dimittere subditum suum ad quemcumque episcopum. — Pariter non est locus huic posteriori exceptioni in tribus casibus qui sequuntur : 1. Si episcopus diœcesanus non habiturus sit quidem ordinationem *generalem*, sed tantum

[1] Quod caute notat Honorante, *Praxis*, etc., c. XII, not. 2, p. 116.
[2] Ita Riganti, *loc. cit.*, n. 256; — Petra, *loc. cit.*, sect. II, n. 32, p. 192.

particularem; nam, cum decreta non distinguant, sufficit ordinatio *particularis* seu *privata*, ut superior privetur jure dimittendi ad quemcumque; ita saltem probabilius [1]; — 2. Si episcopus diœcesanus non habiturus sit quidem ordinationem in *civitate episcopali*, sed in *alio loco diœcesis;* nam decreta non requirunt ordinationem in civitate episcopali, sed tantum *ordinationem* sine expressione loci; ita etiam S. Congr. Conc., 11 febr. 1708 [2]; — 3. Si episcopus diœcesanus non habiturus sit quidem ordinationem *per se ipsum*, bene vero *per alium;* nam modo episcopus diœcesanus sit præsens in diœcesi, sufficit quod habeat ordinationem *per* se vel *per alium:* quod enim quis facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum [3].

N. B. — Duobus casibus supradictis, nempe episcopi absentis, aut ordinationem non habituri, tertius assimilandus est, nempe sedis episcopalis diœcesanæ *vacantis*, ut dicetur infra, n. **161**, 2°.

4° Tres autem condiciones requiruntur ut, in duobus casibus prædictis superior regularis possit dimittere subditum ad quemcumque episcopum : 1. Ut absit fraus ex parte superiorum; nempe, ut referam verba ipsa Clementis, « dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus quo episcopus diœcesanus vel abfuturus vel nullas esset habiturus ordinationes; » sed hæc fraus nullo modo præsumitur, et difficil-

[1] Quidam enim auctores contradicunt, asseruntque requiri ordinationem *generalem*, qua deficiente, superior possit dimittere ad quemcumque (cf. Piat, *Prælectiones juris regularis*, part. V, c. II, art. 6, q. VII, Tornaci, 1898, t. II, p. 290); quod demonstrare conantur ex Innocentio XIII, cit. bulla *Apostolici ministerii*, § 17, ubi revera requirit ordinationem publico edicto uno mense antea denuntiatam. Verum hæc bulla, ut dictum est, non est nisi pro Hispaniis, et hunc bullæ paragraphum 17 non retulit Benedictus XIV (in bulla *Impositi*), nec extendit ad totum orbem.

[2] Apud Riganti, *loc. cit.*, n. 255, p. 372.

[3] Riganti, n. 256; — Petra, *loc. cit.*, n. 32.

lioris est probationis; — 2. Ut superior regularis, in his dimissoriis quas, in alterutro casu, dirigit ad episcopum alienum, exprimat causam cur ita dimittat ad alienum episcopum, nempe vel quia abest diœcesanus, vel quia non sit habiturus ordinationes; ita expresse in decreto Clementino; — 3. Ut superior regularis demonstret veritatem hujus causæ, non quocumque modo, sed per authenticam attestationem vicarii generalis aut secretarii episcopi diœcesani; ita expresse jubet Benedictus XIV, qui, in cit. bulla *Impositi*, § 12, statuit præfatas dimissorias nullius esse momenti, « nisi illis juncta fuerit *authentica attestatio vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii* ejusdem episcopi diœcesani, ex qua constet vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse. »

5° Superior regularis jus habet dimittendi subditos suos professos *ad quoscumque ordines*, a prima tonsura usque ad presbyteratum inclusive; præfata enim decreta non distinguunt. Verum si agatur tantum de *professis votorum simplicium triennalium*, non potest eos dimittere nisi *ad primam tonsuram et minores ordines*, ut constat, Pii IX *declarationibus* datis 12 junii 1858, art. 7 [1]. Unde, ut alumnus Ordinum votorum solemnium possit dimitti ad sacros ordines, requiritur omnino ut *professionem solemnem emiserit;* a qua regula nemo amplius dispensabitur, ait Leo XIII, in decreto *Auctis* [2], 4 nov. 1892, § 2 : « Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad majores ordines alumnus congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit. » Si qua dispensa-

[1] Apud Bizzarri, *Collect. S. Congr. Ep. et Reg.*, ed. 2, p. 855-857.

[2] *Acta S. Sedis*, t. XXV, p. 312, vel ad calcem hujus voluminis, *Documentum IV.*

tio necessaria sit, dabitur potius ut ante triennium completum emittatur professio solemnis.

6° Quoad *pœnas* contra violatores decreti Clementini, hæc dicenda:

A. Quoad superiores regulares, qui dimittunt subditum ad episcopum alienum extra duos casus expositos[1], vel qui legitime dimittunt ad episcopum alienum, sed sine expressione causæ episcopi diœcesani absentis vel ordinationem non habituri, hi superiores incurrunt duplicem privationem, nempe *officii et dignitatis seu administrationis*, et *vocis activæ et passivæ*. Ita expresse in cit. decreto Clementino (supra, n. **158**). — Hæ autem pœnæ sunt *latæ sententiæ*, non ferendæ, tum quia in decreto Clementino adest vocabulum *incurrant*, non vero *incurrent*, ut quidam falso dixerunt[2], tum quia Benedictus XIV, in bulla *Impositi*, § 11, expresse declaravit has pœnas esse *latæ sententiæ*. — Quod si superior regularis legitime dimittat subditum ad episcopum alienum cum expressione causæ, sed sine requisitis a Benedicto XIV attestationibus, dimissoriæ quidem nullæ sunt, sed superior nullam aliam incurrit pœnam, silente hac de re Benedicto XIV.

B. Quoad episcopos alienos, qui ordinant virum regularem, vel sine dimissoriis sui superioris regularis, vel sine legitima causa, vel sine expressione causæ, vel sine debitis attestationibus, incurrunt suspensionem latam in const. *Apostolicæ Sedis*, *De suspensionibus*, n. 3, contra episcopos ordinantes alienum subditum sine dimissoriis litteris ejus Ordinarii; et si sint episcopi titulares, incurrunt suspensionem latam a conc. Trid., cap. *Et quoniam*, 2, sess. XIV, De ref. (de quibus pœnis vide dicta supra, n. **62**, 2°). Ratio est tum quia in his casibus vel non

[1] Quibus tertius addendus est, ex dicendis infra, n. **161**, 2°.

[2] Ut narrat Benedictus XIV, in bulla *Impositi*, § 9.

sunt dimissoriæ, vel irritæ sunt, tum quia expresse statuit Benedictus XIV, in bulla *Impositi*, § 12 : « Quod si aliquis antistes regularem virum, in sua diœcesi proprium domicilium non habentem, solis ipsius superioris dimissorialibus litteris contentus, sine adjuncta præfata attestatione in forma probanti, ad ordines promovere præsumpserit, decernimus et declaramus hunc ipso facto incurrere in pœnas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint[1]. »

C. Quoad Regulares ordinatos ab episcopis alienis vel sine dimissoriis sui superioris, vel cum dimissoriis irritis, incurrunt pœnam latam a conc. Trid., in cap. *Ordinationes*, 8, sess. XXIII, De ref., vel, si episcopus ordinans fuerit titularis, in cit. cap. *Et quoniam* (de quibus pœnis vide dicta supra, n. **62**, 2°).

III. Privilegia recipiendi ordines a quocumque

N. B. — Facultas recipiendi ordines a quocumque (episcopo), quando episcopus diœcesanus abest, vel non est habiturus ordinationes, juxta ea quæ supra dicta sunt, non est privilegium, sed jus commune. Verum non desunt Ordines regulares, quibus concessum est privilegium, ut eorum alumni semper ordinari possint a quocumque; de quibus privilegiis nunc :

160. — Condiciones requisitæ ut valeant hæc privilegia. — Ante concilium Trid., omnes Ordines regulares, ut dictum est, fruebantur privilegio *dimittendi* seu *præsentandi subditos ad quemcumque episcopum*, cum

[1] Ita etiam Pennacchi, in const. *Apostolicæ Sedis*, Romæ, 1883, t. II, p. 378 sq.

Sede apostolica gratiam et communionem habentem, seu, quod idem est, *recipiendi ordines a quocumque;* aliis hoc privilegium erat *directe* concessum, aliis per communicationem; quæ omnia privilegia suppressa sunt a concilio Tridentino. Post autem concilium, quidam Ordines impetrarunt a Sede apostolica *renovationem* seu *confirmationem* dicti privilegii, antea concessi; item, post concilium, hoc privilegium de novo concessum est quibusdam Ordinibus, v. g., Societati Jesu, vi Gregorii XIII brevis *Pium et utile*, 22 sept. 1582[1]. Ut ergo valeant dicta privilegia, quædam præscripsit Benedictus XIV in cit. bulla *Impositi*, § 13, ut sequitur :

1° Si agatur de privilegiis ante concilium Trid. concessis, non valent nisi *confirmata* fuerint post concilium, et quidem confirmatione *in forma specifica*, id est, juxta ipsius Benedicti verba, non valent nisi *hujusmodi confirmationes in forma specifica cum litterali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione factæ dignoscantur.* Unde non sufficit confirmatio *in forma communi.*

2° Si agatur de privilegiis post concilium Trid., non valent nisi *ipsis Ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem, concessa fuerint.* Unde, vi hujus dispositionis Benedictinæ, privilegium recipiendi ordines a quocumque est *incommunicabile.*

IV. Varia quæsita ad hanc rem pertinentia

161. — Varia quæsita circa præsentem materiam.

1° *Ad quem episcopum superior monasterii Nullius debeat dirigere dimissorias?*

Resp.: Ad episcopum *viciniorem.* Ita S. Congregatio

[1] Vide *Institutum Societatis Jesu*, Pragæ, 1757, t. I, p. 74. — Cf. alia privilegia apud Piat, *loc. cit.*, q. XII, p. 294.

Concilii pluries, v. g., in decisione 24 aug. 1619 et in altera in causa *Præmonstraten.*, 20 julii 1675[1]. Revera, in plerisque rebus ad disciplinam ecclesiasticam spectantibus, episcopus *vicinior*, quoad monasteria *Nullius*, tenet locum partesque implet episcopi diœcesani quoad monasteria quæ non sunt *Nullius*. Unde in hac responsione concordant doctores[2].

2° *Ad quem episcopum superior regularis debeat dirigere dimissorias, quando sedes episcopalis diœcesana vacat?*

Resp. : Potest dirigere ad *quemcumque* episcopum. Ita ex interpretatione authentica et jurisprudentia S. Congr. Concilii, quæ pluries ita resolvit : 1. In cit. causa 24 aug. 1619, in qua duobus casibus decreti Clementini (episcopi absentis et ordinationem non habituri) expresse jungitur hic tertius, nempe *sedis vacantis*, ita ut idem dici debeat de hoc tertio quod de duobus prioribus; — 2. In cit. pariter causa *Præmonstraten.*, 20 julii 1675, in qua eadem decisio innovata est; — 3. In *Tirasonen.*, quæ fuit pluries proposita, et tandem definita, die 13 julii 1782, his verbis : « Dentur decreta dierum 24 aug. 1619, et anni 1675, sub die 20 julii, facto verbo cum Sanctissimo[3]. » — Unde ab hoc tempore hæc responsio communiter traditur ab auctoribus.

3° *Si superior regularis sit ipse charactere episcopali insignitus, potestne ipse ordinare suos subditos?*

Resp. : 1. Vel casus contingit, in quo superior regularis possit dimittere subditum ad quemcumque episcopum;

[1] Decisio an. 1619, innovata an. 1675, in extenso refertur in *Thesauro S. C. C.*, in *Tirasonen.*, 13 julii 1782, t. LI, p. 96-97; cf. etiam Pallottini, *Collectio resol. S. C. C.*, v° *Sacramentum ordinis*, § 2, n. 4, t. XVI, p. 75.

[2] V. g., Riganti, *loc. cit.*, n. 273; — Petra, *loc. cit.*, n. 39; — Honorante, p. 117; — Lucidi, *De Visitatione*, etc., c. II, n. 107, Romæ, 1878, t. I, p. 173.

[3] *Thesaurus*, t. LI, p. 64-71, 89, 96-97.

tunc superior potest, ut ita dicam, dimittere ad se ipsum, et sic peragere ordinationem.

2. Vel casus est, in quo, juxta decretum Clementinum, teneatur dimittere subditum ad episcopum diœcesanum; tunc nequit ipse ordinare subditum. Ratio est quia episcopus diœcesanus, ab ipsis initiis status religiosi, ut diximus, jus habet, multorum sæculorum observatione innixum, et plurium pontificum vel conciliorum auctoritate confirmatum, ordinandi Regulares in monasteriis suæ diœcesis degentes, ad præsentationem aut dimissionem superioris Porro dignitas episcopalis, superiori regulari superveniens, non videtur tollere posse jus illud Ordinarii diœcesani. Ita etiam sentiunt Lucidi, Piatus[1], contra paucissimos[2]. — Unde superior regularis episcopus non potest proprios subditos ordinare, nisi cum expressa licentia episcopi diœcesani.

4° *Quid juris, si episcopus diœcesanus subditum regularem rite dimissum ordinare recuset?*

Resp.: Non potest superior regularis dimittere subditum suum ad quemcumque episcopum; hic enim casus, subditi ab episcopo diœcesano rejecti, non est ex casibus, in quibus liceat superiori dimittere subditum ad quemcumque episcopum; qui casus, ex dictis supra (n. **159, 161,** 2°), non sunt nisi tres. Revera nimium esset facile superiori regulari subducere se auctoritati episcopi diœcesani. — Unde superiori datur tantum recursus ad S. Sedem, quæ, litteris ad episcopum scribendis, quæret ab eo causam recusationis, et exinde providebit[3].

[1] Lucidi, *De visitatione*, etc., c. I, n. 32, Romæ, 1878, t. I, p. 57; — Piat, *Prælectiones juris regularis*, part. V, c. II, art. 6, q. II, t. II, p. 286.

[2] Pezzani, *Codex S. catholicæ Rom. Ecclesiæ*, can. 228, Romæ, 1896, pars altera, p. 435; — Gasparri, *De ordinatione*, n. 918, t. II, p. 161.

[3] Videas exemplum hujusmodi recursus apud Lucidi, *De visitatione*, c. II, n. 108, Romæ, 1878, t. I, p. 173.

5° *Num consuetudo invalescere possit contra decretum Clementinum?*

Resp.: 1. Consuetudo *ordinaria*, etiam *quadragenaria*, nullam vim habet contra decretum Clementinum. — Ratio desumitur, non ex hoc ipso decreto, quod nulla speciali clausula firmatum est contra consuetudines, sed ex cit. Benedicti XIV bulla *Impositi;* in hac enim bulla Benedictus XIV decretum Clementinum confirmat, innovat, in extenso refert, suumque facit; deinde, § *Sicque et non aliter*, idem decretum firmat clausula seu *decreto irritanti*, solitis verbis concepto : « *Irritum et inane*, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari (decernimus) ; » cujus clausulæ vis est, juxta omnes, ut saltem ordinarias consuetudines impediat.

2. Consuetudo *immemorabilis* prævalere potest contra decretum Clementinum. — Nam : 1. In præfata bulla *Impositi*, § *Non obstantibus*, tollit quidem Benedictus XIV consuetudines etiam immemorabiles, his verbis : « Non obstantibus... consuetudinibus *etiam immemorabilibus ;* » sed norunt omnes hanc clausulam referri ad præteritum, non ad futurum; — 2. Clausula *irritans* supra relata tollit quidem, etiam pro futuro, consuetudines ordinarias, non vero, juxta plures[1], *immemorabiles*.

3. Nec obstant, contra hanc posteriorem conclusionem, tres S. Congr. Concilii resolutiones quas passim hac in re allegant doctores : 1. In *Passavien.*, 26 julii 1675, ad hoc dubium : « 1° An Regulares... existentes intra fines diœcesis Passaviensis, possint, sub prætextu cujusvis privilegii, vel *consuetudinis, etiam immemorabilis*, ordinari ab alio antistite, cui litteræ dimissoriæ... superioris dirigerentur, »

[1] Quos refert et tacite probat Barbosa, *De clausulis usu frequentibus*, claus. 40, n. 35, *Tractatus varii*, Lugduni, 1644, p. 394.

respondit S. C. C. : « Ad 1, dandum esse decretum editum sub Clemente VIII [1]; » verum eodem anno, hæc causa posita est in *folio*, et bis discussa, quin definitivum prodierit responsum [2]; — 2. In *Barcinonen.*, 2 octobris 1717, quæsitum est : « An prælati regulares teneantur dirigere episcopo diœcesano litteras dimissoriales..., *non obstante quacumque contraria consuetudine ;* » responsio autem fuit *dilata*, nec unquam definitive data [3]; — 3. In *Lunen.-Sarzanen.*, 18 aug. 1888, ad hoc dubium : « 3. An consuetudo contraria ab illa constitutione Benedictina derogare possit in casu, » respondit : « Ad 3. Negative [4]; » verum hæc responsio restringi debet ad *casum* propositum, ut patet ipso textu, et ad consuetudines ordinarias, cum consuetudo immemorabilis requirat *specialem* mentionem, ut norunt omnes [5].

6° *Quid juris, si superior regularis sit etiam abbas?*

Resp. : Potest, servatis servandis, conferre suis subditis regularibus, etiam ante professionem solemnem, post emissa vota triennalia, *tonsuram* et *ordines minores*, juxta supradicta (n. **50** sq.); deinde, pro sacris ordinibus, dirigit litteras dimissoriales ad episcopum diœcesanum, ad normam decreti Clementini.

[1] Hanc causam refert Petra, *In const. III Bonifacii IX*, n. 12-15, t. IV, p. 197.

[2] Petra, *ibid.*, n. 15.

[3] Hanc causam refert Riganti, *loc. cit.*, n. 263, p. 373.

[4] *Thesaurus*, t. CXLVII, p. 600.

[5] Assertioni positæ de vi consuetudinis immemorabilis contradicunt Gasparri, *De ordinatione*, n. 927, t. II, p. 167, et Piatus, *Prælectiones*, etc. Tornaci, 1898, t. II, p. 293.

§ 2. De variis adjunctis ordinationis Regularium.

I. Examen Regularis ordinandi

162. — Jus episcopi quoad illud examen.

1° *Jus habet episcopus,* Regularem ordinaturus, *illum prævio examini subjiciendi.* — Constat omnino tum concilio Trid., cap. *Nullus*, 12, sess. XXIII, De ref., ubi statuit : « Regulares quoque nec in minori ætate, *nec sine diligenti episcopi examine* ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis; » tum relato decreto Clementino (supra, n. **158**) : « ... dum tamen *ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam;* » ubi Clemens decretum Tridentinum interpretatur præcise de episcopo *qui ordines contulerit.* — Unus tantum a jure episcopi excipitur casus, nempe quando Ordo regularis privilegium habet, vi cujus ejus alumni *ad ordines promoveri queant sine ullo examine;* cum autem concilium Trid., ut patet cit. textu, omnia hujusmodi privilegia suppresserit, requiritur ut privilegium concessum fuerit *post conc. Trid.* Exemplum habes in Societate Jesu, cui simile privilegium concessit Gregorius XIII, brevi *Pium et utile*, 22 sept. 1582[1].

2° Examen, quod jus habet episcopus faciendi, *non versatur nisi circa doctrinam.* — Constat cit. decreto Clementino, ubi pontifex relatum concilii Trid. locum in hoc sensu authentice est interpretatus. — Unde quoad cetera ad ordinationem requisita, v. g., ætatem, mores, etc., stare debet episcopus attestationi superioris regularis, modo tamen hæc testetur; in quo sensu respondit S. C. C.,

[1] Vide *Institutum Societatis Jesu*, Pragæ, 1757, t. I, p. 74.

in *Brixinen.*, 28 nov. et 12 dec. 1733; cum enim quæsitum esset : « 2. An monachi ejusdem monasterii, ad ordines promovendi, præter litteras obedientiales[1], teneantur exhibere Ordinario Brixinensi fidem sui baptismatis ad docendum de legitima ætate, » respondit S. Congr. : « Ad 2. *Negative*, dummodo in litteris obedientialibus exprimatur ætas [2]. »

3° Utrum episcopus *teneatur* Regularem ordinandum examinare, vel *possit stare attestationi superioris regularis*, dicentis (v. g., in litteris dimissoriis) examen jam esse feliciter peractum, controvertitur. — Alii dicunt episcopum *teneri* ad Regularem examinandum, licet jam fuerit examinatus; argumentum deducunt ex duobus cit. locis concilii Trid. et decreti Clementini, quæ assertum plane demonstrare videntur; ita Petra, Riganti, Honorante, Bouix, Gasparri, etc.[3]. — Alii dicunt episcopum *non teneri* ad examen faciendum, sed posse stare attestationi superioris Regularis, præcipue propter duo : 1. Sicut enim, juxta omnes, episcopus non tenetur examen peragere *per se ipsum*, sed potest illud facere *per alium*, sæcularem, aut regularem, ita potest examen jam factum recognoscere et quasi ratum habere; unum enim, ex mente concilii Trid. et Clementis, requiritur, nempe ut episcopo juridice constet, ordinandum scientia requisita præditum esse; porro hoc vere episcopo juridice constat, si in litteris dimissoriis agnoscat examen esse factum, illudque examen, attentis superioris probitate, gravitate, etc., recognoscat ratumque habeat; — 2. Pariter, sicut episcopus ordinans

[1] Nempe *dimissoriales.*

[2] *Thesaurus*, t. VI, p. 199, 213-214.

[3] Petra, *In const. un. Urbani II*, sect. II, n. 44, p. 193, qui tamen fere redit ad alteram opinionem; — Riganti, *loc. cit.*, n. 283 sq., p. 375; — Honorante, c. XII, not. 2, p. 117-118; — Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 209; — Gasparri, n. 753, t. II, p. 54.

alienum subditum cum dimissoriis episcopi proprii *non tenetur* ordinandum examinare, sed stare potest attestationi episcopi proprii testantis suum subditum rite fuisse examinatum, juxta supradicta (n. **64**), ita in nostro casu. In hoc sensu rem intellexisse videtur S. Congr. Ep. et Reg. in epistola 13 julii 1730, de ordinatione Regularium Camaldulensium : « Quoad examen, illud subire tenebuntur ordinandi, si episcopus diœcesanus aut episcopus ordinans *velit de eorum scientia certior fieri* [1]; » quod aperte supponit episcopum non teneri ad examen faciendum. Ita S. Alphonsus, Piatus [2], et multi auctores ab hoc allegati.

163. — De infelici examine. — Si Regularis ordinandus in examine rejectus fuerit, hæc dicenda videntur :

1° Si Regularis rejectus fuerit *ab episcopo diœcesano*, a quo, vi decreti Clementini, ordinationem postulabat, non potest a superiore suo mitti ad alium episcopum; non sunt enim, ut supra dictum est, nisi duo aut tres casus in quibus superior subditum suum dimittere possit ad alium episcopum, præter diœcesanum; inter hos autem casus, nullo modo recensetur casus infelicis examinis coram diœcesano peracti; ergo superior non potest subditum suum in examine rejectum dimittere examinandum et ordinandum ad alium episcopum, sed tantum vel expectare felicius examen coram eodem diœcesano, vel appellare ad S. Congr. Ep. et Reg. Ita etiam pluries S. Congr. Concilii, v. g., in duabus decisionibus, 23 apr. 1604, et 14 martii 1620, quas refert Monacelli, et post ipsum Ferraris [3].

[1] Vide epistolæ textum italicum apud Bizzarri, *Collectanea*, etc., Romæ, 1885, p. 341.

[2] S. Alph., lib. VI, n. 792; — Piatus, *Prælectiones*, etc., t. II, p. 297.

[3] Monacelli, *Formularium*, tit. XIII, form. 4, n. 29, t. II, p. 82; — Fer-

2° Si Regularis rejectus fuerit *ab alio episcopo*, ad quem legitime dimissus fuerat, vi privilegii recipiendi ordines *a quocumque*, vel vi decreti Clementini (episcopo diœcesano absente, vel ordinationem non habituro), tunc mitti potest ad alium episcopum examinandus et ordinandus; jus enim recipiendi ordines a quocumque non potest destrui aut restringi ex facto unius episcopi qui Regularem ad se dimissum etiam legitime recusavit. — Ceterum qui fruuntur privilegio recipiendi ordines *a quocumque*, frui etiam solent privilegio recipiendi ordines *sine episcopi examine*, v. g., Patres Societatis Jesu.

164. — Testimoniales de studio theologiæ. — Vi decreti *Auctis*, 4 nov. 1892, § 6 : « professi tum votorum solemnium, tum simplicium, ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur, nisi, præter alia a jure statuta, *testimoniales litteras exhibeant quod saltem per annum sacræ theologiæ operam dederint si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium si de diaconatu, et quoad presbyteratum saltem per triennium*, præmisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo [1]. » Hi autem anni, cum agatur de studiis, intelliguntur anni *scholares*, seu demptis feriis, nempe anni novem aut decem mensium, juxta varios regionum usus.

II. Tempora Ordinationum

165. — Privilegia Regularium in hac re. — Regulares, *per se*, tenentur lege quæ prohibet ne ordines majores

raris, v° *Ordo*, art. 3, n. 67. — Cf. etiam Piatum, *Prælectiones*, etc., t. II, p. 297.

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXV, p. 312, vel ad calcem hujus voluminis, *Documentum IV*.

(et etiam minores, saltem per modum ordinationis generalis) recipiantur extra *tempora a jure statuta*, nempe extra sex sabbata notissima (supra, n. **93**); quæ lex etiam renovata est a concilio Trid., cap. *Ordinationes*, 8, sess. XXIII, De ref., his verbis : « Ordinationes sacrorum ordinum, *statutis a jure temporibus...* publice celebrentur. » — Attamen, *de facto*, plerique Ordines ab hac lege exempti sunt. De quo hæc dicenda :

1° Ante concilium Trid., plerique Regulares fruebantur privilegio recipiendi ordines *extra tempora*, aliis directe, aliis per communicationem concesso. Porro, juxta multo probabiliorem opinionem, hæc privilegia adhuc hodie manent. — Nam : 1. Juxta opinionem probabiliorem privilegia Regularium, quæ non fuerunt revocata a concilio Tridentino nec in decretis specialibus, nec in revocatione generali facta in cap. *Hæc omnia*, 22, sess. XXV, De regularibus[1], hæc privilegia, inquam, nec etiam revocata fuere a Pio IV, bulla *In principis*, 13 kal. martii 1565[2]. Atqui privilegium recipiendi ordines *extra tempora* revocatum non fuit in decreto speciali (nempe cap. *Ordinationes*, 8, sess. XXIII, De ref.), quod innovat legem de servandis temporibus ordinationum; hoc enim decretum non memorat *privilegia* contraria, et proinde ea non revocat; nec etiam revocatum fuit in prædicto cap. *Hæc omnia*, sess. XXV, De regularibus; nam in hac tota parte sess. XXV, nullum vestigium reperitur legis de temporibus ordinationum servandis; ergo nec a Pio IV revocatum fuit, et proinde adhuc hodie manet; — 2. Congregatio specialis, a Benedicto XIII deputata, expressis verbis, die 16 maii 1725, decrevit : « Privilegia a summis pontificibus tam *ante* quam post Trid., sive expresse, sive via

[1] Quæ revocatio fines non egreditur sessionis XXV, De regularibus.
[2] Ad calcem conc. Trid.

communicationis, Regularibus concessa *suscipiendi sacros ordines extra tempora, persistere in suo robore,* nec iis fuisse unquam derogatum, ac proinde tuto posse Regulares ordinari extra tempora absque novo indulto apostolico[1]; » — 3. Concilium romanum, an. 1725, cui præsidebat Benedictus XIII, statuit, tit. v, cap. II : « Quo vero ad Regulares, privilegia a summis pontificibus habentes, sive expresse, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi, *cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet,* decernimus proinde Regulares eosdem absque novo indulto apostolico tuto posse extra tempora ordinari[2]. » — Ita plerique auctores ex clero regulari[3], imo plures ex clero sæculari[4]; unde etiam Benedictus XIV qui theoretice opinabatur hæc privilegia sublata fuisse a Pio IV, non dubitabat, cum erat archiepiscopus Bononiensis, Regularibus petentibus conferre ordines extra tempora[5].

2° Plura etiam post conc. Trid. hujusmodi privilegia concessa sunt, v. g., Patribus Societatis Jesu, a Gregorii XIII, cit. brevi *Pium et utile,* 22 sept. 1582[6].

[1] Hanc passim allegant doctores, v. g., Gaudentius de Janua, *De visitatione prælati eccl.,* c. IV, dub. 10, n. 28, Romæ, 1748, p. 376, quem exscribit Giraldi, part. II, sect. XCV, p. 946.

[2] Ed. Bruxelles, 1726, p. 21.

[3] Quos refert Piat, *Prælectiones,* etc., Tornaci, 1898, t. II, p. 143, not. 3; — cf. etiam Giraldi, *loc. cit.,* qui retractat quæ alibi dixerat.

[4] V. g., Petra, *In const. VII Pii II,* n. 41, Venetiis, 1741, t. V, p. 139; — Annotator anonymus ad Brancatii dissert. *De privilegiis capellæ cardin.,* not. 11 (ad calcem operis Gattici, *De oratoriis domesticis,* p. 525); — Lucidi, *De visitatione,* etc., c. II, n. 112, ed. 1878, t. I, p. 176; — Gasparri, *De ordinatione,* n. 74, t. I, p. 44.

[5] Ut ipse asserit *Inst. XXIII,* n. 6.

[6] Apud *Institutum Societatis Jesu,* t. I, p. 74.

166. — Duplex genus privilegiorum hujusmodi.

1° Privilegium *ordinarium* illud est quod regulatum est ab Innocentio XII decreto Congregationis specialis ab ipso hac de re deputatæ, quod decretum editum est 14 dec. 1693 (quod supra, n. **98**, explanatum fuit); juxta hoc decretum, privilegium *extra tempora* est facultas recipiendi quidem ordines extra tempora a jure statuta, sed tantum diebus *dominicis* aut *festivis de præcepto* (licet dimidiatis, aut in favorem fidelium abrogatis), et quidem *non continuis*.

2° Privilegium *extraordinarium* illud est quod aliquid addit privilegio ordinario, v. g., quia concedit receptionem ordinum vel diebus festivis *non de præcepto*, vel diebus *ferialibus*, vel diebus *etiam continuis*. Sic Gregorius XIII, dicto brevi *Pium et utile*, contulit Patribus Societatis Jesu privilegium recipiendi ordines sacros « extra tempora a jure statuta, tribusque dominicis vel aliis festis diebus, *etiam continuis* »[1]. Hæc privilegia extraordinaria aliquando conceduntur cum clausula *incommunicabilitatis* (v. g., dictum privilegium Societatis Jesu), ad quam proinde clausulam sedulo attendendum est.

III. Interstitia

167. — Lex et dispensatio interstitiorum quoad Regulares.

1° Regulares, sicut clerici sæculares, tenentur lege servandorum interstitiorum. — Constat concilio Trid., capitibus 11, 13 et 14, sess. XXIII, De ref., in quibus concilium fert aut potius renovat legem de servandis intersti-

[1] Vicarii apostolici Sinarum regionumque adjacentium solent habere facultatem conferendi sacros ordines « diebus *ferialibus*, etiam *continuis* ». *Collectanea... ad usum missionum ad exteros*, n. 33, art. 2, Parisiis, 1880, p. 22.

tiis; porro, in hac lege statuenda, loquitur *omnino generaliter* de quibuslibet ordinandis, et proinde etiam de Regularibus. Confirmatur decisione S. Congr. Concilii, quæ, in *Mediolanen.*, an. 1573, cum petitum esset num Regulares prælato decreto comprehenderentur, respondit « comprehendi »[1].

2° Jus dispensandi Regulares quoad interstitia *non pertinet ad superiores regulares, bene vero ad episcopum.* — Constat : 1. *Concilio Trid.*, capitibus relatis, in quibus, agens de dispensatione ab interstitiis, jus dispensandi soli episcopo constantissime tribuit; nec dicatur prælatum regularem esse vere *Ordinarium* quoad subditos suos, et quidem ab episcopi jurisdictione exemptum, et proinde quoad illos tenere locum episcopi; nam, ut notat Benedictus XIV[2], licet in multis rebus exemptio ab episcopi jurisdictione concessa fuerit Regularibus, attamen violari nunquam potuit episcoporum auctoritas in iis omnibus quæ ad sacram ordinationem pertinent; — 2. *Jurisprudentia S. Congr. Concilii,* quæ pluries in eodem sensu respondit, nempe 17 maii 1593, 31 maii 1597, 1 julii 1597, 12 sept. 1609[3], et sic tandem acri controversiæ finem imposuit; sufficiat ultimam resolutionem, an. 1609, recitare : « Sacra Congregatio sæpius declaravit remissionem interstitiorum, ex causis a concilio expressis, *pertinere ad episcopum ordinantem*, quoad Regulares ab eo ordines suscipientes, *non autem ad regulares superiores;* ipsum tamen episcopum de causis remissionis teneri fidem adhibere ac deferre testimonio superioris regularis. »

3° Quæritur autem ad quemnam episcopum jus illud pertineat; de quo dicendum : Vel episcopus *diœcesanus*

[1] Apud Benedictum XIV, *Inst. LVIII.*
[2] *Inst. XXIII,* n. 8.
[3] Apud Benedictum XIV, *Inst. LVIII.*

(aut vicinior, si agatur de monasterio *Nullius*) ordinat, vel, virtute decreti Clementini, episcopus alienus. In priore casu, episcopi diœcesani est dispensare in interstitiis, quod de se patet. — In altero casu, non ad episcopum diœcesanum pertinet jus dispensandi cum Regularibus in interstitiis, sed ad *episcopum alienum, qui revera ordines confert Regularibus;* ratio est quia, quando, ad tramites decreti Clementini, episcopus diœcesanus est absens aut nullas habiturus ordinationes, decidit a suo jure, eique substituitur, tanquam episcopus *proprius quoad ordinationem*, episcopus ille alienus, quicumque est, ad quem subditum suum dimittit superior regularis; confirmatur tribus cit. S. Congr. Conc. decisionibus, an. 1597 et 1609, in quibus jus dispensandi præcise pertinere declarat ad episcopum *ordinantem*.

4° Quærunt aliqui num jus dispensandi transeat ad *vicarium capitularem*, sede vacante [1]. — Hoc quæsitum, tanquam inutile, prætermitto; quando enim sedes episcopalis diœcesana vacat, jus habet, ex dictis (n. **161**, 2°), superior regularis subditum suum dimittendi ad quemcumque episcopum alienum, qui dispensationem in interstitiis concedet.

5° Licet jus dispensandi Regulares quoad interstitia pertineat ad episcopum, attamen, quoad judicium de *causis dispensationis* seu remissionis, utrum nempe sufficiant, fidem adhibere tenetur episcopus testimonio superioris regularis. — Ita fert jurisprudentia S. Congr. Concilii, quæ pluries ita decidit, præsertim in tribus relatis causis, an. 1597 et 1609, ubi hoc expresse declaratur (vide verba supra relata).

[1] Piat, *Prælectiones*, etc., *loc. cit.*, q. xx, p. 299.

168. — Privilegia Regularium quoad interstitia.

1° Ante concilium Trid., plures Ordines regulares privilegio fruebantur recipiendi ordines *non servatis interstitiis*. Quod privilegium adhuc hodie permanere mihi persuasum est, ex opinione probabiliori jam supra (n. **165**, 1°) exposita. Idem enim dicendum est de privilegio *non servandi interstitia*, quod de privilegio recipiendi ordines *extra tempora*. Hoc enim privilegium (non servandi interstitia) non fuit revocatum in concilii Trid. decretis specialibus, nempe cit. capitibus 11, 13, 14, quæ legem renovant de interstitiis; hæc enim capita non memorant *privilegia* contraria[1], et proinde ea non abrogant; item non fuit revocatum in cap. *Hæc omnia*, 22, sess. XXV, De regularibus; nam in hac parte sessionis XXV nullum vestigium reperitur de servandis interstitiis; unde nec fuit revocatum in Pii IV bulla *In principis*, et proinde adhuc hodie manet. — Nec obstat resolutio S. Congr. Conc., 24 aug. 1686[2], ubi rationem habere videtur solius privilegii *post Tridentinum* concessi; nam nec excludit positive privilegia *ante concilium* concessa, nec uno verbo tantam controversiam dirimere intendit.

2° Post conc. Trid., quidam Ordines regulares impetrarunt similia privilegia; v. g., Societas Jesu, ex Gregorii XIII brevi supra (n. **166**, 2°) relato *Pium et utile*. Quoad communicabilitatem, attendendum est ad clausulas.

169. — Prohibitio recipiendi eodem die duos sacros ordines. — Hæc prohibitio, quæ aliquo modo referri potest ad disciplinam de interstitiis, respicit etiam Regulares, ex ipso textu conc. Trid., cap. *Subdiaconi*, 13,

[1] Revocatio privilegiorum, in fine cap. xiii, refertur ad aliam legem nempe *non recipiendi duos sacros ordines eodem die*.

[2] Apud Benedictum XIV, *De synodo*, lib. IX, c. xvi, n. 6.

sess. XXIII, De ref. : « Duo sacri ordines non eodem die, *etiam Regularibus*, conferantur, privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque. » Ex hac ultima clausula patet privilegia, si qua fuerint hac de re Regularibus concessa ante Tridentinum, suppressa fuisse.

IV. Publicatio bannorum et litteræ testimoniales

170. — Publicatio bannorum. — Proclamatio nominum promovendorum ad singulos sacros ordines, quam præcipit conc. Trid. in cap. *Ad minores*, 5, sess. XXIII, De ref., et quæ vocari solet apud nos *publicatio bannorum*, non respicit Regulares. Agitur enim, ut patet ex textu concilii, de proclamatione auctoritate episcopi facienda a *parocho* et in *ecclesia parochiali, ad inquirendum de moribus et vita ordinandorum*. Porro Regulares exempti sunt a jurisdictione episcopi, nec habent alium parochum ac suum superiorem, nec aliam parochiam ac ipsum suum conventum; ergo, ad satisfaciendum legi Tridentinæ, sufficit, pro Regularibus, inquisitio illa quam facit superior circa singulos ordinandos, antequam litteras dimissorias ad episcopum mittat. Unde forma specialis inquisitionis, a conc. Trid. præscripta, non respicit Regulares. — Confirmatur pluribus declarationibus S. Congr. Concilii, quarum tres, an. 1587, 1595, 1602, refert Pallottini, *Collectio... Res. S. C. C.*, v° *Sacramentum ordinis*, § 4, n. 25-26 [1], quarta vero in extenso allegatur in *Bullario Capuccinorum* [2], cujus ultimæ declarationis authenti-

[1] Romæ, 1892, t. XVI, p. 134-135. — Cf. Barbosa, *In conc. Trid.*, in cap. 5, sess. XXIII, De ref., n. 2, p. 203; — Gallemart, in idem cap. 5, n. 1, Venetiis, 1780, p. 236.

[2] Romæ, 1740, t. I, p. 11.

cum exemplar asservatur in archivo Ordinis Minorum, ut ibidem notatur. Adde universalem ubique consuetudinem.

171. — Litteræ testimoniales. — De his litteris, quod spectat ad Regulares, hæc dicenda :

1° Lex de litteris testimonialibus exhibendis, qualis indicta est tum ab Innocentio XII, in bulla *Speculatores*, tum a Pio IX, in bulla *Apostolicæ Sedis*, De suspensionibus, n. 3, non respicit Regulares ordinandos; quod patet ex ipso textu horum documentorum; in priore enim bulla, determinatur qui sint episcopi *originis*, *domicilii*, *beneficii*, *familiaritatis*, quod profecto solos respicit clericos sæculares; in altera autem constitutione agitur de episcopo ordinante *proprium subditum* sine testimonialibus, etc.; porro Regulares non sunt, in stricto sensu (strictam enim recipiunt interpretationem leges pœnales), subditi episcopi, a quo nempe sunt exempti, bene vero tantum subditi proprii prælati regularis, qui dicitur et est ipsorum *Ordinarius*. Ceterum quoad Regulares, abunde satisfit legi de testimonialibus; antequam enim sumant habitum, petuntur, ad normam decreti Pii IX, 25 jan. 1848 [1], litteræ testimoniales tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum suæ ætatis annum, ultra annum moratus fuerit; postquam autem sumpserunt habitum, semper manent vel in domibus Ordinis, vel saltem sub stricta vigilantia superiorum.

2° Pro Italia, occasione legis civilis, qua militare servitium extensum fuit etiam ad clericos et alumnos regulares, S. Congregatio super Disciplina Regulari dedit *Instructionem*, 27 nov. 1892, in qua, inter varias normas seu cautelas pro bono alumnorum Ordinum regularium

[1] Bizzarri, *Collectanea S. Congr. Ep. et Reg.*, Romæ, 1885, p. 831.

militiæ sæculari addictorum, statuit, n. 5 : « Pro omnibus necessariæ erunt *litteræ testimoniales Ordinariorum in quorum territorio saltem per tres menses commorati fuerint* [1]. » Si quis tamen episcopus ordinet Regularem sine his testimonialibus, non putaverim locum esse suspensioni (statuta in bulla *Apostolicæ Sedis*), tum quia hic episcopus non ordinat stricte *subditum proprium*, tum quia, ut dictum est supra (n. **162**, 2°), episcopus ordinaturus Regularem tenetur adhibere fidem superiori de omnibus (præter doctrinam) quæ respiciunt idoneitatem ordinandi. Lex ergo ista de testimonialibus habendis respicit superiorem regularem.

3° Hæc *Instructio* S. Congr. super Disciplina regulari non obligat nisi Italiam, pro qua edita est. Attamen, ut per se patet, *monet* omnium regionum superiores regulares, quid faciendum sit erga alumnos suos qui forte in iisdem adjunctis, nempe in præsidiis et stationibus militaribus, versentur, et qua cautela colligere debeant varias attestationes de modo quo tempore militiæ vitam instituerint.

V. Titulus paupertatis

172. — Quinam religiosi ad sacrum subdiaconatus ordinem promoveri queant titulo paupertatis. — Jam dictum est supra, n. **134**, 7°, **143**, de *notione* et *origine* hujus tituli, ad quem Regulares promoventur ad sacros ordines. Unum remanet quærendum, nempe quinam promoveri possint hoc titulo. Porro *soli Regulares solemniter professi hoc titulo ad sacros ordines promoveri possunt.* — Constat :

[1] Vide textum, in lingua italica, hujus *Instructionis* apud *Acta S. Sedis*, t. xxv, p. 638; — versionem latinam apud Gasparri, *De ordinatione*, n. 544, t. I, p. 353.

1° S. Pii V bulla *Romanus pontifex sacrorum*, 14 oct. 1568 [1]. Tempore hujus pontificis, multi clerici in communi vivebant, more Regularium, nulla vota, aut simplicia tantum emittentes, et nihilominus, titulo, aut potius, ut ait Pius V, *prætextu religionis*, ad ordines sacros ab episcopo promovebantur; unde contingebat ut vel egressi, vel dimissi, et omni ope destituti, mendicare aut sordidum exercere quæstum cogerentur. Ad obviandum tanto malo, S. Pius V extendit ad hos omnes clericos *non solemniter professos* decretum concilii Trid., cap. *Cum non deceat*, 2, sess. XXI, De ref., in quo concilium, loquens de clericis sæcularibus, jubet ut nullus ad sacros ordines promoveatur absque titulo *beneficii, patrimonii* aut *pensionis;* unde titulus *religionis* seu *paupertatis* reservatus fuit solis religiosis *professis solemniter*, ceterique omnes promoveri non potuerunt nisi ad unum ex tribus dictis titulis. Quæ lex adhuc viget, imo confirmata fuit in decreto *Auctis*, 4 nov. 1892, n. 1 [2].

2° Pii IX bulla *Apostolicæ Sedis*, De suspensionibus, n. 4, in qua sic statuitur : « Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit, absque titulo beneficii vel patrimonii, clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam *religioso nondum professo.* » Ergo titulus paupertatis reservatus est solis religiosis *professis,* nempe *solemniter professis*. Excipitur, ex ipso textu, casus *legitimi privilegii,* de quo statim.

[1] *Bull. Rom.*, t. IV, part. 3, p. 46.

[2] *Acta S. Sedis*, t. XXV, p. 312, vel ad calcem hujus voluminis, *Documentum IV.*

173. – Privilegia quorumdam hac de re. — Societati Jesu privilegium concessit Gregorius XIII, brevi *Ex Sedis apostolicæ*, 28 febr. 1573, vi cujus « qui tria vota prædicta (paupertatis, castitatis et obedientiæ) in eadem Societate emiserint, de licentia sui præpositi generalis *ad sacros etiam presbyteratus ordines, etiam ante professionem solemnem emissam*,... promoveri valeant »[1]. Expresse derogavit Gregorius bullæ cit. S. Pii V. Huic privilegio Societatis Jesu non derogavit decretum *Auctis*, quod in suis clausulis non memorat *privilegia* contraria, et proinde ea non revocat.

VI. Summa dictorum

174. — Documenta a Regulari exhibenda episcopo.

1° Si Regularis ordinetur ab episcopo *proprio*, nempe *diœcesano*, tenetur ei exhibere litteras dimissoriales sui superioris regularis. In his autem dimissoriis, superior testimonium dat : 1. De qualitate *professi*, et de *conventu*, ad cujus familiam pertinet ordinandus; — 2. De requisitis ad ordines, nempe legitimis natalibus, ætate, probitate morum et scientia; item (nisi jam receptus sit aliquis ordo) de baptismo et de confirmatione; — 3. De ultimo ordine recepto; — 4. De servatis interstitiis, nisi quoad hoc petatur ab episcopo dispensatio; — 5. De formali examine quoad doctrinam, si revera peractum fuerit.

2° Si Regularis ordinetur ab episcopo *alieno*, litteris dimissoriis annecti debet attestatio vicarii generalis vel cancellarii (episcopi diœcesani), testantis episcopum diœcesanum abesse vel non habiturum ordinationem proximo sabbato ad collationem ordinum apto.

[1] *Institutum Societatis Jesu*, Pragæ, 1757, t. I, p. 47-48.

3° Si Regularis promovendus sit ad ordinem sacrum, annecti debent attestationes de peracto theologiæ studio.

N. B. — Hæc dicta sint ad normam juris communis; si Ordo habeat privilegia, oportet ut nota sint episcopo.

§ 3. De ordinatione novitiorum.

175. — Quis ordinare possit novitios.

1° *Novitios* promoveri posse ad ordines etiam sacros, indubium est; qualitas enim *novitii* non est irregularitas aut impedimentum.

2° Superior monasterii in quo degit novitius nullo jure potitur ei concedendi dimissorias, etiam ad tonsuram aut ordines minores. Nam decretum Clementinum (supra, n. **158**), quod continet jus commune circa ordinationem Regularium, confert quidem superiori monasterii potestatem concedendi dimissorias ad ordines, sed, uti diserte exprimit, *suo subdito itidem regulari;* atqui novitius nullo modo dici potest *subditus regularis.* Unde etiam, ut supra (n. **52**, 2°) dictum est, S. Congregatio Concilii decrevit abbatem regularem non posse conferre ordines minores *oblato,* quia nempe hic dici nequit subditus regularis.

3° Cum decretum Clementinum, ex statim dictis, applicari nequeat ordinationi novitii, hic necessario subditur juri communi quoad ordinationem *sæcularium;* quod jus continetur, quoad episcopum ordinantem, in bulla *Speculatores.* Ex hac autem bulla hæc sequuntur : 1. Episcopus monasterii, in quo degit novitius, non potest hunc ordinare ratione *domicilii*, cum hoc novitii domicilium non habeat nec habere possit qualitates in ista bulla requisitas; unde in hoc derelinquenda est opinio quorumdam[1],

[1] V. g., Engel, in tit. *De temporibus ordin.*, n. 34; — Ferraris, v° *Novitius*, n. 95.

etiam recentium[1]; — 2. Item, et propter eamdem rationem, episcopus domicilii, quod habebat novitius ante novitiatum, novitium ordinare nequit; nec etiam potest agi de episcopo *familiaritatis;* — 3. Unde novitius ordinari nequit, nisi ab episcopo *originis,* vel *beneficii.*

176. — Varia adjuncta ordinationis novitiorum.

1° Ut patet ex dictis (n. **172**), novitius promoveri nequit ad sacrum ordinem titulo *paupertatis*, sed tantum *beneficii, patrimonii* aut *pensionis,* ad normam conc. Trid., cap. *Cum non deceat.*

2° Cum novitius remaneat *vere subditus* episcopi ordinantis, v. g., episcopi *originis,* obnoxius est legi in bulla *Apostolicæ Sedis* contentæ, qua præcipitur, ne episcopus ordinet *subditum proprium* sine testimonialibus litteris Ordinariorum, in quorum diœcesibus ultra sex menses commoratus est. — Item, et propter eamdem rationem, obnoxius est legi de publicatione bannorum.

3° Cum tamen novitii in favorabilibus Regularium jure censeantur, non negaverim eis prodesse posse quædam privilegia Ordinis, cujus sunt novitii (modo hinc non lædantur jura episcopi ordinantis), v. g., privilegium recipiendi ordines *extra tempora.*

N. B. — Hæc iterum dicta sint ad normam juris communis; fieri enim potest ut Regulares expressa privilegia habeant pro ordinatione suorum novitiorum.

[1] V. g., Bouix, *De episcopo*, Parisiis, 1859, t. II, p. 193.

CAPUT X

DE ORDINATIONE RELIGIOSORUM VOTORUM SIMPLICIUM

§ 1. De episcopo proprio quoad ordinationem horum religiosorum.

I. Jus commune

177. — Jus commune asseritur.

1° *Error quorumdam.* — Quidam, præsertim inter religiosos votorum simplicium, putaverunt superiores congregationum virorum cum votis simplicibus, saltem quando approbationem a Sede apostolica receperunt, posse, instar superiorum regularium, concedere subditis suis professis litteras dimissorias ad episcopum diœcesanum, sive propter auctoritatem qua ipsi pollent in subditos suos, sive quia subditi, semel ac, emissis votis, ascripti sunt familiæ alicujus domus instituti, subducuntur a juridictione episcopi originis aut prioris domicilii et ponuntur sub auctoritate episcopi diœcesani. Ita putabat et dicebat, an. 1864, superior sodalium instituti Charitatis, in diœcesi Tarvisina, uti nar-

ratur in relatione causæ *Tarvisinæ*[1]. — Idem de novo plures opinati sunt post editum decretum *Auctis*, 4 nov. 1892[2], sive quia hoc decretum, § 1, supponit hoc jus dimissorias concedendi in superioribus institutorum votorum simplicium, sive quia, in eodem decreto, § 3, vinculum firmissimum instituitur inter subditos et ipsum institutum, fere sicut in Ordinibus regularibus, ita ut, pro dimissione subditorum, præscribantur eædem causæ et solemnitates. Ita narratur in expositione causæ *Parisien.*, 9 febr. 1894, apud S. Congr. Ep. et Reg.[3].

2° His non obstantibus, dicendum est *superiores institutorum virorum cum votis simplicibus, licet habeant approbationem a Sede apostolica, non posse, jure communi, concedere dimissorias subditis suis ad ordines recipiendos*, et proinde requiri indultum speciale. — Nam :

a. Decretum Clementinum, supra (n. **158**) relatum, applicari nequit institutis de quibus agimus; non loquitur enim nisi de superioribus *regularibus* et eorum subditis *regularibus;* amoto autem hoc decreto, non remanet nisi *jus commune clericorum sæcularium*, quod tribuit soli episcopo *originis*, vel *domicilii*, vel *beneficii* aut *familiaritatis*, totum jus ordinandi aut dimittendi.

b. Ut supra (n. **159**, 5°) dictum est, ipsi superiores regulares non possunt dimittere ad sacros ordines, subditos suos qui *vota tantum simplicia* emiserunt; admitti ergo nequit superiores institutorum de quibus agimus posse dimittere ad quoslibet ordines subditos suos, qui nunquam emittunt nisi vota simplicia.

c. Lis dirempta est duabus responsionibus S. Congre-

[1] *Acta S. Sedis*, t. I, p. 358 (ubi tamen tacentur nomina); — et latius apud Bizzarri, *Collectanea S. Congr. Ep. et Reg.*, Romæ, 1885, p. 706-712.

[2] Vide textum ad calcem hujus voluminis, *Documentum IV*.

[3] *Acta S. Sedis*, t. XXVI, p. 616-620, vel in *Canoniste*, t. XVII, an. 1894, p. 289-292.

gationis Ep. et Reg.; nam primo, in cit. *Tarvisina*, 6 maii 1864, ad hæc dubia : « 1. An et quomodo episcopus A (Tarvisinus) ad sacram ordinationem admittere possit alumnos instituti B (Instituti Charitatis), ex fide superioris domus declarantis alumnos adscriptos esse eidem domui; vel potius necessariæ sint litteræ dimissoriæ et testimoniales episcopi originis seu domicilii, juxta formam constitutionis Innocentii XII, quæ incipit *Speculatores;* — 2. An et quomodo idem dici debeat quoad alumnos jam promotos ad tonsuram, vel ad aliquem ordinem; » respondit : « Ad 1. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam; — Ad 2. *Affirmative* in omnibus[1]. » — Deinde in cit. *Parisien.*, 9 febr. 1894, ad hæc dubia : « 1. Utrum nunc, post decretum *Auctis*, instituta votorum simplicium libere possint, sine indulto speciali, alumnis suis dimissoriales litteras ad ordines concedere; — 2. Quatenus *affirmative*, utrum hæc decisio restringenda sit ad instituta votorum simplicium a S. Sede approbata, vel applicanda etiam ad instituta votorum simplicium sola episcopali auctoritate et approbatione munita; » respondit : « Ad 1. *Negative;* — ad 2. Provisum in 1[2]. »

d. Revera, potestas litteras dimissorias ad ordines concedendi habetur uti res gravissimi momenti, quia agitur de subdito statui clericali ordinibusque sacris in perpetuum mancipando; quæ rei gravitas adhuc aucta est hodie, cum fere semper desint tituli communes sacræ ordinationis, nempe *beneficii* et *patrimonii;* unde superior qui dimittit subditum ad ordines onus assumit ejus sustentationis perpetuæ. Ideo potestas dimittendi nullo modo præsumitur aut supponitur, nec etiam comprehensa censetur in generali auctoritate superioris in subditos, aut in approbatione

[1] *Acta S. Sedis*, t. I, p. 365-366; — et apud Bizzarri, *loc. cit.*, p. 711.
[2] *Acta S. Sedis*, t. XXVI, p. 619, vel in *Canoniste*, t. XVII, p. 292.

instituti a S. Sede concessa. — Quoad decretum *Auctis*, nullo modo concedit præfatam potestatem omnibus institutis votorum simplicium, sed tantum, de facto, non agit nisi de his institutis, quæ hac potestate indulto apostolico jam fruuntur; nil enim amplius ex hoc decreto concludi potest.

II. Indultum multarum congregationum hac in re

178. — Formula consueta indulti. — A sæculo XVII, concessa sunt superioribus institutorum, de quibus agimus, indulta, vi quorum jus habent *dimittendi*, aut (ut aliquando etiam dicitur) *præsentandi* subditos suos episcopo diœcesano, aut etiam cuicumque episcopo, ut ab illo ordines recipiant. Sic potestatem concedendi litteras dimissorias Urbanus VIII (an. 1632) et Alexander VII (an. 1655) concesserunt congregationi Missionis[1]. Quod factum est etiam pro multis aliis institutis, præsertim nostris temporibus. Ab anno autem 1894, concinnari solet præfatum indultum hoc modo : « Superiori instituti N. datur *facultas ad triennium* (vel ad quinquennium[2]) *concedendi suis subditis litteras dimissoriales ad ordines suscipiendos a quocumque sacro Antistite gratiam et communionem habente cum apostolica Sede, dummodo episcopus diœcesis, in cujus limitibus pia domus ordinandi reperitur, a sua sede abfuerit, vel habiturus non fuerit ordinationem, juxta decretum Clementis VIII, die 15 martii 1596*[3]. » Hoc Clementis VIII decretum est illud celebre *decretum Clementinum*, toties in capite superiore alle-

[1] Honorante, *Praxis*, etc., p. 127.

[2] Vel aliquando pro determinato numero casuum, v. g., pro 20 casibus.

[3] Ita in multis indultis, quæ sub oculis habui.

gatum, quod constituit jus commune pro *Regularium* ordinatione.

179. — Interpretatio hujus indulti.

1° Superior instituti tenetur *regulariter* dimittere subditum suum ad episcopum *diœcesanum*, nempe, ut ait Clemens VIII, ad episcopum *illius monasterii in cujus familia religiosus positus fuerit* ab auctoritate competente, vel, ut legitur in indulto quod exponimus, *ad episcopum diœcesis, in cujus limitibus pia domus ordinandi reperitur.* Hic etiam superiores vitare debent fraudem quæ supra (n. **159**, 2°) notata est quoad superiores regulares. — Difficultas aliquando esse poterit, utrum talis religiosus sit, vel non, *de familia conventus;* res judicanda erit ex variis adjunctis, v. g., ex munere quod ei committit superior in conventu. Solent nonnunquam superiores in determinatam domum instituti, præsertim in domum principem, coadunare subditos suos, v. g., ad peragenda in communi exercitia spiritualia, postea statim reversuros in proprium conventum; porro non putaverim hanc brevissimam et precariam commorationem in domo principe sufficere ad hoc, ut episcopus, in cujus diœcesi hæc princeps domus reperitur, sit episcopus proprius quoad ordinationem omnium alumnorum qui simul spiritualibus exercitiis vacaverunt.

2° Ex ipsis indulti terminis, duo casus excipiuntur, in quibus superior instituti suum subditum dimittere potest ad quemcumque episcopum, nempe : 1. Quando *abest episcopus diœcesanus;* — 2. Quando, licet præsens, *habiturus non sit ordinationem.* — Hi autem duo casus eodem prorsus modo exponi debent quo supra (n. **159**, 3°) pro Regularibus, cum indultum sese referat ad decretum Clementinum. — Item, et propter eamdem rationem, his

duobus casibus tertius addendus est, nempe casus quo *vacat sedes episcopalis diœcesana* (supra, n. **161**, 2°).

3° Duæ autem condiciones requiruntur, ut, in casibus prædictis, superior possit dimittere subditum ad quemcumque episcopum : 1. Ut non distulerit de industria concessionem dimissoriarum in tempus quo absit episcopus diœcesanus, vel ordinationem non sit habiturus; — 2. Ut superior in ipsis dimissoriis exprimat causam cur dimittat ad episcopum alienum, nempe quia episcopus diœcesanus est absens, aut non habiturus est ordinationem. Has duas condiciones requirit *decretum Clementinum*, ut patet ex ipso ejus textu (n. **158**); cum ergo indultum se referat ad hoc decretum, superior tenetur has etiam condiciones servare. Non putaverim tamen superiorem, qui in aliquo deficiat ab his condicionibus, incurrere pœnas decreti Clementini, nempe privationem officii, vocis activæ, etc.; nam relatum supra (n. **178**) indultum, dum addit, in fine, « juxta decretum Clementis VIII, die 15 martii 1596, » allegat quidem fontem, unde desumpta fuit dispositio indulti, non vero intendit renovare totum illud decretum quoad omnes ejus partes; saltem id non præsumitur, præsertim in materia pœnali, cum pœnæ sint strictæ interpretationis.

4° Quando agitur de superiore *regulari*, præter duas relatas condiciones, tertiam servare debet, nempe *attestationem vicarii generalis* aut *cancellarii, testantis episcopum diœcesanum esse revera absentem aut non habiturum ordinationem;* ex Benedicti XIV bulla *Impositi* (supra, n. **159**, 4°). Cum autem agitur de superiore instituti votorum simplicium, hæc tertia condicio *per se* non obligat, cum cit. indultum se referat quidem ad decretum Clementinum, non vero ad bullam Benedictinam, quæ aliunde ex se non respicit nisi Regulares. Cum tamen su-

perior episcopum alienum, ad quem subditum suum dimittit, certiorem facere debeat de existentia causæ, nempe de absentia episcopi diœcesani, aut ordinationis ab eo non habendæ, tenebitur exhibere prædictam attestationem, quoties non præsto erit aliud medium causam demonstrandi.

180. — Requisita ut superior subditum dimittat ad ordines sacros.

1° Quoad *vota a subdito emissa*, sic statuitur in decreto *Auctis* : « Horum institutorum (votorum simplicium) superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro sacris ordinibus, vel quomodocumque ad sacros ordines alumnos promovere titulo mensæ communis vel missionis, nisi *illis tantum alumnis qui vota quidem simplicia, sed perpetua, jam emiserint, et proprio instituto stabiliter aggregati fuerint, vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis, quoad ea instituta quæ ultra triennium perpetuam differunt professionem.* » Unde vel agitur de instituto in quo professio perpetua *non remittitur ultra triennium votorum temporaneorum*, vel agitur de instituto in quo dicta professio *remittitur ultra triennium*. In priore casu, subditus dimitti potest ad subdiaconatum, *statim post emissam professionem*, et proinde licet, juxta instituti constitutiones, professio perpetua emitti soleat post duos tantum, aut etiam unum annum votorum simplicium, quia textus decreti non distinxit; de quo notanda duo : 1. Revocantur in decreto *Auctis* omnia indulta aut privilegia contraria ; — 2. Non amplius dispensabitur subditus ut sacrum ordinem recipiat ante professionem *perpetuam*, sed tantum, occurrente causa legitima, ut *anticipare possit hanc professionem perpetuam*, qua

emissa, poterit sacrum ordinem recipere; ita expresse in decreto *Auctis*, § 2[1]. — In posteriore casu, nempe, si agatur de instituto, in quo perpetua professio *remittitur ultra triennium*, subditus dimitti nequit ad subdiaconatum nisi post *tres annos votorum temporaneorum*, sublatis pariter indultis aut privilegiis contrariis; peti tamen potest dispensatio a Sede apostolica ut ante triennium recipiatur subdiaconatus, si gravis occurrat causa.

2° Quoad *studium theologiæ*, ut subditus dimitti possit ad sacros ordines, requiritur ut sacræ theologiæ operam dederit per unum, vel duos, aut tres annos, prout agitur de subdiaconatu, vel diaconatu aut presbyteratu, et de hoc studio exhibeantur episcopo litteræ testimoniales. Ita ex decreto *Auctis*, § 6, loco supra (n. **164**) citato, qui respicit professos votorum simplicium, sicut solemnium.

181. — Casus specialis de alumnis in seminario studentibus. — Non raro contingit ut alumni institutorum votorum simplicium, peracto novitiatu, non adscribantur ulli congregationis aut instituti domui, sed mittantur in aliquod seminarium ut studiis dent operam; quibus studiis perfectis, tunc demum adscribantur alicui certo instituti monasterio seu domui. Quod revera contingit singulis annis in majore seminario Parisiensi, in quo studiorum causa, degere solent alumni plures ex variis institutis votorum simplicium. Quæritur ergo ad quemnam episcopum superiores generales mittere debeant litteras dimissoriales pro his alumnis ordinandis, utrum ad episcopum seminarii, vel ad episcopum loci novitiatus aut domus principis instituti, vel ad episcopum originis subditorum, vel ad aliquem alium; cum ergo hac de re,

[1] Textus extat ad calcem hujus voluminis, *Documentum IV*.

anno 1899, in diœcesi Parisiensi, controversiæ, ut par erat, excitatæ fuissent, Eminentissimus card. Richard, archiepiscopus Parisiensis, rem proposuit Congregationi Ep. et Reg., quæ, die 7 junii 1899, decretum edidit ut sequitur[1]: « Decretum. — Cum, peculiari S. Sedis indulto, superioribus generalibus recentiorum congregationum, in quibus vota dumtaxat simplicia nuncupantur, impertiri soleat, ad certum tempus, facultas concedendi suis subditis litteras dimissoriales ad ordines suscipiendos, ea tamen condicione, ut easdem litteras dirigant ad episcopum diœcesis, intra cujus limites pia domus ordinandi reperitur, nisi hic abfuerit aut ordinationem non sit habiturus, nova quædam exorta est quæstio, quæ ab Emo et Rmo S. R. E. cardinali F. M. B. Richard, archiepiscopo Parisiensi, huic S. Congregationi Ep. et Reg. neg. et consult. præpositæ, nuper subjecta fuit.

« Exposuit nempe prælaudatus archiepiscopus non raro contingere ut hujusmodi congr. seu inst. sodales, ubi primum votorum professionem emiserint, quin certæ instituti domui inscribantur, ad seminarium Parisiense a suis superioribus, studiorum causa, mittantur, ibique per unum aut plures annos commorentur, vitam communiter ducentes cum ceteris ejusdem seminarii alumnis. Adjiciebat autem quæsitum exinde esse ad quemnam episcopum, pro ordinatione hujusmodi sodalium, respectivi superiores generales mittere teneantur litteras dimissoriales, maguamque hac de re obortam esse contentionem, aliis alia sentientibus; quare enixe postulabat ut auctoritate hujus S. Congr. decerneretur quid in præfatis casibus servandum sit.

« Porro manifestum est tam legem veterem pro Regu-

[1] Hoc decretum ex authentico exemplari ipse exscripsi.

laribus votorum solemnium, ad rem, latam, quam recentes S. Sedis concessiones, illud uti certum præsumpsisse, quod quilibet religiosus seu instituti alumnus alicui semper monasterio seu domui sit addictus : quod quidem, juxta exposita, reapse non obtigit.

« Itaque eadem S. Congr., universa rei ratione mature perpensa, decernendum censuit litteras dimissoriales, in casibus de quibus supra, *dirigendas esse ad episcopum diœceseos, in cujus seminario præfati alumni studiis dant operam, dummodo tamen seu postquam ipsi saltem per integrum annum ibidem commorati fuerint;* servata in reliquis forma ac tenore indulti respective concessi.

« Facta autem de præmissis relatione SS. D. N. Leoni d. Prov. PP. XIII in audientia habita ab infrascripto cardinali, die 30 maii 1899, Sanctitas Sua *sententiam S. Congr. probare dignata est, eamque uti legem ab omnibus, ad quos spectat, servari jussit,* contrariis quibuscumque non obstantibus.

« Datum Romæ, ex secretaria memoratæ S. Congr., die 7 junii 1899.

« S. card. Vannutelli Præf. »

De hoc decreto notanda duo : 1. Hoc decretum non est mera interpretatio legis, sed vera *lex*, auctoritate Rom. Pontificis servanda; ideoque, relative ad ordinationem, episcopus seminarii est *episcopus proprius* alumnorum religiosorum in seminario degentium; ad ipsum proinde dirigendæ sunt litteræ dimissoriales, nisi absit aut non habiturus sit ordinationem, aut sedes vacet; — 2. Ut episcopus seminarii sit episcopus proprius alicujus alumni, requiritur ut hic in seminario commoratus fuerit « saltem per integrum annum »; quod intelligitur, non de anno scholari

(ut supra, n. **164**), sed de anno vulgari *duodecim mensium;* agitur enim hic, non de studiis, sed de *commoratione*, et quidem per annum *integrum;* dicitur autem quid *integrum,* cui nulla sui pars deest[1].

182. — **Quæritur :** *Num alumni religiosi, ut ad ordines dimitti possint a superioribus suis, excorporari debeant a propria diœcesi*, nempe diœcesi originis aut domicilii.

Resp. : 1. In nova formula indulti, post decretum *Auctis* concedi solita (supra, n. **178**), non fit mentio *excorporationis* ordinandi e propria diœcesi; unde non requiritur hæc condicio, sed sufficit ut alumnus legitime fuerit ingressus institutum, et per professionem factus fuerit superiori subditus.

2. In veteribus indultis, nempe ante decretum *Auctis*, sæpe imponitur condicio, ut alumnus, ad ordines a superiore dimittendus, sit prius a propria diœcesi *excorporatus.* Quæritur ergo num superiores, qui adhuc utuntur his indultis, teneantur, antequam subditos dimittant ad ordines, requirere eorum excorporationem a propria diœcesi. — Res non caret difficultate; ex una enim parte, post decretum *Auctis*, hæc condicio facta est inutilis; nam hæc condicio præcipue apponebatur in favorem episcopi proprii, ne scilicet alumni instituti religiosi, in sacris ordinati, et postea ab instituto egressi vel dimissi, regrederentur in propriam diœcesim, ubi esse possent magno gravamini episcopo suo; sed, post decretum *Auctis*, hoc non est amplius timendum; nam, vi hujus decreti, alumni instituti votorum simplicium, in sacris ordinati, non possunt amplius dimitti a suo instituto, nisi cum maximis difficul-

[1] Barbosa, *De dictionibus usufrequentibus,* dictio 167, *Tractatus varii*, Lugduni, 1644, p. 704.

tatibus, sicut in Ordinibus regularibus; et, si dimittantur, nullum jus habent petendi quidquam, nec etiam alimenta, ab episcopo proprio; imo manent suspensi donec inveniant aliquem episcopum *benevolum receptorem;* ergo, post decretum *Auctis*, facta est inutilis condicio excorporationis. — Ex altera autem parte, quoties aliqua condicio servanda præscribitur in indulto, servari debet, nisi evidenter demonstretur eam factam esse prorsus inutilem; atqui condicio excorporationis facta quidem est inutilis, ut dictum est, pro viris religiosis ordinatis *in sacris,* qui forsan egrederentur ex instituto, non vero pro alumnis ordinatis tantum *in minoribus*, quippe qui, sicut antea, facile egredi aut dimitti possint e suo instituto, et ad propriam regredi diœcesim.

Quæ cum hinc inde disputarentur, an. 1894, in diœcesi Parisiensi, Emus card. Richard, archiepiscopus Parisiensis, dubium hoc, inter alia, proposuit S. Congregationi Ep. et Reg.: « IV. Utrum nunc, post decretum *Auctis,* condicio excorporationis ordinandi a propria diœcesi, quæ, per indulta, sæpe imponitur alumnis institutorum votorum simplicium, ut ad ordines a superioribus suis dimitti possint, facta sit ita inutilis, ut non amplius obliget; » ad quod dubium S. Congr. respondit, die 13 julii 1894 : « Ad IV, *affirmative*[1]; » id est ita facta est inutilis, ut non amplius obliget. Revera, sicut, in Ordine regulari, excorporatio viri regularis e propria diœcesi fit ipso jure per professionem, quin requirantur litteræ excorporationis, ita nunc, post decretum *Auctis,* etiam in institutis votorum simplicium, excorporatio fit *ipso jure* per *emissionem votorum, cum receptione ordinis sacri conjunctam;* unde factæ sunt inutiles litteræ excorporationis. — Quod si

[1] Hæc exscripsi ex authentico exemplari.

alumni egrediantur ex instituto ante receptionem ordinis sacri, regredi quidem possunt in suam diœcesim, sed non tenetur eos episcopus ordinare, nisi, ad normam conc. Trid., cap. *Cum non deceat*, 2, sess. XXI, De ref., eos judicet utiles aut necessarios suis ecclesiis.

III. Indulta specialia

183. — Indulta recipiendi ordines a quocumque episcopo.

1° Instar Ordinum regularium, quædam congregationes votorum simplicium impetrarunt privilegium recipiendi ordines *a quocumque episcopo*, gratiam et communionem cum Sede apostolica habente. Sic: 1. Congregatio Missionis hoc indultum habet, vi plurium brevium, v. g., Benedicti XIV brevis *Æqua apostolicæ*, 5 apr. 1744[1], Pii IX brevis *Religiosas familias*, 3 maii 1855[2]; — 2. Congregatio SS. Redemptoris idem habet privilegium pro omnibus suis provinciis ultra montes, vi decreti S. Congr. de Prop. Fide, 3 oct. 1803, a Pio VII confirmati[3]; — 3. Recentius idem indultum, sed *ad quinquennium* tantum, concessum est congregationi Augustinianæ ab Assumptione, rescripto S. Congr. Ep. et Reg., 21 junii 1895[4].

2° Difficilius hodie conceditur hoc indultum, saltem in perpetuum; unde cum Salesiani illud pluries et instantissime petierint anno 1897 et sequentibus, omnino negatum est, uti constat ex responsione S. Congr. Ep. et Reg., 24 febr. 1899, in *Taurinen.*[5].

[1] Apud Honorante, *Praxis*, etc., c. XII, not. 10, p. 128-130.

[2] Quod allegatur in *Taurinen.*, 24 feb. 1899 (coram S. Congr. Ep. et Reg.), apud *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 723.

[3] *Ibid.*, *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 723.

[4] *Ibid.*

[5] *Ibid.*, p. 727.

3° Item, ut valeat hoc privilegium, requiritur ut *directe et nominatim* concessum fuerit tali instituto, ita ut hac in re non prosit communicatio privilegiorum. Ita decisum est a Benedicto XIV, in bulla *Impositi Nobis*, § 13 (supra, n. **160**), pro Ordinibus regularibus, et proinde, a fortiori, pro institutis votorum simplicium. Unde, licet congregatio Salesiana, de qua statim dictum est, ad communicationem privilegiorum cum congregatione SS. Redemptoris a Leone XIII an. 1884 admissa fuerit, hujus communicationis hac in re non fuit habita ratio, in decisione S. Congr. Ep. et Reg., an. 1899, in cit. *Taurinen.*

§ 2. De variis adjunctis ordinationis religiosorum votorum simplicium.

In hoc exponendo paragrapho, sequor ordinem analogi paragraphi quoad Regularium ordinationem (supra, n. **162** sq.).

184. — Examen alumni ordinandi. — De hoc examine hæc dicenda :

1° Si institutum jure non potiatur concedendi litteras dimissoriales subditis suis, ordinatio horum subditorum omnino regitur jure communi quoad sæculares clericos ordinandos. Unde jus faciendi examen pertinet ad episcopum proprium ratione originis, vel beneficii[1]. Qui tamen episcopus cum, ut supra (n. **117**) dictum est, liberrimus sit quoad *tempus* et *modum* examinis, et quoad *designationem examinatorum*, committere potest omnes examina-

[1] Omitto episcopum *domicilii*, quia alumnus ordinandus, voto obedientiæ adstrictus, non potest adimplere condiciones in bulla *Speculatores* requisitas ut quis subditus sit alicui episcopo ratione *domicilii*.

tionis partes, etiam examen de doctrina, superiori instituti, vel viris ab hoc delegatis; imo decet ut fidem præbeat his quæ testatur superior, cujus maximi interest, ut non nisi digni alumni ordinentur.

2° Si institutum fruatur indulto concedendi litteras dimissoriales subditis suis, quale nunc concedi solet (supra, n. **178**), tunc examen de *doctrina* pertinet ad episcopum *ordinantem*, qui, quoad cetera, stare debet attestationi superiorum. Ita enim cautum est in decreto Clementis VIII (an. 1596) quoad *Regulares* (supra, n. **162**); porro solitum indultum de quo agitur, expresse se refert ad decretum Clementinum, ut patet ejus tenore supra exposito (n. **178**).

185. — Tempora ordinationum. — Instituta votorum simplicium, sicut Ordines regulares, et a fortiori, tenentur lege canonica de servandis temporibus ordinationum. Unde, ut superiores subditos suos promoveri faciant extra hæc tempora, requiritur indultum apostolicum. Hoc autem indultum quibusdam institutis concessum est *in perpetuum*, v. g., Congregationi SS. Redemptoris, vi duorum brevium, Pii VI, 21 aug. 1789, et Pii VII, 9 jan. 1807[1]; aliis autem *ad tempus*, v. g., congregationi Salesianæ, *ad quinquennium*, ex cit. decisione S. Congr. Ep. et Reg., in *Taurinen.*, 24 febr. 1899. Agitur autem de indulto seu privilegio *ordinario*, nisi constet quid *extraordinarium* concedi (supra, n. **166**).

186. — Interstitia. — Idem hac in re dixerim de institutis votorum simplicium, quod de Regularibus (supra,

[1] Ut testatur Provincialis Galliæ hujus instituti, in epistola 2 dec. 1875, quam præ manibus habui.

167., id est, jus dispensandi cum alumnis votorum simplicium in interstitiis competit, non superioribus, sed episcopo, illi nempe episcopo, qui, vi indulti institutis concessi, jure potitur alumnos ordinandi, et proinde vel episcopo monasterii, vel (hoc absente aut ordinationem non habente) episcopo alieno, ad quem superior dimittit subditos. — Ratio est quia hæc attributio juris interstitia relaxandi, *episcopo ordinanti* facta, est quasi corollarium decreti Clementini, quod statuit de jure ordinandi Regulares; sic enim rem interpretata est pluries S. Congr. Conc., ut supra (n. **167**, 3°) dictum est; porro indultum dimissorias concedendi, institutis concedi solitum, se refert, ut pluries dixi, ad hoc decretum Clementinum. — De quo notanda duo : 1. Si institutum jure non potiatur dimissorias concedendi, jus relaxandi interstitia, pertinet ad episcopum qui est proprius vi bullæ *Speculatores;* — 2. Quibusdam institutis votorum simplicium privilegium seu indultum concessum fuit, vi cujus alumnos suos promovere possint « non servatis interstitiis », v. g., congregationi SS. Redemptoris, vi duorum brevium Pii VI et Pii VII supra (n. **185**) relatorum.

187. — Litteræ testimoniales. — Lex de litteris testimonialibus exhibendis, qualis indicta est tum ab Innocentio XII, in bulla *Speculatores*, tum a Pio IX, in bulla *Apostolicæ sedis*, De suspensionibus, n. 3, respicere non videtur alumnos ordinandos ex institutis votorum simplicium, ita ut idem fere de iis dicendum sit quod de Regularibus (supra, n. **171**), modo tamen agatur de institutis quæ jure pollent, vi indulti, concedendi dimissorias subditis suis[1]. Nam :

[1] In aliis enim Institutis, alumni jure communi clericorum sæcularium ordinandorum omnino tenentur, ut patet.

1° Bulla *Speculatores* jura et officia exhibet episcoporum, qui sunt proprii (quoad ordinationem) ratione *originis, domicilii, beneficii, familiaritatis;* sed extra horum censum est episcopus *diœcesanus monasterii* seu *domus religiosæ*, ad quem, vi soliti indulti, superiores dirigere debent litteras dimissoriales ad ordinandos suos subditos.

2° Bulla *Apostolicæ sedis,* loc. cit., respicit episcopum qui ordinat *proprium subditum* absque litteris testimonialibus, etc. Sed episcopus diœcesanus monasterii, quando ordinat alumnum religiosum ad se dimissum, dici nequit rigorose (præsertim in re pœnali) ordinare *proprium subditum;* hic enim alumnus est subditus superioris instituti, non episcopi ordinantis. Quod præsertim verum est, quando episcopus ordinans non est episcopus diœcesanus, sed episcopus *alienus quicumque.*

3° Pro his alumnis religiosis, abunde satisfit legi de testimonialibus, ob Pii IX decretum, 25 jan. 1848, quo præscribuntur variæ litteræ testimoniales pro religiosis ad habitum admittendis. De quo proinde idem dicendum quod supra (n. **171**) de Regularibus.

4° Egregie confirmatur responsione S. Congr. Ep. et Reg. Cum enim hæc quæ dicta sunt disputarentur et controverterentur in diœcesi Parisiensi, anno 1894, Eminentissimus cardinalis Richard, archiepiscopus Parisiensis, hæc duo dubia proposuit dictæ Congregationi : « 1. Utrum, in ordinatione alumnorum religiosorum, ex iis institutis quæ simplicia tantum vota emittunt, requirantur litteræ testimoniales Ordinariorum, in quorum diœcesibus hi alumni tanto tempore morati sunt, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerint; ad normam const. *Apostolicæ sedis*, De suspensionibus, § 3; — vel potius sufficiant litteræ dimissoriæ superioris generalis, quin requi-

rendæ sint dictæ testimoniales; — 2. Quatenus *affirmative ad primam partem*, utrum dictæ litteræ testimoniales requirantur etiam pro tempore quod intercedit inter expletum decimum quintum ætatis annum alumni religiosi, et ejus ingressum in congregationem, quamvis jam habitæ sint pro hoc tempore litteræ testimoniales Ordinariorum decreto Pii IX 25 jan. 1848 præscriptæ. » Porro S. Congregatio, die 1 martii 1895, « juxta ea quæ proponuntur, respondit : ad 1. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam;* — ad 2. *Provisum in 1.* — Datum Romæ ex secretaria S. C. Ep. et Reg., hac die 1 martii 1895. — I. C. Verga[1]. »

188. — Publicatio bannorum. — Utrum alumni ordinandi ex institutis votorum simplicium teneantur, vel non, lege proclamationis nominum seu publicationis bannorum in ecclesia parochiali, res non caret difficultate.

Ex una parte, teneri videntur. Nam lex Tridentina (cap. *Ad minores*, 5, sess. XXIII, De ref.), quæ hanc publicationem ante singulos ordines majores præcipit, est generalis. *Regulares* quidem hac non tenentur, ut dictum est (n. **170**); sed declarationes S. Congr. Conc., quæ illos eximunt, non respiciunt nisi *Regulares*, et argumenta quæ valent pro eximendis Regularibus non plene aptantur religiosis votorum simplicium; illi enim sunt exempti a jurisdictione episcoporum et parochorum, hi autem non sic.

Ex altera parte, videntur non teneri; nam : 1. Lex illa publicationis bannorum abunde impletur per illas litteras testimoniales quas Pius IX, decreto 25 jan. 1848, requiri

[1] Hæc omnia exscripsi ex authentico exemplari, quod præ manibus habui.

jussit, antequam religiosi admittantur ad habitum, sive ab episcopo originis, sive ab episcopis diœceseon, in quibus postulans moratus est ultra unum annum; in his litteris Ordinarii testificari debent de postulantis *natalibus, ætate, vita et moribus*, etc. Porro, ut constat loco cit. Conc. Trid. (cap. *Ad minores*, 5, sess. XXIII), lex publicationis nominum non alium finem habet, nisi inquirendi de ordinandi *natalibus, ætate, vita* et *moribus:* ergo huic legi jam satisfactum est per testimoniales a Pio IX præscriptas; — 2. Religiosi votorum simplicium, qui fruuntur indulto litteras dimissorias concedendi, fere in omnibus assimilantur Regularibus, quoad ordinationem; ordinantur enim, sicut Regulares, ab episcopo diœcesano, cum dimissoriis superioris, ad titulum mensæ communis (qui æquivalet titulo paupertatis), sine testimonialibus, etc.; revera, ex dictis, motiva hujus assimilationis sat patent; ergo pronum est etiam ut assimilentur Regularibus quoad exemptionem a lege publicationis bannorum.

Hæc argumenta non sunt spernenda; unde, licet opinio tenens religiosos dicta lege teneri videatur juri et principiis conformior, mihi tamen opinio altera videtur vere et solide probabilis[1]. — Alumni congregationis Missionis, quando Romæ ordinantur, non tenentur lege proclamationum, vi decreti S. Congr. Conc., 17 apr. 1728[2].

189. — Titulus mensæ communis. — De hoc titulo hæc dicenda :

1° Titulus *mensæ communis* consistit in ipso *jure, quod unusquisque religiosus, vi suæ professionis votorum sim-*

[1] Hanc tenet Gasparri, *De ordinatione*, n. 701, in fine, t. II, p. 26.
[2] Apud Honorante, *loc. cit.*, p. 130.

plicium, adipiscitur, nempe *ut sustentetur ex bonis monasterii seu congregationis,* in qua vota emittit. Unde hic titulus valde affinis est titulo paupertatis (n. **143**).

2° Hic titulus est *juri communi contrarius* et proinde indiget indulto speciali. — Constat duobus documentis supra (n. **172**) relatis, nempe S. Pii V bulla *Romanus pontifex sacrorum*, 14 oct. 1568, et Pii IX constitutione *Apostolicæ sedis,* De suspensionibus, n. 4. In priore enim bulla, omnino prohibetur ne, præter *Regulares de facto solemniter professos,* quicumque clericus, etiam in congregatione vivens et votis adstrictus, in sacris ordinetur *absque titulo beneficii, patrimonii* aut *pensionis;* et in altera, decernitur pœna suspensionis contra episcopum, qui talem clericum in sacris ordinet absque dicto titulo beneficii vel patrimonii. Ergo, ut alumni alicujus instituti votorum simplicium possint ordinari in sacris ad titulum *mensæ communis*, requiritur indultum speciale.

3° Etiam nunc, post decretum *Auctis,* 4 nov. 1892, instituta votorum simplicium promovere facere nequeunt suos subditos *titulo mensæ communis* sine indulto speciali. Cum enim, post editum hoc decretum, quidam dicerent jus inesse omnibus his institutis promovendi suos subditos ad titulum mensæ communis, quia putabant hoc concedi aut supponi in hoc decreto, § 1 [1], Eminentissimus cardinalis Richard, archiepiscopus Parisiensis, dubium proposuit S. Congr. Ep. et Reg., his verbis : « 3. Utrum nunc, post decretum *Auctis*, instituta votorum simplicium libere possint, sine indulto speciali, alumnos suos promovere ad ordinem sacrum titulo mensæ communis, vel alio simili; » ad quod dubium S. Congregatio, 9 febr. 1894,

[1] *Acta S. Sedis,* t. xxv, p. 312, vel ad calcem hujus voluminis, *Documentum IV.*

respondit : « Ad 3. Negative[1]. » Revera decretum *Auctis* nullo modo concedit hoc jus dictis institutis, nec supponit hoc jus eis inesse, sed tantum loquitur de institutis quæ de facto hoc jus a Sede apostolica indulto speciali impetrarant. — Imo, licet institutis votorum simplicium hæc duo privilegia, nempe concedendi dimissorias subditis suis, et eos promovendi titulo mensæ communis, simul concedi soleant, attamen posterius non includitur in priore, ut per se patet, et ut supponitur in præfata responsione S. Congr. Ep. et Reg. Unde, pro posteriore privilegio, requiritur concessio specialis.

4° Quando alumnus vota quidem simplicia emisit, sed *perpetua*, jus quod habet ut sustentetur ex bonis congregationis, est perpetuum; imo, juxta decretum *Auctis*, § 3, ex instituto dimitti nequit nisi cum maximis difficultatibus, fere sicut Regulares ex Ordine regulari; unde tunc titulus mensæ communis æquivalet titulo paupertatis. — Quando alumnus vota simplicia et *temporanea* tantum emisit, et tamen, ad normam eorum quæ supra (n. **180**) tradita sunt, recipit ordinem sacrum, jus illius ad sustentationem ex temporaneo fit perpetuum, quia tunc, ex decreto *Auctis*, § 3, adeo stabiliter aggregatur instituto, vi hujus sacræ ordinationis, ut ex eo dimitti nequeat, nisi, ut supra, cum maximis difficultatibus. Unde tunc titulus mensæ communis ex temporaneo fit perpetuus; quod prorsus singulare est huic titulo, quod nempe ex ipsa ordinatione fiat fortior et perpetuus.

190. — Summa dictorum seu documenta a religioso exhibenda episcopo.

1° Si alumnus religiosus ordinationem petat ab episcopo

[1] Vide relatam causæ discussionem apud *Acta S. Sedis*, t. XXVI, p. 616-620.

diœcesano, nempe ab episcopo diœcesis, in qua pia domus ordinandi reperitur, tenetur ei exhibere *litteras dimissoriales* superioris sui. — Cum autem potestas hujusmodi litteras concedendi non competat superiori jure communi, sed indulto, oportet ut episcopus certior fiat de *indulto concesso, et adhuc vigente* (nam hujusmodi indulta plerumque ad tempus conceduntur); unde exigere potest ut sibi ostendatur ipsum indultum, aut saltem transsumptum indulti authenticum.

2° In his dimissoriis, superior testimonium dat : 1. De qualitate *professi*, et de *conventu* seu *domo*, ad cujus familiam pertinet ordinandus; — 2. De requisitis ad ordines, nempe legitimis natalibus, ætate, probitate morum et scientia; item (nisi jam receptus sit aliquis ordo) de baptismo et de confirmatione; — 3. De ultimo ordine recepto; — 4. De servatis interstitiis, nisi quoad hoc petatur ab episcopo dispensatio; — 5. De formali examine quoad doctrinam, si revera peractum fuerit.

3° Si alumnus religiosus ordinationem petat ab episcopo *alieno*, ad normam consueti indulti (quod se refert ad decretum Clementinum), litteris dimissoriis annecti debet documentum, quo hic episcopus certior fiat, episcopum diœcesanum abesse, aut ordinationem non habiturum; defectu alterius documenti sufficienter probantis, exhibenda erit attestatio vicarii generalis vel cancellarii episcopi diœcesani (supra, n. **179**, 4°).

4° Si alumnus promovendus sit ad subdiaconatum, necessarius erit titulus vel *beneficii*, vel *patrimonii* aut *pensionis*, vel saltem *mensæ communis;* in hoc ultimo casu, oportet ut episcopus ordinans certior fiat de *indulto concesso* et *adhuc vigente*.

5° Si alumnus promovendus sit ad ordinem sacrum, annecti debent attestationes de peracto theologiæ studio.

191. — Ordinatio novitiorum. — De novitiis in congregationibus votorum simplicium idem a fortiori dicendum est quod de novitiis in Ordinibus regularibus (supra, n. **175** sq.), nempe eos censendos esse quasi sæculares et proinde subjectos juri communi clericorum sæcularium ordinandorum, nisi constet etiam in eos extendenda esse privilegia congregationi concessa.

TITULUS II

DE RITIBUS ORDINATIONIS

CAPUT I

NOTITIÆ HISTORICÆ CIRCA RITUS ORDINATIONIS

§ 1. Ritus ordinationis in Ecclesia romana.

192. — Documenta seu fontes. — Documenta seu fontes, unde haurire possumus ritus quas in ordinationibus adhibebat Ecclesia romana per octo aut novem priora sæcula, nempe antequam his ritibus miscerentur elementa extranea, sunt præsertim quæ sequuntur :

1° *Sacramentarium* sic dictum *Leonianum;* continetur in uno codice mss., qui exstat in bibliotheca capitulari Veronensi. Hunc typis ediderunt Bianchini, Muratori, demum Ballerinii, quorum editionem exscripsit Migne[1]. — Hoc sacramentarium, ut ex

[1] Bianchini, *Anastasii Bibliothecarii...*, t. IV, p. XII sq.; — Muratori, *Vetus liturgia Romana*, t. I, p. 293 sq.; — Ballerinii, inter *Opera S. Leonis*, t. II, p. 1 sq.; Migne, *P. L.*, t. LV, col. 21-156. — Manuscriptum describit L. Delisle, *Mémoires de l'académie des inscriptions et belles-lettres*, Paris, 1886, t. XXXII, part. 1, n. 1, p. 65.

ejus tenore patet, exhibet liturgiam et disciplinam romanam sæculi VI.

2° *Sacramentarium* sic dictum *Gregorianum*, non tamen quodlibet, sed *antiquum*. Quatuor enim typis edita sunt (præter alia adhuc manuscripta), nempe a Pamelio, Rocca, Menardo et Muratori[1]. Porro duo mss. romana, nempe Vaticanum et Ottobonianum, quæ edidit Muratori[2], sunt ceteris antiquiora et fere sine ullo elementorum extraneorum admixtione[3]; exhibent autem disciplinam romanam sæculi VIII.

3° Duo *Romani Ordines*, nempe *Ordo Romanus VIII* et *IX*, quos edidit Mabillon et, ex ipso, Migne[4]. Excerpti sunt ex mss. sæculi IX; unde exhibent disciplinam hujus sæculi, sed etiam multo antiquiorem, præsertim *Ordo VIII*. Discrimen autem inter hos *ordines* et prædicta *sacramentaria* in eo situm est, quod hæc solas orationes seu preces recitandas contineant, dum *ordines* exhibent præsertim *rubricas*.

4° Alius *Ordo Romanus*, ex bibliotheca S. Amandi, nunc in Parisiensi *bibliotheca nationali*, quem edidit Duchesne[5]. In hoc *Ordine*, § 7, describuntur ritus ordinationis diaconalis et presbyteralis; in hac parte simillimus est hic *Ordo* supradicto *Ordini VIII* Mabillonii, et ejusdem ætatis disciplinam refert.

5° Allegari etiam possunt sic dicti *Canones Hippolyti*, qui,

[1] Pamelius, *Liturgica Latinorum*, Coloniæ Agripp., 1571, 1576, t. II; — Rocca, ad *Opera S. Gregorii Magni*, Romæ, 1597, quæ editio Parisiis, an. 1640, iterum typis mandata est; — Menardus, ad *Opera S. Gregorii* edit. benedictinæ (quam sacramentarii editionem exscripsit Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 25-240); — Muratori, *op. cit.*, t. II. — Mss. a Menardo editum describit Delisle, *loc. cit.*, n. 51, p. 175-178, refertque ad sæculum X.

[2] Edidit Vaticanum cum lectionibus variantibus Ottoboniani. — Hoc ultimum describit Delisle, *loc. cit.*, n. 35, p. 149.

[3] Cf. Muratori, *Dissertatio de rebus liturgicis*, initio t. I, *op. cit.*, col. 63-84.

[4] Mabillon, *Musæum italicum*, t. II; — Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 999-1008.

[5] *Origines du culte chrétien*, Paris, 1903, p. 456-480; vide, p. 475-477, quæ respiciunt ordinationem.

n. 7-42, exhibent ritus trium ordinationum majorum[1], et quidem, ut videtur, juxta disciplinam sæculi III, et etiam forte sæculi II exeuntis[2]. Verum non plenam merentur fidem, quia versio latina non ex primigenio textu græco translata est, sed ex versione arabica, quæ ipsa translata est ex coptica versione; insuper non desunt obiter interpolationes.

6° Quoad alia documenta (infra cit., n. **199**), nempe *Sacramentarium Gelasianum*, *Sacramentaria gregoriana* recentiora, *Missale Francorum*, exhibent quidem et ipsa ritus romanos, sed extraneis mixtos elementis; unde standum est supra relatis fontibus.

193. Ordinatio seu consecratio episcopalis. — Ritus exhibentur in *Ordine IX*. Post lectum *decretum electionis*[3], sic pergit *Ordo :* « Canunt (clerici) litaniam; et tunc accedit (electus) propius ad altare subnixo capite. Pontifex vero ponet manum super caput ejus, et dicit unam orationem in modum collectæ, alteram eo modulamine quo solet contestata cantari, et sedet pontifex in sella sua. Ipse vero osculatur pedem ejus, et suscipitur ad pacem, et sic consummatur consecratio illius[4]. » — Unde :

1° Ritus completur duobus elementis : 1. Impositione manus super caput electi; — 2. Recitatione duarum orationum. Hæ autem duæ orationes in extenso exhibentur in Sacramentariis Leoniano et Gregoriano antiquo[5]. Prior oratio brevissima, quæ cantatur sicut cani solent in missa *Collectæ*, est oratio *Adesto*, vel *Propitiare*[6]. Altera oratio longior, quæ in sacramentariis vocatur *consecratio*, canitur ad modum *Contestatæ* seu *Contesta-*

[1] Quos (post Haneberg) edidit Achelis, *Die Canones Hippolyti*, Leipzig, 1891; quam editionem exscribit Duchesne, *cit. op.*, ed. 1903, p. 525-543.

[2] Batiffol, *Littérature grecque*, Paris, 1898, p. 157-159.

[3] Eligebatur enim novus episcopus a clero et populo civitatis episcopalis.

[4] *Ordo IX*, n. 4; Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 1006.

[5] Muratori, t. I, p. 421; t. II, p. 358.

[6] Quæ in hodierno *Pontificali Romano*, tit. *De consecratione electi in episcopum*, adhuc recitantur.

tionis aut *Præfationis;* legitur etiam, iisdem fere terminis, in hodierno Pontificali Romano, incipiens his verbis : « Vere dignum et justum est... »

2° In hac secunda oratione seu *Consecratione,* leguntur hæc verba, quæ principaliora videntur : « ... Et idcirco his famulis tuis [1], quos ad summi sacerdotii ministerium delegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina [2] in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in horum moribus actibusque clarescat. Comple in sacerdotibus tuis mysterii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructos cælestis unguenti flore sanctifica. Hoc, Domine, copiose in eorum caput influat, hoc in oris subjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus et interiora horum repleat et exteriora circumtegat. Abundet in eis constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Tribuas eis cathedram episcopalem ad regendam ecclesiam tuam et plebem universam... »

3° Quando agitur de consecratione episcopali ipsius electi in Romanum Pontificem, sic exhibetur ritus in eodem *Ordine IX*, n. 5 : « ... Prosternit se in orationem et omnis clerus cum eo. Postea erigitur ab episcopis, et statuitur inter sedem et altare, et tenent evangelium super caput vel cervicem ipsius. Et accedit unus episcopus, et dat orationem super eum, et recedit ; et alter similiter. Accedit tertius, et consecrat illum. Archidiaconus autem imponit ei pallium, et tunc inter archidiaconum et diaconum elevatur in sede. » Unde, quando Romanus Pontifex ordinat episcopum, *solus* illum consecrat ; quando vero ipse ordinatur episcopus, *tres* requiruntur episcopi, ad normam concilii Nicæni, can. 4 [3], cujus observationem urget concilium Romanum, an. circiter 384, can. 15 [4]. Quod discrimen notat Ferrandus, *Breviatio Canonum*, can. 6 : « Ut unus episcopus episcopum non ordinet, *excepta Ecclesia Romana* [5]. » — Aliud discrimen situm

[1] Sæpe enim Rom. Pontifex plures simul consecrabat episcopos.

[2] In veteri lege adhiberi solita in consecratione pontificum.

[3] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 15.

[4] Bruns, t. II, p. 281.

[5] Migne, *P. L.*, t. LXVII, col. 949. — S. Gregorius Magnus, *Epist.*, lib. XI,

est in eo quod, quando ipse Rom. Pontifex ordinatur episcopus, episcopi *tenent evangelium super caput et cervicem ipsius;* cujus ritus vestigium non adest, quando Rom. Pontifex ordinat episcopum. — Ceterum oratio longior, seu *consecratio,* quæ recitatur super Romanum Pontificem in episcopum consecrandum, eadem est quæ pro aliis episcopis; duæ autem aliæ brevissimæ orationes *Adesto* et *Propitiare* recitantur a primo et altero episcopo.

4° Vestes aut alia insignia episcopalia non traduntur ordinando in ipsamet ordinatione; sed electus se offert ordinandum, jam prædictis vestibus indutus, ut patet *Ordine IX,* n. 4 et 5. Excipitur *pallium* quod, ut constat relato textu *Ordinis,* Romano Pontifici, in fine suæ consecrationis, imponitur ab archidiacono.

5° In hoc ritu episcopalis consecrationis tradendo, concordant etiam *Canones Hippolyti,* can. 10-19[1], qui non memorant nisi impositionem manuum et orationem consecratoriam.

194. — Ordinatio presbyteralis. — Ritus exhibentur, simul cum ritibus ordinationis diaconalis, in *Ordine IX,* n. 2, hoc modo : « ... Prosternit se pontifex cum ipsis (nempe ordinandis in presbyteros et diaconos) in orationem, clero interim canente litaniam. Surgentes autem ab oratione, pontifex stat in sede sua, singillatim imponens manus capitibus eorum, et benedicit eos. Accedens autem archidiaconus, tollit orarios de confessione[2], qui de hesterna die repositi sunt ibi, imponit super eos, et pontifex induit eos planetis, et stant induti. Diaconilia indumenta tollunt qui diaconi esse debent de medio eorum, et complentur benedictiones eorum, qui presbyteri ordinantur[3]. »

epist. LXIV, resp. 8; Migne, *P. L.,* t. LXXVII, col. 1191, permittit S. Augustino, Anglorum episcopo, ut *solus,* initio saltem, ordinet episcopos; verum nonnihil dubitatur de authenticitate aut saltem de integritate hujus epistolæ.

[1] Duchesne, *op. cit.,* p. 526.

[2] *Oraria* sunt stolæ, quas vocamus, quæ pridie deposita erant in *confessione* seu tumulo B. Petri; hæc ergo, intra ritus ordinationis, tollit archidiaconus et imponit singulis novis diaconis et presbyteris, ut clarius dicitur in eodem *Ordine IX,* n. 8.

[3] Migne, *loc. cit.,* col. 1005.

Has autem *benedictiones* seu orationes exhibent Sacramentaria. — Unde :

1° Ritus completur duobus elementis : 1. Impositione manus super caput ordinandi ; — 2. Recitatione plurium orationum. — Hæ orationes in extenso exhibentur in Sacramentariis *Leoniano* et *Gregoriano* antiquo [1]. Prior oratio est potius *Invitatorium* ad fideles, ut orent (« Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem... ») ; altera oratio est per modum *Collectæ* (« Exaudi nos, Deus salutaris noster... ») [2] ; tertia oratio longior, per modum *Præfationis*, vocatur *consecratio presbyteri*, quæ adhuc hodie legitur in *Pontificali Romano*.

2° In hac *Consecratione*, leguntur hæc verba, quæ principaliora videntur : « Da, quæsumus, Domine, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem ; innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis ; acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent. Sint probi cooperatores ordinis nostri ; eluceat in eis totius forma justitiæ, ut, bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. » His verbis finis imponitur *consecrationi* et ordinationi presbyteri.

3° Orarium (seu stola) et planeta traduntur ordinando in ipso ritu ordinationis, orarium ab archidiacono, planeta ab episcopo. In *Ordine VIII*, qui est antiquior, vestes sacræ traduntur ordinando ab archidiacono *ante* ordinationem ; quod etiam statuitur in *Ordine* S. Amandi [3].

4° Juxta *Canones Hippolyti*, n. 30-32 [4], ordinatio presbyteri simillima est ordinationi episcopi, nisi quod in oratione consecrationis omittatur verbum *episcopatus*, et presbyter non insideat cathedra.

[1] Muratori, t. I, col. 424, vel Migne, *P. L.*, t. LV, col. 115 ; Muratori, t. II, col. 359.

[2] *Invitatorium* et *Collecta* adhuc leguntur in hodierno *Pontificali Romano*, vix mutatis quibusdam terminis minimi momenti.

[3] Duchesne, *loc. cit.*, p. 476.

[4] Duchesne, *loc. cit.*, p. 527.

195. — Ordinatio diaconalis. — Ritus exhibetur in cit. verbis (n. **194**) *Ordinis IX*, n. 2 (cf. etiam *Ordinem VIII*, n. 3), et orationes in *Sacramentariis*. — Unde :

1° Ritus completur, sicut pro ordinationibus presbyterali et episcopali, duobus elementis : 1. Impositione manus super caput ordinandi ; — 2. Recitatione plurium orationum. — Hæ orationes sunt *Invitatorium* ad fideles [1], alia brevis per modum *Collectæ*, tandem oratio *consecratoria* [2], quæ adhuc hodie legitur, paucissimis verbis mutatis, in *Pontificali Romano*, cum hoc discrimine quod, juxta Sacramentaria *Leonianum* et *Gregorianum*, hæc consecratio non interrumpitur ante verba : « Emitte in eos, quæsumus, Domine... ; » impositio enim manus fiebat ante consecrationem, sicut in ordinatione presbyterali.

2° In hac oratione consecratoria, præcipua verba videntur esse : « Emitte in eos, Domine, quæsumus, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii fideliter exsequendi munere septiformi tuæ gratiæ roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis... »

3° Indumenta diaconalia, nempe orarium et dalmatica, tradi videntur ordinando in ipso ritu ordinationis ; attamen, in *Ordine* S. Amandi, traduntur ante ordinationem.

4° Juxta *Canones Hippolyti*, n. 38-42 [3], ordinatio diaconalis constat pariter tantummodo impositione manus episcopi et oratione consecratoria.

196. — Ordinatio subdiaconatus et acolythatus. — Ritus pro his duobus ordinationibus traditur in *Ordine VIII*, n. 1-2, his verbis : « Dum missa celebrata fuerit, induunt clericum illum (ordinandum in acolythum) planetam et orarium. Dumque venerit episcopus, aut ipse domnus apostolicus ad communicandum, faciunt eum venire ad se, et porrigit in ulnas ejus sacculum super planetam ; et prosternit se in terram cum ipso sacculo, et dat ei orationem sic : *Intercedente beata et gloriosa semperque*

[1] Sicut in hodierno *Pontificali Romano*.

[2] Muratori, t. I, p. 423, vel Migne, *P. L.*, t. LV, col. 114-115 ; Muratori, t. II, p. 360.

[3] Duchesne, *loc. cit.*, p. 527.

Virgine Maria, et beato apostolo Petro, salvet et custodiat et protegat te Dominus. Amen. Et si ad subdiaconatus officium voluerit eum provocare, adducitur ad medium, et jurat coram sancta Christi evangelia de quatuor capitula secundum canones; et tunc porriget ei archidiaconus vel episcopus calicem sanctum in ulnas foras planeta; et se in terram prosternet, et dat ei orationem, ut supra diximus[1]. » — Unde :

1° Ritus ordinationis acolythi constat *traditione sacculi* et *recitatione prædictæ orationis;* quæ tamen oratio nil commune habere videtur cum oratione consecratoria, cum non exprimat gradum nec officium, ad quod assumatur ordinandus. — Sacculus autem ille erat ad recipiendam et deferendam eucharistiam : quod fuisse munus acolythi dictum est supra, n. **14**, 4°.

2° Ritus ordinationis subdiaconi constat *traditione calicis* et *prolatione ejusdem orationis*, quæ supra relata est. Quod etiam egregie constat testimonio Joannis Diaconi (circa annum 500), epist. *Ad Senarium*, n. 10 : « Cujus (subdiaconi) hic apud nos ordo est, ut accepto sacratissimo calice in quo consuevit pontifex dominici sanguinis immolare mysterium, subdiaconus jam dicatur[2]. » — Futurus autem subdiaconus ordinationi præmittit juramentum quo affirmat se non patravisse quatuor illa crimina quæ, juxta canones, excludebant ab ordinibus, nempe (ut exponitur in eodem *Ordine VIII*, n. 4), sodomiam, bestialitatem, adulterium, stuprum cum virgine Deo sacra.

197. — Ordinatio lectoris. — De hac agunt *Canones Hippolyti*, n. 48 : « Qui constituitur ἀναγνώστης ornatus sit virtutibus diaconi, neque manus ei imponatur primo, sed evangelium ab episcopo ipsi porrigatur[3]. » Forte etiam hæc ordinatio memoratur in *Ordine VIII*, n. 1 : « Pueri bene psallentes... nutriuntur in schola cantorum... Ex hac accipient *primam benedictionem ab archidiacono.* »

N. B. — Ordinationes ostiarii et exorcistæ non memorantur in ullo ex cit. documentis.

[1] Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 1000-1001.
[2] Migne, *P. L.*, t. LIX, col. 405.
[3] Duchesne, *loc. cit.*, p. 528.

198. — Ritus primæ tonsuræ. — Hic ritus describitur in *Sacramentario Gregoriano*, a Muratori edito, quod certo refert disciplinam sæculi VIII [1]. Constat : 1° *Tonsione capillorum*, ut expresse ibi dicitur ; non videtur autem fuisse impositum aliquod speciale indumentum ; licet enim agatur in orationibus de *habitu religionis imposito*, hic habitus non videtur alius fuisse præter ipsam mutationem in forma capillorum ; — 2° *Invitatorio* ad fideles, et pluribus *orationibus*, quibus invocatur gratia Domini super novum clericum. — Hic autem ritus non reperitur neque in *Ordinibus Romanis* a Mabillonio editis, neque in *Ordine S. Amandi*, neque in *Sacramentario Leoniano*.

§ 2. Ritus ordinationis in Ecclesiis ritus gallicani.

199. — Documenta seu fontes.

1° *Statuta Ecclesiæ antiqua*, quæ in et pro Arelatensi Ecclesia concinnata sunt initio sæculi VI, favente, si non auctore, S. Cæsario, episcopo Arelatensi (def. an. 542) [2]. Exhiberi solent in plerisque conciliorum collectionibus sub nomine concilii Carthaginensis IV [3]. — Referuntur ad ordinationem capita I-X.

2° *Sacramentarium* sic dictum *Gelasianum ;* continetur in uno codice mss., qui adhuc exstat in bibliotheca Vaticana, sæculi VII vel VIII [4]. — Hunc typis ediderunt Thomasius, Muratori, cujus editionem exscripsit Migne ; ultimo, et quidem accurate, edidit illum Wilson [5]. Exhibet liturgiam romanam sæculi VII exeuntis, sed ritibus gallicanis admixtam.

3° *Missale* sic dictum *Francorum ;* continetur in uno codice mss., scripto circa annum 700, qui adhuc exstat in bibliotheca

[1] Muratori, *Liturgia Romana vetus*, t. II, col. 182.

[2] Cf. Maassen, *Geschichte der Quellen*, p. 382-394 ; — Malnory, *Saint Césaire d'Arles*, Paris, 1894, p. 50.

[3] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 140 sq.

[4] Mss. describit Delisle, *loc. cit.*, n. 2, p. 66-68.

[5] Thomasius, *Codices sacramentorum*, Romæ, 1680, p. 13-262 ; — Muratori, *Liturgia Romana vetus*, t. I ; — Migne, *P. L.*, t. LXXIV, col. 1049-1244 ; — H.-A. Wilson, *Gelasian Sacramentary*, Oxford, 1894.

Vaticana[1]. — Hunc edidere Thomasius, Mabillon, Muratori; editionem Mabillonii exscripsit Migne[2]. Exhibet, sicut Sacramentarium Gelasianum, liturgiam romanam, sed ritibus gallicanis admixtam.

4° *Pontificale Egberti,* archiepiscopi Eboracensis (def. an. 765), cujus excerpta, quæ ad ordinationem spectant, edidit Martène[3].

5° *Pontificale Gemmetense* (monastère de Jumièges, près Rouen); continetur in codice mss., qui adhuc exstat in bibliotheca Rothomagensi[4]; scriptum fuit ad usum alicujus ecclesiæ Angliæ; hujus excerpta, quæ ad ordinationem spectant, ediderunt Morinus et Martène[5]. Hi quidem mss. referunt ad an. circiter 800; verum Delisle non nisi ad annum circiter 1000[6].

6° Tandem omnia *Sacramentaria Gregoriana*, quæ in Gallia exscripta sunt ex illo codice Sacramenti Gregoriani, quem misit Adrianus, circa an. 790, ad Carolum Magnum, sed quibus ritus gallicani admixti sunt. Tria hujusmodi Sacramentaria edita sunt, ut supra dictum est (n. **192**, 2°), a Pamelio, Rocca, et Menardo. Plurima autem ex his sacramentariis, saltem quoad loca quæ referuntur ad ordinationem, ediderunt Morinus et Martène[7]. Multa etiam nulla ex parte edita sunt.

200. — Ordinatio seu consecratio episcopalis. — Ritus gallicani, quod pertinet ad consecrationem episcopalem, sunt qui sequuntur (omitto præsentationem electi ad populum, qui clamabat : *Dignus est*)[8] :

1. *Impositio libri evangeliorum super caput et cervicem electi.* — Hanc præscribunt *Statuta Ecclesiæ antiqua*, can. 2, his ver-

[1] Mss. describit Delisle, *loc. cit.*, n. 4, p. 71-73.

[2] Thomasius, *loc. cit.*, p. 398-431; — Mabillon, *De liturgia Gallicana;* — Muratori, *loc. cit.*, t. II; — Migne, *P. L.*, t. LXXII, col. 318-340.

[3] *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. I, c. VIII, art. 11, n. 2, ed. Bassani, t. II, p. 31 sq.

[4] Delisle, *loc. cit.*, n. 81, p. 220.

[5] Morinus, *De sacris ordinationibus,* part. II, p. 230 sq.; — Martène, *loc. cit.*, n. 3, p. 37 sq.

[6] Delisle, *loc. cit.*, p. 220.

[7] *Loc. cit.*

[8] *Missale Francorum,* apud Migne, t. LXXII, col. 323.

bis : « Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant et teneant evangeliorum codicem super caput et cervicem ejus, et, uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant. » — Quæ verba in extenso referuntur in *Missali Francorum*, in *Sacramentario Gelasiano*, in *Pontificali Egberti*[1], et in fere omnibus *Sacramentariis Gregorianis* ad usum ecclesiarum Galliæ et Angliæ. — Attamen non ubique vigebat, etiam in locis ritus gallicani[2]; nam : 1. Isidorus Hispalensis (def. an. 636), qui late disserit de ritibus consecrationis episcopalis, etiam de iis qui sunt minoris momenti, v. g., de traditione baculi et annuli, nil omnino habet de impositione libri evangeliorum[3]; — 2. Amalarius, Metensis (def. an. 837), de hoc ritu dicit : « Dicit libellus, secundum cujus ordinem celebratur ordinatio apud quosdam, ut duo episcopi teneant evangelium super caput ejus : quod *neque vetus auctoritas intimat, neque apostolica traditio, neque canonica auctoritas*[4]; » — 3. Pseudo-Alcuinus (sæculo x) eadem fere dicit; de hoc enim ritu loquens, ait : « Non reperitur in *auctoritate veteri neque nova, sed neque in Romana traditione*[5]. »

2° *Impositio manuum episcoporum cum relativa oratione consecratoria*, juxta cit. *Statuta Eccl. antiqua*, can. 2; nempe impositio manuum tum episcopi consecratoris qui *fundit super electum benedictionem* (seu orationem consecratoriam), tum episcoporum adstantium qui *manibus suis caput electi tangunt*[6]. — Hæc autem oratio consecratoria est eadem quæ in sacra-

[1] Migne, *P. L.*, t. LXXII, col. 318; t. LXXIV, col. 1146; — Martène, *loc. cit.*, p. 31.

[2] Romæ, ut supra dictum est, impositio libri evangeliorum fiebat quando Rom. Pontifex ordinabatur, non vero quando ipse alios episcopos ordinabat.

[3] *De Eccl. Officiis*, lib. II, c. v, n. 9-13; Migne, *P. L.*, t. LXXXIII, col. 782.

[4] *De Eccl. Officiis*, lib. II, c. XIV; Migne, *P. L.*, t. CV, col. 1092.

[5] *De divinis Officiis*, c. XXXVII; Migne, *P. L.*, t. CI, col. 1237.

[6] Hanc *manuum impositionem* primo loco memorat Isidorus Hispalensis, *loc. cit.*, n. 9; Migne, *P. L.*, t. LXXXIII, col. 782; ab Isidoro plura mutuatus est Rabanus Maurus, *De clericorum institutione*, lib. I, c. IV, apud Migne, *P. L.*, t. CVII, col. 299.

mentariis leoniano et gregoriano antiquo, cui tamen, inter verba *sinceritas pacis*, et *tribuas eis cathedram*, interpolata est sat prolixa periphrasis, quæ transiit in *Pontificale Romanum*, in quo adhuc hodie legitur.

3° *Unctio manuum et capitis electi.* — Neutra quidem legitur apud *Statuta*, nec in *Missali Francorum*, nec in *Sacramentario Gelasiano :* quod ostendit unctionem non fuisse in usu in Gallia ante ævum Carolinum. Verum hoc tempore jam erat in usu in Anglia utraque unctio in consecratione episcopali, cum relativis orationibus, ut constat ex *Pontificali Egberti* [1], unde hoc totum insertum est in *Pontificali Gemmetensi* [2]. — Ex Anglia transiit unctio in Galliam, ubi, sæculis IX et X, modo *alterutra*, modo *utraque* sat communiter vigebat. Quatuor sacramentaria sæculi IX (nempe tria, Noviomense, Regium et Gellonense, quæ exscripsit Martène [3], et unum, Rhemense, quod exhibet Morin [4]), habent *unctionem manuum* solam ; sacramentarium Senonense, apud Morin [5], habet *unctionem capitis* tantum ; sacramentarium Cadurcense, apud Martène [6], habet *utramque*. Testis est Amalarius *unctionem capitis* suo tempore sat communiter esse receptam [7]. — Attamen neutram habent tria ejusdem temporis sacramentaria, nempe Noviomense alterum [8], sacramentarium Rodradi [9], et sacramentarium Thuanum [10]. — Sæculo X, codex sic dictus *Ratoldi* [11] exhibet *utramque* unctionem, et a fortiori codices recentioris ævi [12] ; sacramentarium tamen a Menardo editum non habet nisi *unctionem capitis* [13].

[1] Martène, *loc. cit.*, p. 32.
[2] *Ibid.*, p. 40.
[3] *Ibid.*, p. 44.
[4] *De sacris ordin.*, p. 239.
[5] *Ibid.*, p. 242.
[6] Martène, *loc. cit.*, p. 47.
[7] Amalarius, *loc. cit.*, apud Migne, *P. L.*, t. CV, col. 1092.
[8] Martène, *loc. cit.*, p. 47.
[9] Morin, p. 226 ; cf. Delisle, *loc. cit.*, n. 22, p. 122.
[10] Ex bibliotheca J. de Thou, Morin, p. 252.
[11] Morin, p. 243 ; cf. Delisle, n. 56, p. 188.
[12] V. g., *codex S. Victoris,* Morin, p. 276.
[13] Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 224.

4° *Traditio insignium pontificalium.* — Traditio *baculi* et *annuli* antiquissima est; licet enim non legatur apud *Statuta*, nec in *Missali Francorum*, nec in *Sacramentario Gelasiano*, memoratur tamen jam ab Isidoro Hispalensi, in *Pontificali Egberti*, et deinde passim in recentioribus sacramentariis[1]. Impositio *mitræ* legitur in cit. codice *S. Victoris*, sæculi XII[2].

201. — Ordinatio presbyteralis. — Ritus gallicani, quod pertinet ad ordinationem presbyteralem, sunt qui sequuntur (præter præsentationem ad populum, ut pro consecratione episcopali).

1° *Impositio manuum episcopi et presbyterii cum relativa oratione consecratoria.* — Hanc præscribunt *Statuta Eccl. antiqua*, can. 3, his verbis : « Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant. » Quæ verba referuntur in *Missali Francorum*[3], in *Sacramentario Gelasiano*[4], in *Pontificali Egberti*[5], et deinceps in omnibus Sacramentariis gregorianis ad usum Galliæ. — Quoad orationem consecrativam, non differt a *consecratione presbyteri* romani ritus; sed huic addita est alia oratio, incipiens *Deus, sanctificationum omnium auctor* (cf. tria documenta mox citata), quæ recepta est in hodierno *Pontificali Romano.*

2° *Unctio manuum.* — De ea non agitur apud *Statuta Ecclesiæ antiqua*, nec apud Isidorum; verum memoratur tum in *Missali Francorum*[6], tum in *Sacramentario Gelasiano*[7], tum in *Ponti-*

[1] Isidorus Hisp., apud Migne, *P. L.*, t. LXXXIII, col. 783-784; — *Pontificale Egberti*, apud Martène, *loc. cit.*, p. 32; — cf. etiam conc. Toletanum IV, an. 633, can. 28; Bruns, *Concilia*, t. I, p. 231.

[2] Morin, p. 276.

[3] Migne, *P. L.*, t. LXXII, col. 317.

[4] Migne, *P. L.*, t. LXXIV, col. 1146 (verum breviori formula).

[5] Martène, p. 35.

[6] Migne, *P. L.*, t. LXXII, col. 323.

[7] Licet, per errorem, in loco non suo, nempe in ordinatione subdiaconi; Migne, *P. L.*, t. LXXIV, col. 1148.

ficali Egberti[1]. Probabilius est usum istius unctionis incepisse in Anglia[2] (sicut usum unctionis episcopalis), et inde migrasse in Galliam et alias regiones. Sæculo IX, fere ubique viget in Gallia, uti testantur tum *Sacramentaria* hoc sæculo scripta, v. g., codices Rhemensis, Senonensis, Thuanus[3], et tres a Martène descripti[4], tum Theodulphus Aurelianensis, et Amalarius. Prior enim sic alloquitur presbyteros suos : « Unde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores *sacræ quam in manibus suscepistis unctionis;* ut nec ab eadem dignitate degeneretis, ... nec *manus sacro unguine delibutas* peccando polluatis...[5]. » Alter ait : « Hunc morem tenent episcopi nostri, manus presbyterorum ungunt de oleo[6]. » Sæculo X eumdem usum testantur omnia sacramentaria hujus ætatis, v. g., codex a Menardo editus[7]. Sic a fortiori in sæculis recentioribus.

3° *Unctio capitis.* — Duplicem unctionem in manibus et in capite fuisse in usu in Anglia testantur *Pontificale Egberti, Pontificale Gemmetense,* etc.[8]. Has duas unctiones receperunt quædam in Gallia provinciæ, uti testantur codex Cadurcensis[9], et codex Ratoldi[10]. Verum rarior remansit unctio capitis, ut concludere licet ex silentio auctorum et aliorum sacramentariorum hujus ætatis.

4° *Traditio orarii et planetæ.* — Antiquissima est horum indumentorum traditio intra ritus ordinationis presbyteralis, saltem in Hispania, uti concludimus ex concilio Toletano IV

[1] Martène, p. 36.

[2] Hanc unctionem sub nomine *benedictionis qua initiantur sacerdotum vel ministrorum manus* memorat Gildas, Britannus (def. an. 570), in opere *De excidio Britanniæ,* part. III, c. XXI; Migne, *P. L.,* t. LXIX, col. 388.

[3] Morin, p. 238, 241, 255.

[4] Martène, sub n° 4, p. 41 sq. — Non tamen memoratur unctio in codice Rodradi.

[5] *Capitula ad presbyteros,* n. 1; Migne, *P. L.,* t. CV, col. 192-193.

[6] *De eccl. officiis,* lib. II, c. XIII; Migne, *P. L.,* t. CV, col. 1089.

[7] Migne, *P. L.,* t. LXXVIII, col. 223.

[8] Martène, p. 36, 40.

[9] Martène, p. 46.

[10] Morin, p. 248.

(an. 633), can. 28[1], et in Anglia, uti testatur *Pontificale Egberti*[2]. Serius invecta est in Galliam; non enim memoratur in *Missali Francorum*, nec in *Sacramentario Gelasiano*. Verum a sæculo IX et recentioribus, in omnibus fere sacramentariis memoratur vel planetæ (aut casulæ) traditio, vel orarii seu stolæ, vel utraque.

5° *Traditio instrumentorum*, seu calicis et patenæ. — Primo apparet hic ritus in *Sacramentario Noviomensi*, scripto circa annum 900, in quo legitur : « Hoc facto (nempe post unctionem manuum), accipiat (pontifex) patenam cum oblatis, et calicem cum vino, et det eis, dicens : Accipite potestatem offerre sacrificium Deo, missamque celebrare, etc. (ut in hodierno *Pontificali Romano*)[3]. » Paulatim et per partes hic ritus diffusus est : in codice Bellovacensi II scripto circa annum 1100, solus *calix* traditur ordinatis, imo *rubrica* non est in textu, sed in margine, alia manu[4]; in codice Moguntino, circa annum 1200, non traditur calix nisi duobus aut tribus ordinatis[5]. Attamen, in Gallia, sæculo XII, sat communiter vigebat ritus, uti testes sunt Hugo a S. Victore (def. an. 1140) et Petrus Lombardus, qui referunt ritum cum verbis relativis[6]; ita etiam codex S. Victoris (sæculo XII) et Rothomagensis (circa an. 1200)[7].

6° *Impositio manuum in fine missæ*. — Agitur de ritu quo pontifex, missa celebrata, imponit iterum manus super ordinandos, dicens singulis : « Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris, etc. » Primo apparet hic ritus in ecclesia Catalaunensi sæculo XI; nam adhibitus fuisse narratur in ordinatione presbyterali Lietberti, episcopi Cameracensis, anno 1048[8]; illum deinde exhibent plures *codices*, nempe *Sacramentarium Rothomagense*

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 231.
[2] Martène, p. 35, 36.
[3] Martène, p. 50.
[4] Morin, p. 271.
[5] Morin, p. 278.
[6] Hugo a S. Victore, *De sacramentis*, lib. II, part. III, c. XII; Migne, *P. L.*, t. CLXXVI, col. 429; — Petrus Lombardus, *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, n. 9; Migne, *P. L.*, t. CXCII, col. 904.
[7] Morin, p. 274, 279.
[8] *Vita D. Lietberti, episcopi Cameracensis*, apud d'Achery, *Spicilegium*, t. IX, vide c. XVII et LXVI, p. 691, 733.

(scriptum circa an. 1200), sed in margine tantum; *Liber pontificalis* collegii de Fuxo (de Foix, circa an. 1250); alius *Liber pontificalis Rothomagensis* (circa an. 1350)[1]. Hunc ritum silet Durandus (def. an. 1296) in suo *Rationali*[2].

202. — Ordinatio diaconatus. — Ritus gallicani, quod pertinet ad ordinationem diaconatus, sunt qui sequuntur (omitto præsentationem ad populum) :

1° *Impositio manus solius episcopi, cum relativa oratione consecratoria.* — Hunc ritum his verbis præscribunt *Statuta Eccl. antiqua,* can. 4 : « Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur. » Quæ verba deinceps referuntur in omnibus sacramentariis ad usum ecclesiarum ritus gallicani. — Quoad orationem consecratoriam, non differt a *consecratione* diaconi in ritu romano; huic autem additæ sunt tres breviores orationes, *Exaudi, Commune votum,* et *Domine sancte*[3], quæ receptæ sunt, licet non eodem loco, in hodierno *Pontificali Romano.*

2° *Traditio indumentorum.* — Hic ritus antiquissimus est; in Hispania, sæculo VII, tradebantur *orarium* (stola) et *alba,* ut deducitur ex conc. Toletano IV (an. 633), can. 27[4]; in Anglia, memoratur traditio *stolæ* in *Pontificali Egberti*[5]; in Gallia, sæculo IX, memorari solet traditio stolæ in *Sacramentariis,* v. g., *Senonensi, Thuano*[6]; item et a fortiori in sacramentariis recentioribus; postea memoratur etiam traditio *dalmaticæ,* a sæculo XII, v. g., in codicibus Salisburgensi et Bisuntino, circa annum 1100[7]; in codice Cameracensi, circa an. 1200[8], et sic deinceps.

[1] Morin, p. 279, 280, 281; — cf. Martène, *loc. cit.,* art. 9, n. 12, p. 22.
[2] Lib. II, c. x, p. 59-61.
[3] Has vide in *Missali Francorum;* Migne, *P. L.,* t. LXXII, col. 321.
[4] Bruns, *Concilia,* t. I, p. 231.
[5] Martène, p. 35.
[6] Morin, p. 241, 255.
[7] Martène, p. 52, 62.
[8] Martène, p. 68.

3° *Traditio libri evangeliorum.* — Prima mentio hujus ritus invenitur in *Pontificali Egberti*, cum hac formula : « Accipe istud volumen Evangelii, et lege, et intellige, et aliis trade, et tu opere adimple [1] ; » unde transiit in alterum pontificale anglicanum, nempe *Gemmetense*, et in duo pontificalia monasterii Beccensis [2]. — Ex Anglia transiit lentissime hic ritus in alias nationes. Primo apparet in *Sacramentario Noviomensi*, circa an. 900 [3] ; postea in codicibus Compendiensi et Salisburgensi, circa an. 1100 [4] ; deinde in codice Bellovacensi II, circa an. 1100, et quidem in margine, alia manu et alio charactere [5] ; postea in codice S. Victoris, sæculo XII [6] ; in codice Rothomagensi, circa an. 1200 [7] ; solet autem addi hæc formula : « Accipe potestatem legendi evangelium. » Hunc ritum memorant, tanquam adhiberi suo tempore solitum, P. Lombardus et D. Thomas [8].

4° *Unctio manuum.* — In Anglia, unctio manuum, cum relativa oratione, fiebat, non tantum in ordinatione episcopi et presbyteri, sed etiam *diaconi*, ut constat *Pontificali Egberti*, unde hic ritus receptus est in *Pontificali Gemmetensi*, et in duobus *Pontificalibus monasterii Beccensis* [9]. Imo quidam tentaverunt ritum illum invehere in Galliam ; unde Rodulphus, episcopus Bituricensis, consuluit Nicolaum I, qui ei respondit : « Præterea sciscitaris utrum solis presbyteris, an et diaconibus, debeant, cum ordinantur, manus chrismatis liquore perungi. Quod in sancta hac romana, cui Deo auctore deservimus, ecclesia neutris agitur. Sed et quia sit a novæ legis ministris actum, nusquam, nisi nos fallat oblivio, legimus [10]. »

[1] Martène, p. 35.
[2] Martène, p. 39, 64.
[3] Martène, p. 49.
[4] Martène, p. 50, 52.
[5] Morin, p. 270.
[6] Morin, p. 274.
[7] Morin, p. 278.
[8] P. Lombardus, *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, n. 8 ; Migne, t. CXCII, col. 903 ; — D. Thomas, part. III, Suppl., q. XXXVII, art. 5, ad 5.
[9] Martène, p. 35, 39, 64.
[10] Nicolai *Epist.*, LXVI, *Ad Rodulphum*, n. 3 ; Migne, *P. L.*, t. CXIX, col. 884 ; = can. *Præterea*, 12, dist. XXIII.

Unde hic ritus peculiaris remansit in ecclesia anglicana.

5° *Formula specialis, Accipe Spiritum Sanctum, etc., juncta impositioni manuum* [1]. — Per multa sæcula, non fuit alia *forma* diaconatus, præter illam longiorem orationem, quæ adhuc legitur in *Pontificali Romano*, quam vocabant *Consecrationem* diaconi, in qua præcipua hæc verba erant : « Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum Sanctum, etc. » Impositio autem manus episcopi fieri solebat initio hujus *consecrationis* seu *benedictionis* aut *præfationis*, et durabat plus minusve per totam illam consecrationem, ut concludi licet ex relatis verbis *Stat. Eccl. antiq.* Postea inducta est brevissima alia formula, v. g., in *Pontificali Moguntino*, circa an. 1300, ubi episcopus imponit manum dicens : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi sine peccato custodiet te in nomine Domini. Amen [2]; » statimque recitat solitam præfationem. In codice *Rothomagensi*, circa an. 1200, leguntur hæc tria verba : *Accipite Spiritum Sanctum* (ab episcopo imponente manus ante præfationem recitanda), sed tantum in margine, et recentiore manu [3]. In codice *Autissiodorensi*, circa an. 1350, leguntur pariter hæc verba : *Accipe Spiritum Sanctum*, ab episcopo imponente manus ante præfationem recitanda [4].

203. — Ordinatio subdiaconatus. — Ritus gallicani sunt hi qui sequuntur :

1° *Traditio instrumentorum cum relativa benedictione.* — Hic ritus sic exponitur apud *Statuta Ecclesiæ antiqua*, can. 5 : « Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam, de episcopi manu, accipiat vacuam et calicem vacuum, de manu vero archidiaconi, urceolum cum aqua et mantile et manutergium [5]. » Unde : 1. Subdiaconus non recipit

[1] Hac de re cf. Morin, part. III, exerc. 9, c. II, p. 136 sq.; — Martène, lib. I, c. VIII, art. 9, n. 2-3, p. 21.

[2] Martène, p. 79.

[3] Morin, p. 278.

[4] Martène, *loc. cit.*, art. 9, n. 3, p. 21.

[5] Cf. conc. Tolet. IV, can. 28, apud Bruns, t. I, p. 231.

impositionem manuum[1], et sic omnino distinguitur a tribus superioribus ordinibus; — 2. Loco impositionis manuum, recipit instrumenta sui ministerii, non solum calicem, ut in ritu romano, sed patenam, urceolum, etc.; — 3. Benedictio constat aliqua oratione, *Domine Sancte, Pater omnipotens* (quæ adhuc legitur in *Pontificali Romano*), quam antecedit *Invitatorium* ad fideles, ut orent pro ordinando; unde, in hac parte, hæc ordinatio imitatur majores ordinationes; — 4. Quoad formulam brevissimam quæ comitatur hodie traditionem calicis, nempe: « Videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, etc., » erat olim particula *allocutionis* episcopi ad ordinandos (nempe initium et finis[2]); qualis autem hodie est, recentioris est institutionis; non enim deprehenditur in codicibus a Morino et Martenio exscriptis[3].

2° *Traditio vestium.* — 1. Traditio *manipuli* antiqua est, cum jam conspiciatur in *Pontificali Egberti*[4], quod in usu erat apud Anglos; sed sero recepta est in aliis ecclesiis[5]; hunc ritum exhibet codex Bisuntinus (circa an. 1100)[6]; — 2. Traditio *tunicæ* item sat antiqua est; hunc ritum jam exhibet idem codex Bisuntinus; — 3. De traditione *amictus* silent omnes codices a Morino et Martenio editi; unde concludendum est hunc ritum esse recentem.

3° *Traditio libri epistolarum.* — Hic item ritus valde recens est, cum suo tempore G. Durandus (def. an. 1296) miraretur

[1] Quidquid in contrarium innuere videtur cap. *Pastoralis*, 1, De sacramentis non iterandis. — Revera, in hac decretali, loco *subdiaconatus*, legendum est *diaconatus*, ut ferunt plures codices a Friedberg (*Corpus juris*, in hoc caput) allegati. Vide hanc Innocentii III epistolam integram apud Migne (Innocentii *Epist.*, lib. VII, ep. CLXIX, t. CCXV, col. 478, in fine). — Jam Innocentius IV, in hoc caput, notavit *veram litteram esse diaconatus* (*Commentaria in V libros decretalium*, Venetiis, 1610, p. 129).

[2] Vide *Missale Francorum;* Migne, *P. L.*, t. LXXII, p. 319.

[3] Hanc tamen jam innuere videtur G. Durandus, *Rationale*, lib. II, c. VIII, n. 3, Lugduni, 1672, p. 56. Vide initium mutationis in *Codice S. Victoris*, sæculo XII, apud Morinum, p. 273; in *Codice Cameracensi*, circa an. 1200, apud Martène, p. 68.

[4] Martène, p. 35.

[5] Cf. Martène, *loc. cit.*, art. 8, n. 16, p. 20.

[6] Martène, p. 62.

subdiaconum legere solitum esse epistolam, cujus legendæ potestatem non reciperet in sua ordinatione [1]. Quæ forsan admiratio occasionem præbuit huic ritui inducendo; quidquid est, hunc ritum exhibent tres libri Pontificales, *Arelatensis* (circa an. 1300), *Andegavensis* (circa an. 1400), et Pontificale dictum *Gulielmi Durandi* [2].

204. — Ordinatio acolythi.

1° Sic describitur ritus apud *Statuta Eccl. antiqua :* « Acolythus, cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat, sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari; accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in eucharistiam sanguinis Christi. » In *Missali Francorum*, sequitur *benedictio* acolythi, constans una oratione [3]; in *Pontificali Egberti*, benedictio constat duabus orationibus [4]; has tres orationes suscepit *Pontificale Romanum;* in *Sacramentario Gelasiano* [5], referuntur quidem citata verba ex *Statutis Eccl. antiquis*, sed sine *benedictione*.

2° Postea inducta est alia formula brevissima, per modum *formæ* recitanda in ipsa porrectione instrumentorum. Sic, in *Pontificali Salisburgensi*, circa an. 1100, dum *archidiaconus* tradit ordinandis primo ceroferarium, deinde urceolum, *episcopus* pronuntiat duas relativas formulas : *Accipite ceroferarium cum cereo*, etc.; *Accipite urceolum*, etc. [6], quæ receptæ sunt in hodierno *Pontificali Romano*. Ita etiam in *Pontificali Cameracensi*, circa an. 1200 [7], etc.

3° Sed paulatim invaluit usus ut episcopus et traderet instru-

[1] Rationale, *loc. cit.*, n. 4, p. 56.

[2] Cf. Martène, *loc. cit.*, art. 8, n. 15, p. 20; — de ritibus subdiaconatus in Anglia tempore Lanfranci, archiepiscopi Cantuariensis, cf. Lanfranci *Epist.*, XIII; Migne, *P. L.*, t. CL, col. 520.

[3] Migne, *P. L.*, t. LXXII, col. 318.

[4] Martène, p. 34.

[5] Migne, *P. L.*, t. LXXIV, col. 1146.

[6] Martène, p. 52.

[7] Martène, p. 68; cf. etiam p. 75.

menta et recitaret formulas, uti jam videre est in Pontificali Bisuntino, circa an. 1100[1].

205. — Ordinatio exorcistæ.

1° Sic describitur ritus apud *Statuta*, can. 7 : « Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo : Accipe et commenda memoriæ, et habeto potestatem imponendi manum super energumenum, sive baptizatum sive catechumenum. » — In *Missali Francorum*, in *Sacramentario Gelasiano*[2], et in *Pontificali Egberti*[3], inducta est *benedictio* exorcistæ cum prævio Invitatorio seu *Præfatione*.

2° Hic ritus perseveravit, cum iisdem precibus, per totum medium ævum, ut videre est in pontificalibus editis a Morino et Martenio, nisi quod paulatim inducta est allocutio episcopi ad ordinandos. — Totus autem ritus receptus est in Pontificali Romano.

206. — Ordinatio lectoris.

1° Sic describitur ritus apud *Statuta*, can. 8 : « Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans ejus fidem ac vitam atque ingenium ; post hæc, spectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum : Accipe, et esto lector verbi Dei, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverint. » — In *Pontificali Egberti*[4], sequitur *benedictio* lectoris, cum prævio *Invitatorio* ad fideles ; quod Invitatorium non reperitur in *Missali Francorum* nec in *Sacramentario Gelasiano*, ubi episcopus tantum memorat factam *electionem* lectoris.

2° Hic ritus perseveravit, cui paulatim addita est allocutio

[1] Martène, p. 62. — Attamen D. Thomas supponit adhuc instrumenta tradi ab archidiacono, formulas recitari ab episcopo, in Suppl. part. III, q. XXXVIII, art. 1, ad 2.

[2] Migne, *P. L.*, t. LXXII, col. 319 ; t. LXXIV, col. 1147.

[3] Martène, p. 34.

[4] Martène, p. 33.

episcopi ad ordinandos; quæ omnia recepta sunt in *Pontificali Romano.*

207. — Ordinatio ostiarii.

1° Sic ritus describitur apud *Statuta*, can. 9 : « Ostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradat ei episcopus claves ecclesiæ de altario, dicens : Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur. » Sequitur, in *Missali Francorum*, in *Sacramentario Gelasiano*[1], et in *Pontificali Egberti*[2], ostiarii *benedictio* cum sua prævia *Præfatione.* — Quod omne receptum est in *Pontificali Romano.*

2° Auctus est postea ritus; nam : 1. Inductum est ut archidiaconus duceret ordinatos ad ostium ecclesiæ, seu *traderet eis ostium ecclesiæ;* quod jam conspicitur in *Pontificali Egberti*[3] (non vero in *Missali Francorum*, nec in *Sacramentario Gelasiano*), et in aliis deinceps receptum est; — 2. Pariter inductum est ut eis *traderentur campanæ*, nempe funes campanarum : quod serius inventum est; primo conspicitur in *Pontificali Cameracensi*, circa an. 1200[4].

208. — Ritus primæ tonsuræ. — Non invenitur ritus primæ tonsuræ in antiquis documentis ritus gallicani, v. g., apud *Statuta Eccl. antiqua*, in *Missali Francorum*, in *Sacramentario Gelasiano*, in *Pontificali Egberti.* Ritus iste primo deprehenditur in *Sacramentario gregoriano*, a Menardo edito[5] (sæculi x), quod in usu fuit in Gallia; sed est ipsemet ritus jam sæculo vm adhiberi solitus Romæ, qualis supra (n. **198**) descriptus fuit. Idem ritus deinceps reperitur in sacramentariis aut pontificalibus ritus gallicani, v. g., in pontificalibus monasterii Beccensis,

[1] Migne, *P. L.*, t. LXXII, col. 318; t. LXXIV, col. 1147.
[2] Martène, p. 33.
[3] Martène, p. 33.
[4] Martène, p. 68.
[5] Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 212.

circa an. 1200[1]. — Paulatim auctus est ritus; in *Pontificali Senonensi*, circa an. 1200, ordinandus induitur *cappa;* in *Silvanectensi*, circa an. 1350, datur ei *habitus;* in *Andegavensi*, circa an. 1400, induitur *superpelliceo*, dicente episcopo : *Induat te Dominus novum hominem*, etc.[2].

§ 3. Ritus ordinationis in hodierno Pontificali romano.

209. — Consecratio episcopalis.

1° *Tres episcopi requisiti.* — Ita jubet rubrica *Pontificalis Romani*, in tit. *De consecratione electi in episcopum;* præter consecratorem, « adsint duo ad minus episcopi assistentes. » Ipsi Rom. Pontifices, qui olim (supra, n. **193**) *soli* consecrabant episcopos, nunc de facto sequuntur rubricam *Pontificalis Romani*, ita ut non amplius *soli* consecrent episcopos, sed cum duobus aliis episcopis assistentibus, qui et ipsi manus super caput electi cum Rom. Pontifice imponunt[3]. Non dubium tamen quin etiam nunc possit Rom. Pontifex *solus* consecrare episcopum, cum numerus plurium episcoporum non requiratur ad validitatem, ut infra dicitur (n. **272**).

2° *Lectio Mandati Apostolici de peragenda consecratione.* — Ritus episcopalis consecrationis incipiunt ab hac lectione. Cum institutio canonica et confirmatio omnium episcoporum a pluribus sæculis reservatæ sint Romano Pontifici in Ecclesia Latina[4], sequitur et ipsam horum consecrationem eidem Rom. Pontifici esse reservatam. Solet autem Rom. Pontifex committere peragendam consecrationem « cuicumque, quem maluerit, catholico antistiti, gratiam et communionem Sedis apostolicæ habenti »; quæ commissio continetur in una ex bullis quæ mittuntur ad

[1] Martène, p. 67.

[2] Martène, *loc. cit.*, art. 7, n. 10, p. 17.

[3] Cf. Moroni, *Dizionario di erudizione eccl.*, v° *Vescovo*, § 1, Venezia, 1859, t. xcv, p. 334.

[4] Excepta provincia Salisburgensi.

futurum episcopum. Unde hæc bulla, juxta ipsam rubricam, legitur in extenso, antequam incipiat consecratio. — Huic autem lectioni prævia est *Præsentatio* consecrandi, his verbis facta : « Reverendissime Pater, postulat, etc.; » qui ritus sat antiquus est, cum jam reperiatur in *Pontificali Bisuntino*, circa an. 1100 [1].

3° *Præstatio juramenti ab Electo.* — Ponitur deinde formula juramenti, quod emittere debet electus coram consecratore, si id statuerit in præfato *Mandato Apostolico* Romanus Pontifex [2]. Prima formula hujus juramenti invenitur in cap. *Ego N. episcopus*, 4, De jurejurando; quæ formula tribuenda est, juxta meliorem opinionem, S. Gregorio VII, qui, in concilio Romano, an. 1079 [3], hoc juramentum præscripsit pro metropolitano Aquileiensi, qui a Rom. Pontifice consecrationem recipere tenebatur. Hinc Gregorii VII successores illud etiam emitti jusserunt a ceteris metropolitanis qui a Sede apostolica consecrationem vel pallium recipere tenebantur, postea ab omnibus episcopis, quando omnium sedium episcopalium provisio S. Sedi reservata est. — Formula juramenti varia incrementa, decursu temporum, suscepit, v. g., circa visitanda *Limina apostolica*, occasione Sixti V bullæ *Romanus Pontifex*, 20 dec. 1585, speciale juramentum hac de re præscribentis [4].

4° *Examen Electi.* — Sequitur *examen* Electi, nempe series interrogationum tum circa fidem ejus, tum circa voluntatem ejus proficiendi in virtutibus. *Examen*, quale nunc legitur, anti-

[1] Martène, p. 56.

[2] Hoc juramentum omnino diversum est a *professione fidei*, quam futurus episcopus emittere debet intra ipsum *processum informativum* institutioni canonicæ prævium.

[3] Migne, *P. L.*, t. CXLVIII, col. 812-813.

[4] De hoc juramento, cf. Thomassin, *Discipline*, etc., part. II, liv. II, c. XLIV-XLVI, ed. 1865, t. IV, p. 431-452. — Quoad ipsam *substantiam*, juramentum hoc obedientiæ jam in usu erat tempore Gregorii II (cui S. Bonifacius, ab ipso ordinatus episcopus, juramentum præstitit, cujus vide formulam apud Migne, *P. L.*, t. LXXXIX, col. 803); cui juramento forsan occasionem dedit S. Gregorius Magnus, qui ab episcopis Istriæ, a schismate reductis, juramentum exigebat (vide formulam apud Migne, *P. L.*, t. LXXVII, col. 1347-1348).

quum est; jam enim reperitur in *Pontificali Noviomensi*, circa an. 900[1], in *Ordine Romano Vulgato*[2], in quodam codice Cajetani (sæculi x)[3], in codice S. Victoris (sæculi xii), etc.[4]. — Quoad ipsam examinis *substantiam*, antiquissima est; jam enim conspicitur in *Ordine Romano VIII*, a Mabillonio edito, n. 7[5]; tunc autem interrogationes fiebant pridie ordinationis.

5° *Impositio libri evangeliorum super cervicem et scapulas Electi.* — Hic ritus, qui olim non adhibebatur in Ecclesia Romana, nisi quando Romanus Pontifex consecrationem episcopalem suscipiebat, nunc extensus est ad omnes consecrationes episcopales, juxta ritum Ecclesiarum ritus gallicani; quod jam videre est in *Ordine Romano Vulgato*[6]. Hæc autem impositio, quæ statim sequitur *litaniam*[7], fit *ante* impositionem manuum, a tribus episcopis peragendam.

6° *Impositio manuum trium episcoporum.* — « Deinde consecrator et assistentes episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt dicentes : *Accipe Spiritum Sanctum.* » De quo hæc dicenda : 1. Hæc impositio manuum fit *simul*, eodem nempe temporis momento, a tribus episcopis; qui pariter simul pronuntiant verba : *Accipe Spiritum Sanctum;* — 2. Quoad hæc verba : *Accipe Spiritum Sanctum*, recentioris sunt institutionis; non enim occurrunt in *Pontificalibus* aut *Sacramentariis* per tredecim prima sæcula scriptis; primo reperiuntur in *Pontificali Arelatensi*, circa an. 1300, in *Pontificali Andegavensi*, circa an. 1400, et in *Pontificali* dicto *Gulielmi Durandi*, circa eamdem ætatem scripto[8]; nec ea memorant antiqui scholastici, qui

[1] Martène, p. 47.
[2] Editio Hittorpii, Coloniæ, 1568, p. 97-99.
[3] Apud Morinum, p. 263.
[4] Apud Morinum, p. 275.
[5] Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 1002-1003.
[6] P. 100.
[7] Hæc *litania* est antiquissima, siquidem jam occurrit in *Ordine Romano VIII*, n. 8; Migne, t. LXXVIII, col. 1004.
[8] Martène, *loc. cit.*, art. 10, n. 14, p. 27; cf. art. 8, n. 15, p. 20; — Morin, part. III, exercit. II, c. II, p. 17-18; — Chardon, *Histoire des sacrements, De l'ordre*, part. I, c. I, ed. Migne, *Cursus theologiæ*, t. XX, col. 850.

formas singulorum ordinum accurate tradunt, v. g., Hugo a S. Victore, S. Thomas, Gulielmus Durandus, etc.

7° *Præfatio.* — Post impositionem manuum, consecrator recitat brevissimam orationem *Propitiare*, quæ jam legitur in *Sacramentariis Leoniano* et *Gregoriano*[1], et deinde longiorem *Præfationem*, quæ dicebatur olim *consecratio*. Hæc autem eadem est quæ occurrit in his veteribus sacramentariis, addita (ut supra dictum est, n. **200**, 2°, pro ritu gallicano) sat longa periphrasi. Quæ omnia jam conspiciuntur in *Ordine Romano Vulgato*[2].

8° *Unctio capitis et manuum.* — Unctio capitis fit in media *Præfatione*, post hæc verba : *Unguenti rore sanctifica ;* unctio autem manuum fit post *Præfationem*. Hæc duplex unctio jam occurrit in *Ordine Romano Vulgato*[3], qui refert romanam disciplinam sæculi X[4]. Quidam, v. g., Morin, Menardus, Chardon, etc.[5], dicunt ritum unctionis multo antiquiorem esse in Ecclesia Romana, et retroascendere saltem ad tempus S. Gregorii Magni, qui in suis *In Primum Regum Expositionibus*, lib. IV, c. v, n. 1, ait, occasione unctionis Saulis : « Hoc profecto hac unctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia *nunc etiam materialiter* exhibetur : quia, qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis[6]. » Verum hoc opus, S. Gregorio tributum, non est adeo certæ *authenticitatis* et *integritatis*[7], ut hoc testimonium prævaleat silentio *Ordinum*, *Sacramentariorum*, auctorumque coætaneorum. Multo minus cogit locutio S. Leonis, in *Sermone* 59, *De Passione*, n. 7 : « Nunc... *sacratior est unctio sacer-*

[1] Muratori, t. I, col. 422; t. II, col. 358.

[2] P. 101.

[3] P. 160-161.

[4] Juxta Mabillon, *In ordinem Romanum commentarius prævius*, § 2 (Migne, t. LXXVIII, col. 856), hic *Ordo* editus est ex manuscriptis sæculi X.

[5] Morin, *loc. cit.*, part. III, exercit. VI, c. II, n. 2, p. 99; — Chardon, *loc. cit.*, c. IV; Migne, *Cursus theologiæ*, t. XX, col. 866; — Menardus, *Notæ in S. Gregorii librum sacramentorum*, not. 775; Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 502.

[6] Migne, *P. L.*, t. LXXIX, col. 278.

[7] Cf. Benedictinorum *Præfationem* in præfatum opus; Migne, *P. L.*, t. LXXIX, col. 10.

dotum[1]; » quæ profecto intelligenda est de unctione interiore Spiritus Sancti per gratiam. Probabilius ergo est Ecclesiam Romanam recepisse hunc ritum ex ecclesiis ritus gallicani, et primo quidem *unctionem capitis*, quæ jam occurrit in Sacramentario Gregoriano a Rocca edito[2], et in Sacramentario Gregoriano a Menardo edito[3], deinde utramque unctionem, ut in *Ordine Romano Vulgato* et in *Codice Cajetani*, sæculo x[4]. Huic opinioni favent (quidquid alii dicunt) verba supra (n. **202**, 4°) relata Nicolai I ad Rodulphum Bituricensem.

9° *Traditio baculi et annuli.* — Hunc pariter ritum recepit Ecclesia Romana ex ecclesiis ritus gallicani; jam occurrit in *Ordine Romano Vulgato*[5].

10° *Traditio libri evangeliorum.* — Hic ritus recens est; non occurrit in *Ordine Romano Vulgato*, nec in ullo *Pontificali* aut *Sacramentario*, nec apud ullum auctorem per duodecim priora sæcula[6]. G. Durandus (def. an. 1296) hunc ritum memorat: « baculi, et annuli atque *evangelii traditio*, etc.[7]. »

210. — Ordinatio presbyteralis.

1° *Impositio manuum episcopi et presbyterii.* — Post præsentationem ordinandorum[8], et duas episcopi ad populum et ordinandos allocutiones, sequitur *impositio manuum episcopi*, juxta traditionem antiquissimam, jam, ut dictum est supra n. **194**, descriptam in *Ordine Romano IX*; adjuncta est autem *impositio manuum presbyterorum adstantium*, qui ritus jam occurrit in *Ordine Romano Vulgato*[9]. Probabilius est Ecclesiam

[1] Migne, *P. L.*, t. LIV, col. 341.

[2] Rocca, ad *Opera S. Gregorii Magni*, Parisiis, 1640, t. V, col. 192.

[3] Menardus, apud Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 224.

[4] Morin, p. 265.

[5] P. 101, 102.

[6] Morin, part. III, exercit. II, c. II, n. 5, p. 18; — Martène, *loc. cit.*, art. 10, n. 22, p. 29.

[7] *Rationale*, lib. II, c. XI, n. 11, p. 62.

[8] Quæ præsentatio (« postulat sancta mater Ecclesia, etc... ») jam fieri solebat tam pro presbyteratu quam pro diaconatu, tempore Innocentii III, ut constat cap. *Ex parte*, 1, De scrutinio in ordine faciendo.

[9] P. 93.

Romanam hanc alteram impositionem mutuatam fuisse ab ecclesiis ritus gallicani.

2° *Præfatio.* — Post impositionem manuum, sequuntur *Invitatorium* ad fideles (« Oremus, fratres carissimi, etc. »), *Collecta* brevior (« Exaudi nos, etc. ») et tandem *Præfatio*, quæ olim *consecratio* dicebatur. Antiquissimæ sunt hæ tres formulæ. Cf. supra, n. **194.**

3° *Traditio stolæ et casulæ.* — Hic pariter ritus antiquissimus est, supra, n. **194,** 3°.

4° *Unctio manuum.* — Post hymnum *Veni Creator,* fit *unctio manuum.* — Hunc ritum mutuata est Ecclesia Romana ab ecclesiis ritus gallicani. Sæculo IX, tempore Nicolai I, nondum erat in usu in Ecclesia Romana, ut omnino constat cit. supra (n. **202,** 4°) Nicolai epist. LXVI, ad Rodulphum, episcopum Bituricensem [1]. Sed brevi huc invectus est; nam jam occurrit in *Ordine Romano Vulgato* [2].

5° *Traditio instrumentorum, nempe calicis et patenæ.* — Hunc pariter ritum mutuata est Ecclesia Romana ab ecclesiis ritus gallicani; jam occurrit in *Ordine Romano Vulgato* [3]; verum forsan non erat in manuscriptis sæculi X, quibus usus est hujus *Ordinis* editor, nempe Hittorpius, sed tantum in recentioribus, quæ etiam adhibuit.

6° *Impositio manuum in fine missæ.* — Hic ritus non invenitur in *Ordine Romano Vulgato,* nec etiam in recentiore *Pontificali Romano* bibliothecæ Colbertinæ [4]. Probabilius est Ecclesiam Romanam hunc etiam ritum mutuatam esse ab ecclesiis ritus gallicani, apud quas primo occurrit.

211. — Ordinatio diaconatus.

1° *Præfatio cum impositione manus episcopi.* — Post præsentationem ordinandorum, et duas episcopi allocutiones, unam ad

[1] Pariter deest *unctio manuum* in Codice Einsiedeln, sæc. X, Gerbert, *Monumenta liturgiæ Alemannicæ,* typis San-Blasianis, 1779, t. II, p. 41.

[2] P. 94-95.

[3] P. 95.

[4] Quod exscribit Martène, p. 85.

ordinandos, alteram ad populum, sequitur *Præfatio*, quæ est antiquissima (supra, n. **195**). In medio autem ipsius præfationis, post hæc verba : « Quæ sunt agenda concedere, » fit impositio manus episcopi super unumquemque ordinandum, cum his verbis, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur*, etc. — De quo hæc dicenda : 1. Quoad ipsam *impositionem manus*, antiquissima est (cf. supra, *ibidem*); — 2. Quoad adjunctionem horum verborum, *Accipe Spiritum Sanctum*, ipsi impositioni manus, recens est; non enim occurrit in *Ordine Romano Vulgato*, nec in recentiore *Pontificali Romano* Colbertino, supra citato [1]; forsan etiam hunc ritum mutuata est Ecclesia Romana ab ecclesiis ritus gallicani, in quibus, sæculis XIII et XIV, adhibebatur (supra, n. **202**, 5°); — 3. Quoad *locum* hujus impositionis, nempe in medio *Præfationis*, item sat recens est [2]; olim enim fieri solebat impositio ante *Præfationem*, sicut in ordinatione presbyterali.

2° *Traditio indumentorum, nempe stolæ et dalmaticæ.* — Traditio indumentorum diaconalium ritus antiquissimus est, ut constat ex supradictis (n. **195**, 3°); variatio tantum fuit quoad species indumentorum, quæ tradebantur. In *Ordine Romano Vulgato* [3], traduntur *stola* et *dalmatica*.

3° *Traditio libri Evangeliorum.* — Hic ritus primo adhibitus fuisse videtur in Anglia, ut supra (n. **202**, 3°) dictum est; quem sat cito recepit Ecclesia Romana, cum jam occurrat in *Ordine Romano Vulgato* [4], non tamen adhuc in *Codice Cajetani* [5].

212. — **Ordinatio subdiaconatus.** — Ritus hujus ordinationis in *Pontificali Romano* descripti, sunt (præter publicationem *tituli* singulorum ordinandorum et duas episcopi allocutiones ad ordinandos) *traditio calicis et patenæ, ab episcopo facta, cum relativa oratione, traditio urceolorum cum bacili et*

[1] Martène, p. 84.
[2] Occurrit jam in præfato *Pontificali Romano* Colbertino, Martène, p. 84.
[3] P. 92-93.
[4] P. 92.
[5] Morin, p. 260-261.

manutergio, ab archidiacono facta silentio, traditio vestium, et *traditio libri epistolarum*. Antiquitus, ut supra (n. **196**, 2°) dictum est, Ecclesia Romana subdiaconatum conferebat per traditionem solius *calicis* cum brevissima oratione; auxit ergo ritum variis additamentis quæ procul dubio mutuata est ab ecclesiis ritus gallicani, apud quas revera olim adhibebantur, ut dictum est (n. **203**). Pleraque hujusmodi additamenta jam occurrunt in *Ordine Romano Vulgato* [1], præter traditionem *tunicæ*, *amictus* et *libri epistolarum*.

213. — Ordinationes ordinum minorum.

1° Ritus in *Pontificali Romano* descripti pro *ordinatione acolythatus*, sunt ii ipsi qui supra (n. **204**) descripti sunt pro eadem ordinatione juxta ritum gallicanum, in ultima sua evolutione [2]. Romana ergo Ecclesia reliquit suum antiquum ordinationis acolythorum ritum, *traditione sacculi* et brevissima *oratione* constantem; nec hoc mirum est; munera enim acolythorum decursu temporum mutata fuerant.

2° Idem omnino dicendum est pro tribus aliis ordinibus minoribus; ritus nempe *Pontificalis Romani* sunt ipsi ritus gallicani supra descripti (n. **205** sq.); qui jam occurrunt in *Ordine Romano Vulgato* [3].

214. — Ritus primæ tonsuræ. — Ritus hodierni *Pontificalis Romani* pro prima tonsura, est ipse ritus primigenius, Romæ sæculo VIII adhibitus, qui paulatim *traditione superpellicei* et variis orationibus auctus est; cf. supra, n. **198**, **208** [4].

[1] P. 91.

[2] Jam fere omnes occurrunt in *Ordine Romano Vulgato*, p. 90.

[3] P. 89-90.

[4] De prima tonsura et ejus ritibus, cf. etiam Hallier, *De sacris elect. et ordin.*, part. II, sect. VIII, *Appendix*, ed. Migne, col. 1587-1616.

§ 4. Ritus Ordinationis apud Græcos.

215. — Documenta seu fontes. — Documenta ex quibus depromi possunt ritus ordinationum in Ecclesia græca, sunt ea præsertim quæ sequuntur :

1° *Sacramentarium* seu *Euchologium* Serapionis, episcopi Thmueos, in Ægypto inferiore ; recentissime repertum est a Doct. Wobbermin in mss. monasterii Montis Athos, et ab eo typis editum in *Texte und Untersuchungen* (an. 1898), N. F., t. II, part. III *b*. Hoc sacramentarium, quod referendum est ad tempora dicti Serapionis, nempe ad an. circiter 350, continet plures preces liturgicas, numero 30, et sub n. 12-14, preces ordinationis diaconorum, presbyterorum et episcoporum [1]. Caute notandum est in hoc sacramentario directe non exhiberi nisi *preces*, non autem *ritus* seu *rubricas*.

2° *Constitutiones apostolicæ*, lib. VIII, c. IV, V, XVI-XVIII, XXI-XXII, XXVI, XXVII [2].

3° *Testamentum D. N. J. C.*, lib. I, c. XXI, XXX, XXXVIII, XLIV, XLV [3].

4° Pseudo-Dionysius, *De ecclesiastica hierarchia*, c. V, art. 2 ; cf. etiam plura in art. 1 [4]. Videas etiam S. Maximi (def. an. 662) *Commentaria* in hunc locum [5].

N. B. — Hæc documenta, sub n. 1-4, notata, non exhibent ritus ordinationis Ecclesiæ Græcæ exclusive, sed in genere Ecclesiæ Orientalis ; documenta autem quæ sequuntur exhibent exclusive ritus *græcos*.

5° Simeon, archiepiscopus Thessalonicensis (def. an. 1430),

[1] Iterum editum est *Sacramentarium* Serapionis a Brightman in *The Journal of Theological Studies*, n. 1-2 (oct. 1899 ; janv. 1900). Anglica versio data est a Wordsworth, *Bishop Serapion's Prayer Book*, London, 1899.

[2] Migne, *P. G.*, t. I, col. 1070 sq.

[3] Edit. Rahmani, Moguntiæ, 1899, p. 27, 69, 91, etc. — Cf. etiam, *ibid.*, editoris diss. II, p. 156.

[4] Migne, *P. G.*, t. III, col. 510 ; in hac editione reperias etiam *Paraphrasim* Pachymeræ (def. circa an. 1310) in opera Dionysii.

[5] Migne, *P. G.*, t. IV, col. 159 sq.

De sacris ordinationibus, qui late describit ritus omnium ordinationum [1].

6° *Euchologia* græca. — Plura edita sunt (quoad partem quæ respicit ordinationem) a Goar, Morin, Martène [2]. Codices exscripti a Morino sunt : 1. Codex *Barberinius*, scriptus circa an. 850; — 2. Codex *Cryptæ Ferratæ*, circa an. 950; — 3. Codex *Regius*, circa an. 1350; — 4. Codex *S. Andreæ Vallensis*, cujus Morinus ætatem non notat; — 5. Duo codices *Vaticani*, circa an. 1150; — 6. Codex *Allatianus*, non ita antiquus, sed bonæ notæ. — Goar exscribit textum *Euchologii* typis editi Venetiis an. 1638, exhibetque separatim *lectiones variantes* codicum mss. supra notatorum. Martène utrumque, nempe Morinum et Goar, pro re nata, exscribit. — Habert edidit, ex pluribus mss. bibliothecæ regiæ, *Librum Pontificalem* Ecclesiæ græcæ, omnes nempe ritus quos peragit patriarcha Constantinopolitanus, inter quos ritus ordinationum [3]; exscribit etiam *Euchologium* Venetiis typis editum [4].

216. — Consecratio episcopalis. — En ritus hujus ordinationis :

1° *Numerus episcoporum requisitus.* — *Testamentum Domini* jubet aut potius supponit interesse consecrationi *episcopos vicinos* [5] (nondum forsan tunc erat instituta divisio per provincias); *Constitutiones apostolicæ* jubent esse saltem tres [6]; concilium Nicænum, can. 4, item jubet esse saltem tres [7]; quæ concilii præscriptio sæpe deinceps fuit inculcata. Attamen *Canon I apostolorum* satis habet *duos aut tres*, et plura *Euchologia* requi-

[1] Migne, *P. G.*, t. CXV, col. 361 sq.

[2] Goar, *Euchologium seu Rituale Græcorum*, Lutetiæ Parisiorum, 1647, p. 233 sq.; — Morin, *De sacris ordinationibus*, p. 52 sq.; — Martène, p. 52 sq.

[3] Ἀρχιερατικόν, *Liber pontificalis Ecclesiæ Græcæ*, Parisiis, 1643, p. 37, 45, 66, 106, 179.

[4] *Ibid.*, p. 305.

[5] *Loc. cit.*, p. 27.

[6] Lib. VIII, c. IV, col. 1071.

[7] Bruns, t. I, p. 15

runt quatuor [1]. Simeon Thessalonicus requirit saltem tres [2].

2° *Lectio decreti electionis.* — Ritus consecrationis orditur a lectione hujus decreti, quod est tenoris sequentis : « Suffragio et consensu Deo amabilissimorum episcoporum et sanctorum presbyterorum [3], divina gratia quæ semper infirma curat et ea quæ desunt adimplet, promovet *N.*, Deo amabilem presbyterum, episcopum a Deo servatæ civitatis *N.* Oremus pro eo, ut veniat super eum gratia Sanctissimi Spiritus [4]. » In *Testamento Domini*, et in *Constitutionibus apostolicis*, locis cit., non reperiuntur nisi prima lineamenta hujus ritus ; hunc ritum non obscure memorat Dionysius [5]. — Prædictum autem decretum legit episcopus consecrator ex charta, in qua fuit scriptum, et quam ei offert secretarius (chartophylax).

3° *Impositio libri evangeliorum super cervicem electi.* — « Explicat autem evangelium pontifex, et, manum etiam admoventibus aliis pontificibus, capiti et cervicibus ordinati imponit [6]. » — Hunc ritum jam exhibent *Constitutiones apostolicæ*, et Dionysius [7] ; non tamen occurrit in *Testamento :* quod ostendit hunc ritum non fuisse in usu, cum scriptus fuit hic liber.

4° *Impositio manuum cum consecratoria oratione.* — Postea, facto ter signo crucis in capite electi, imponit manum pontifex super caput ejus, et profert sat longam orationem, in qua invocat gratiam Spiritus Sancti super electum, ut episcopatu digne fungatur [8].

5° *Altera impositio manuum cum relativa oratione.* — In omnibus Euchologiis a Goar, Morin et Martène editis, præter priorem manuum impositionem mox relatam, altera occurrit. Finita enim priore oratione consecratoria, episcopi assistentes

[1] Goar, p. 302; cf. p. 311; — Martène, p. 98.

[2] *Loc. cit.*, c. CLXXXIX, col. 399.

[3] Hæc prior pars variatur juxta varia adjuncta, v. g., si consecrandus sit metropolita aut patriarcha.

[4] *Euchologium*, an. 1638, apud Goar, p. 302.

[5] *Loc. cit.*, c. V, art. 3, § 5, col. 511.

[6] *Euchologium*, an. 1638, apud Goar, p. 302.

[7] Migne, *P. G.*, t. I, col. 1071; t. III, col. 510.

[8] Goar, p. 302; — Morin, p. 60, 72, etc.

recitant submissa voce *diaconica*, id est, quasdam preces, per modum litaniæ, pro pace, pro archiepiscopo, pro episcopo ordinato, pro civitate. Post has autem preces, consecrator iterum manus imponit super caput electi, et recitat alteram sat longam orationem, ut electus muneribus suis recte fungatur[1]. Item Simeon Thessalonicus duplicem impositionem manuum duplicemque orationem memorat[2]. — Unam tamen tantum memorant impositionem manuum, unamque orationem *Constitutiones apostolicæ*, *Testamentum Domini* et Dionysius; item una tantum occurrit in *Codice Allatiano*[3].

6° *Impositio pallii.* — Finita secunda oratione, consecrator aufert librum evangelii de cervice electi, eique imponit pallium seu *omophorium;* ita in omnibus *Euchologiis* editis a Goar, Morin et Martène, excepto *Codice Allatiano*, in quo tradi perhibetur *baculus pastoralis*[4]; impositionem pallii non memorant, ut per se patet, *Constitutiones apostolicæ*, *Testamentum*, Dionysius.

217. — Ordinatio presbyteralis. — Ritus sunt qui sequuntur :

1° *Lectio formulæ* : *Divina gratia*, etc. — « Ad eum (pontificem) ordinandus accedit, et ter ab eo in capite signatur, et frontem sacra mensa suffulciens, utrumque genu incurvat. Et diacono exclamante, *Attendamus*, confestim pontifex dextram manum ejus capiti impositam tenens, exclamat : Divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea quæ desunt adimplet, promovet *N.*, devotissimum diaconum, in presbyterum; oremus pro eo, ut veniat super eum Sanctissimi Spiritus gratia[5]. » De quo notanda : 1. Hæc formula, *Divina gratia*, etc., quæ omnino respondet decreto electionis in ordinatione episcopi (omissis tantum verbis, *Suffragio et consensu*, etc.), nihil aliud est quam

[1] *Loc. cit.*

[2] *Loc. cit.*, c. CCXVII, col. 418.

[3] Quem exscribit Morin, p. 102, et ex ipso Martène, p. 100.

[4] Morin, p. 101; — Martène, p. 100. — De pallio, quoad Græcos, cf. Goar, p. 312 sq.

[5] *Euchologium Venetianum*, an. 1638, apud Goar, p. 292.

publicatio factæ electionis talis diaconi in presbyterum; in græco. vocabulum *promovet* sonat προχειρίζεται, id est, primaria significatione, *eligit;* continet insuper *invitatorium* ad fideles ut orent pro ordinando : « Oremus pro eo, etc.; » hæc formula non occurrit in antiquioribus documentis, nempe *Testamento*, Dionysio, *Constitutionibus apostolicis*, licet in orationibus aut ritibus mentio fieri soleat de electione [1]; — 2. Hic ritus, quo ordinandus frontem sacro altari applicat [2], est recens; non enim memoratur in cit. antiquioribus documentis, imo nec in *Euchologiis* exscriptis a Morino [3], excepto codice Allatiano [4]; — 3. Impositio manuum, quæ exhibetur hic facienda, dum episcopus formulam, *Divina gratia*, recitat, item recens est; non enim memoratur in antiquioribus documentis, nec in codicibus (præter postremum) a Morino editis [5].

2° *Impositio manuum, cum oratione consecratoria.* — Post lectionem dictæ formulæ, « iterum consignans eum (ordinandum) pontifex, et manum impositam tenens, ... orationem istam secreto recitat : « Deus, qui principio et fine carens, etc. [6]. » Hæc impositio manuum memoratur in *Testamento*, *Constitutionibus apostolicis*, Dionysio, et in omnibus omnino codicibus a Goar, Morin et Martène exscriptis [7]. In oratione, quæ ubique eadem est quoad substantiam, pontifex invocat Spiritum Sanctum, ut ordinandus digne fungatur munere presbyterali. — In *Testamento Domini*, imponit manum episcopus super ordinandum, « contingentibus et tenentibus eumdem presbyteris [8]. »

[1] Cf. Morin, part. III, exercit. 2, c. III, p. 19 sq.; et part. I, *Adnot. in Græcas ordin.*, n. 48, p. 186.

[2] Quem bene exponit Simeon Thessal., c. CLXXIX, col. 388 : Τὸ μέτωπον προσερείδει τῷ θυσιαστηρίῳ, τοῦτο γὰρ τῶν χαρισμάτων ὁ θησαυρός.

[3] In his Euchologiis dicitur tantum ordinandum genuflectere *super crepidinem* (*marchepied*) *altaris*.

[4] Morin, p. 90; imo in alio ordine ad creandum presbyterum, ejusdem codicis, non memoratur præfatus ritus, p. 92.

[5] Cf. Morin, part. III, exercit. 2, c. III, n. 10, p. 21.

[6] *Euchologium*, an. 1638, apud Goar, p. 292-293.

[7] *Testamentum*, lib. I, c. XXX, p. 69; — *Const. apost.*, lib. VIII, c. XVI, col. 1114; — Dionysius, *loc. cit.*

[8] *Testamentum, ibid.*, p. 69.

3° *Altera impositio manuum cum oratione.* — Post preces *diaconicas*, sequitur altera episcopi manuum impositio cum altera oratione, quæ, quoad substantiam, similis est priori. Una tamen tantum memoratur impositio in *Testamento*, Dionysio et *Constitutionibus apost.*

4° *Traditio stolæ et casulæ.* — Post secundam orationem, pontifex tradit ordinato *stolam* more sacerdotali ferendam, et *phænolium*, quæ est species casulæ sine manicis totum corpus tegentis [1]. — Non memoratur hæc vestium traditio in tribus cit. documentis antiquioribus.

218. Ordinatio diaconalis. — Ritus sunt qui sequuntur :

1° *Lectio formulæ : Divina gratia*, etc. — « Ordinandus ad pontificem accedens, ter ab eo in capite signatur; ... deinde frontem in sancta mensa ordinandus applicat, dextrumque genu inflectit, et, archidiacono exclamante *Attendamus*, pontifex, impositam ordinandi capiti dexteram habens, exclamat : *Divina gratia*, etc., » ut in ordinatione presbyteri, mutatis mutandis [2]. — De qua formula repeti debent tres eædem omnino animadversiones quæ supra factæ sunt de hac formula in ordinatione presbyteri.

2° *Impositio manuum cum oratione consecratoria.* — Hæc impositio memoratur in omnibus documentis et Euchologiis; in *Testamento* dicitur [3] : « Episcopus solus ei manum imponit; non enim ad sacerdotium ordinatur, sed ad ministerium famulatus episcopi et Ecclesiæ; » cum quo concordant *Statuta Ecclesiæ antiqua*, can. 4 (supra, n. **202**). — In oratione, quæ ubique quoad substantiam eadem est, invocat pontifex Spiritum Sanctum, ut ordinandus diaconali munere digne fungatur.

3° *Altera impositio manuum cum oratione.* — Hæc præscripta est in omnibus Euchologiis, non vero in tribus cit. antiquis documentis.

[1] Vide descriptionem *phænolii* apud Simeonem Thessal., c. CLXXXI, col. 387; cf. Morin, part. II, *Adnot. in Græcas ord.*, n. 7, p. 176.

[2] *Euchologium*, an. 1638, apud Goar, p. 249-250.

[3] Lib. I, c. XXXVIII, p. 91.

4° *Traditio stolæ et flabelli.* — Hæc præscripta est in omnibus Euchologiis, non vero in cit. tribus antiquis documentis [1]. Flabellum traditur sine oratione, aut formula.

219. — Ordinatio subdiaconatus. — Ritus sunt qui sequuntur :

1° *Impositio manus cum relativa oratione.* — Hæc impositio manus episcopi super ordinandum non memoratur quidem in *Testamento Domini* [2], sed in *Constitutionibus apostolicis* [3] et in omnibus *Euchologiis*. In oratione indicantur præcipua munera subdiaconi juxta ritum orientalem [4].

2° *Traditio instrumentorum*, nempe *mantilis* (seu manutergii) et *pollubri* (seu pelvis) cum *vase*. Nulla oratio comitatur hanc traditionem. — Notandum est hanc traditionem esse recentem ; non enim memoratur in *Testamento* nec in *Constitutionibus apostolicis*, nec in codicibus *Barberinio* et *Cryptæ Ferratæ* [5] ; in aliis codicibus non traditur nisi mantile [6]. Apud Simeonem Thessalonicum, jam traditur utrumque [7].

220. — Ordinatio lectoris seu cantoris.

1° Primo et ante omnia ordinandus recipit *tonsuram clericalem*, ita ut initium ritus hujus ordinationis sit prima tonsura. —

[1] De *flabello* cf. Simeon. Thessal., c. CLXXIV, col. 382 ; — Morin, part. II, *Annot. in Græcas ordin.*, not. 11, p. 178 ; — Martigny, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*, v° *Flabellum*, Paris, 1889, p. 322. — Usus flabellorum viget adhuc in Ecclesia Orientali, non vero amplius, a sæculo XIV, in Ecclesia Latina, nisi pro Romano Pontifice in associationibus solemnibus ; cf. Moroni, *Chapelles papales*, Paris, 1846, p. 435. — Ceterum hic usus antiquissimus est, cum jam memoretur in *Constitut. Apost.*, lib. VIII, c. XII ; Migne, *P. G.*, t. I, col. 1091.

[2] Lib. I, c. XLIV, p. 105.

[3] Lib. VIII, c. XXI, col. 1118.

[4] *Euchologium*, an. 1638, apud Goar, p. 244.

[5] Morin, p. 58, 66.

[6] Morin, p. 68, 74, 86.

[7] *Loc. cit.*, c. CLXIII, col. 367. — In uno codice, nempe *Allatiano*, traditur ordinato *stichárium*, seu *tunica*, Morin. p. 87 ; sed hæc vestitio fieri solet, jussu episcopi, *ante ordinationem*. Cf. alia *Euchologia* et Simeonem, c. CLXII. De stichario, cf. Goar, p. 110.

Ritus autem tonsuræ hic est : Ordinandus in veste propria (nempe vel sæculari vel monachali) offertur pontifici, a quo « ter in capite signatur, et in crucis formam tondetur ab eo, dicente : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* ad uniuscujusque personæ invocationem adstantibus succlamantibus *Amen*. Mox ex integro in clerici formam ab aliquo tondetur. Atque ita rursus pontifici offertur, qui tunica accepta eum induit » [1].

2° Ritus autem proprius ordinationis *lectoris* hic est : Pontifex ordinandum ter signat in capite, manusque illi imponit, dicens : « Domine Deus omnipotens, elige, etc... » Deinde codex apostolicus (liber epistolarum) lectori traditur [2]. Unde ritus complectitur : 1. *Trinam crucis signationem* et *manus impositionem cum relativa oratione;* — 2. *Traditionem libri epistolarum*, sine formula. — Manus impositio memoratur jam in *Constitutionibus apostolicis* [3] (non tamen in *Testamento* [4]) et deinceps in omnibus Euchologiis et apud Simeonem [5] (Dionysius nihil habet de ordinibus diaconatui inferioribus, qui non referuntur ad *hierarchiam*, de qua loquitur). Traditio vero libri epistolarum non memoratur in *Constitutionibus*, bene vero in *Testamento*.

3° Ritus autem ordinationis *cantoris*, seu *psaltæ*, omnino idem est, constans nempe (præmissa tonsura) *signatione* et *impositione manuum* et *relativa oratione* quæ est omnino eadem. Solum discrimen in eo est quod cantori tradatur, non liber epistolarum, sed *psalterium* [6].

4° Notandum est, apud Græcos, hos duos ordines, nempe *lectoris* et *cantoris*, esse quidem diversos, non vero subordinatos, sed quasi collaterales et *parallelos*, ita ut quis possit ordi-

[1] *Euchologium*, an. 1638, apud Goar, p. 233.

[2] *Ibid.*

[3] Lib. VIII, c. XXII, col. 1118.

[4] Lib. I, c. XLV, p. 105; imo prohibetur impositio manuum in hac ordinatione.

[5] *Loc. cit.*, c. CIIX, col. 366.

[6] Cit. *Euchologium*, Goar, p. 233.

nari lector, non præmisso cantoratu, et vice versa, et sive lector, sive cantor, possit statim ordinari subdiaconus [1].

221. Ritus hodierni græcorum. — Hi ritus depromendi sunt ex novissima editione *Euchologii* Græcorum, Εὐχολόγιον τὸ μέγα, typis S. Congr. de Propaganda Fide (an. 1873); præiverat editio ejusdem *Euchologii*, an. 1754, typis ejusdem Congr. [2]. — Porro, si conferas ritus descriptos in his *Euchologiis* cum ritibus supra descriptis, invenies perfectam conformitatem. In una tantum consecratione episcopali, duo mutata sunt : 1. In prima rubrica, jubetur pontifex, dum legit Decretum electionis, *Suffragio et consensu*, etc., habere manum impositam super caput electi ; hæc sunt verba addita, latine reddita : « Quæ legit, audientibus omnibus, habens manum super caput ejus qui ordinatur [3] ; » quæ additio jam facta erat in priore *Euchologio*, an. 1754 [4] ; — 2. In priore oratione, *Dominator Domine Deus*, loco horum verborum, *Sicut reges unxisti, sicut pontifices sanctificasti,* scriptum est : « Sicut unxisti pontifices [5]. » — In ceteris autem ordinationibus, a presbyteratu usque ad lectoratum aut cantoratum, nihil prorsus mutatum est, prout ipse recognovi.

§ 5. Ritus ordinationis apud Syros Maronitas.

222. Documenta. — Textum syriacum pontificalis Maronitarum (quoad partem quæ respicit ordinationes) edidit Morinus, cum latina translatione [6]. Hoc opus Morini de novo edidit J. Aloysius Assemani, sed addidit novam latinam translationem.

[1] De quo cf. Morin, part. III, exercit. 14, c. VI, n. 5-6, p. 202-203. Aliter res se habet apud Syros, ut infra dicetur.

[2] Prostat hujus *Euchologii* latina translatio apud Assemani, *Codex liturgicus Ecclesiæ universæ*, lib. VIII, *De ordine*, part. V, appendix 1, Romæ, 1763, t. XII, p. 252-257.

[3] Cit. *Euchologium*, an. 1873, p. 137.

[4] Assemani, *loc. cit.*, p. 255.

[5] Cit. *Euchologium*, an. 1873, p. 138.

[6] *De sacris ordinationibus*, part. II, p. 344 sq.; Morinus usus est, ut ipse ait, codice syriaco *antiquo et egregie scripto*.

cum innumeris notis [1]. Insuper concilium Montis Libani, an. 1736, pro singulis ordinationibus, exposuit omnes ritus, non tamen integras preces [2]. — Versionem latinam Assemani iterum edidit Denzinger [3].

N. B. — Ne in immensum crescat moles voluminis hujus, indicabo tantum ritus; quod ceteroquin proposito fini sufficiet.

223. Consecratio episcopalis. — Ritus sunt, ut sequitur: 1. Supponuntur necessarii *tres* episcopi; — 2. Post præsentationem electi a duobus episcopis factam, patriarcha (aut episcopus quem delegaverit) legit, *manum electo imponens*, formulam *Divina gratia*, ut apud Græcos, sed amplificatam; — 3. Duo præfati episcopi imponunt librum Evangelii super *manus* electi; — 4. Sequitur patriarchæ quater saltem repetita impositio manuum, cum quatuor relativis orationibus, in quibus singulis implorat adventum Spiritus Sancti, ut electus rite fungatur variis muneribus episcopalibus; — 5. Tres processiones, in quarum secunda episcopi imponunt librum Evangelii super *caput* electi, dum patriarcha iterum imponit manus super ejusdem caput cum nova oratione; — 6. Patriarcha tradit electo librum Evangelii clausum, cum relativa oratione; — 7. Unctio capitis et manuum; — 8. Proclamatio ecclesiæ, ad cujus titulum consecratur novus episcopus; — 9. Traditio pluvialis, mitræ, baculi [4].

224. — Ordinatio presbyteralis. — Ritus sunt ut sequitur: 1. Post præsentationem ordinandi, episcopus legit, manum ordinando imponens, formulam *Divina gratia;* — 2. Sequitur episcopi impositio manuum quater repetita cum quatuor longis orationibus, ut novus presbyter digne accepto munere fungatur; — 3. Unctio manuum; — 4. Proclamatio ecclesiæ ad quam ordi-

[1] *Codex liturgicus*, lib. VIII, *De ordin.*, part. II et III, Romæ, 1756, 1758, t. IX et X.

[2] *Concilium Montis Libani*, part. II, c. XIV, n. 37 sq.; *Coll. Lac.*, t. II, col. 242 sq.

[3] Denzinger, *Ritus Orientalium*, Wirceburgi, 1863-1864, t. II, p. 208 sq.

[4] Assemani, *Codex liturgicus*, t. X, p. 25, 27, 28, 38, 40, 43, 51, 52.

natus est; — 5. Traditio cinguli, amictus, stolæ, planetæ; — 6. Tres processiones, in quarum secunda et tertia episcopus novo presbytero tradit librum Evangelii, et deinde calicem et patenam cum corpore et sanguine Domini, ut ea omnia circumgestet [1].

225. — Ordinatio diaconatus. — Ritus sunt : 1. Post præsentationem ordinandi, episcopus legit, manum imponens ordinando, formulam *Divina gratia;* — 2. Sequitur sexies repetita impositio manuum cum sex longis orationibus; — 3. Proclamatio ecclesiæ, ad quam fit ordinatio; — 4. Traditio tunicæ, stolæ; — 5. Traditio libri *epistolarum*, sine oratione aut formula; — 6. Tres processiones cum variis ritibus; — 7. Nova impositio manuum cum corpore et sanguine Domini [2].

226. — Ordinatio subdiaconatus. — Ritus sunt : 1. Præsentatio et formula *Divina gratia*, cum impositione manuum; — 2. Sequitur quater repetita impositio manuum (secunda vice, cum patena et calice), cum relativis orationibus; — 3. Traditio tunicæ, stolæ; — 4. Tres processiones cum variis ritibus; in his processionibus novus subdiaconus candelabrum accendit et extinguit, fores ecclesiæ aperit et claudit, campanam pulsat [3] : quo notantur præcipua subdiaconi officia apud Maronitas; unde etiam apparet subdiaconatum implicite complecti ostiariatum et acolythatum [4].

227. — Ordinatio lectoris. — Ritus sunt : 1. Præsentatio et formula *Divina gratia*, cum impositione manuum; — 2. Impositio manuum bis repetita, cum relativis orationibus; — 3. Traditio tunicæ, stolæ; — 4. Traditio libri lectionum [5].

[1] Assemani, t. IX, p. 122, 126, 135, 140, 142, 143; cf. *Appendicem*, p. 272-279.

[2] Assemani, t. IX, p. 64, 67, 80, 81, 83, 85; cf. *Appendicem*, p. 266-272.

[3] Assemani, t. IX, p. 38, 39, 46, 47; cf. *App.*, p. 256-263.

[4] Concilium Montis Libani, an. 1736, part. III, c. II, n. 3; *Coll. Lac.*, t. II, col. 270; — part. II, c. XIV, n. 49; *ibid.*, col. 254-255.

[5] Assemani, t. IX, p. 24, 25, 28, 29; cf. *App.*, p. 238-256.

228. – Ordinatio cantoris. — Ritus sunt : 1. Post multas preces (ut fieri solet ante quamlibet ordinationem), episcopus imponit manum futuro clerico et cantori, ut dignus fiat novo gradu quem acquisiturus est; — 2. Episcopus tondet eum in modum crucis, cum brevissima formula : *Signamus te,* etc.; unde ordinatio cantoris continet in se et explicite collationem primæ tonsuræ; — 3. Postea episcopus apprehendit eum manu dextera, orans; admovet eum ad altare, iterum orans; tradit illi librum psalmorum, ut gestet illum per processionem quæ mox fit [1]. — Notandum est, apud Maronitas, cantoratum subordinatum esse lectoratui, ita ut prior ordo requiratur ad posteriorem, et inter unum et alterum requirantur interstitia, nisi tamen, quoad interstitia, aliud episcopo videatur [2]. Secus est, ut dictum est (n. **220**) apud Græcos.

§ 6. Ritus ordinationis apud Syros Nestorianos.

229. Documenta. — Hos ritus edidit Morinus ex pluribus mss. Vaticanis [3]; hos iterum edidit, cum accuratiore latina versione, J. Simonius Assemani [4]; demum tertio edidit Aloysius Assemani [5]. Assemaniorum autem versionem exscripsit Denzinger [6]. — Ceterum, cum ritus simillimi sint ritibus *græcis* supra descriptis, hos brevissime tantum indicabo.

230. — Consecratio episcopalis [7]. — Ritus sunt : 1. Post longissimas prævias orationes, episcopus consecrans imponit

[1] Assemani, t. IX, p. 14, 15, 17; cf. *App.*, p. 231-238.

[2] Concilium Montis Libani, part. II, c. XIV, n. 22-23; *Coll. Lac.*, t. II, col. 238.

[3] Morin, part. II, p. 370 sq.

[4] *Bibliotheca Orientalis*, Romæ, 1728, t. III, part. II, ubi agitur de Syris Nestorianis.

[5] *Codex liturgicus*, lib. 8, part. VI, Romæ, 1766, t. XIII, p. 1-73.

[6] *Ritus Orientalium*, t. II, p. 227 sq.

[7] Anno 410, apud Syros Orientales, postea Nestorianos, ritus consecrationis episcopalis non complectebatur adhuc nisi duos ritus simplicissimos, nimirum *impositionem codicis evangeliorum super caput electi*, et *extensionem manus dexteræ episcoporum super ipsum* cum oratione consecratoria, uti præscribit concilium Mar Isaaci, an. 410, can. 1, apud Chabot,

librum evangelii super dorsum electi; sic retinetur liber per omne tempus quo recitantur preces consecratoriæ; — 2. Statim omnes episcopi præsentes imponunt manus suas super caput electi, et sic retinent eas, donec absolvantur preces consecratoriæ; — 3. Episcopus consecrans pronuntiat, sine manus impositione, formulam *Gratia Domini Nostri Jesu Christi* (eadem ac formula græca *Divina gratia*); — 4. Postea imponit manus super caput electi, cum duabus longis orationibus, in quibus implorat gratiam Spiritus Sancti super electum, ut omnibus, quæ enumerantur, muneribus episcopalibus fungatur; — 5. Tandem tradit pallium et baculum [1].

231. — Ordinatio presbyteralis. Ritus sunt : 1. Postquam episcopus imposuit manum super *oculos* ordinandi, nihil dicens, recitat formulam *Gratia Domini Nostri*, etc., sed paulum mutatam; — 2. Bis imponit manus suas super caput ordinandi, recitans duas orationes, quarum prior est quasi præparatoria, altera est oratio proprie consecratoria presbyteri; — 3. Tradit ordinato pallium et stolam; — 4. Tradit ei librum evangelii [2].

232. — Ordinatio diaconatus. — 1. Episcopus manum imponit ordinando, recitans orationem quasi præparatoriam; — 2. Iterum imponit manum cum oratione consecratoria; — 3. Tradit stolam; — 4. Tradit librum *Apostoli* seu epistolarum [3].

233. — Ordinatio subdiaconatus. — Constat ordinatio hæc unica oratione sat generali (sine impositione manuum), qua finita episcopus ordinatum cruce signat in capite, librum lectoris de manu ejus recipit, et ei tradit stolam [4].

Synodicum Orientale (nestorianum), part. II, n. 1, in *Notices et Extraits des manuscrits... publiés par l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, Paris, 1902, t. XXXVII, p. 263.

[1] Assemani, *Biblioth. Orient.*, t. III, part. II, p. 686, 687, 688; — Denzinger, *loc. cit.*, p. 241, 242, 244.

[2] Assemani, *loc. cit.*, p. 813-815; — Denzinger, p. 235-237.

[3] Assemani, *loc. cit.*, p. 806-809; — Denzinger, p. 232-233.

[4] Assemani, *loc. cit.*, p. 802; — Denzinger, p. 229.

234. — Ordinatio lectoris. — Ritus sunt ut sequitur : 1. Præmittitur collatio tonsuræ clericalis ; — 2. Episcopus recitat, sine manus impositione, formulam *Gratia Domini Nostri*, etc., quæ est decretum electionis, et prodest etiam pro duobus ordinibus subdiaconatus et diaconatus qui simul cum lectoratu conferuntur ; unde, in his duabus ordinationibus, non amplius legitur formula *Gratia Domini*, etc. — 3. Postea imponit manum super caput ordinandi, recitatque orationem consecratoriam ; — 4. Tradit stolam, ferendam tantum super brachium, et hoc tantum in ordinatione ; — 5. Tradit librum lectionum [1].

§ 7. Ritus ordinationis apud Syros Jacobitas.

N. B. — Sufficit, quoad Syros Jacobitas seu monophysitas, exponere ritum ordinationis episcopi ; nam ceteræ omnes ordinationes, *cantoris*, *lectoris*, *subdiaconi*, *diaconi*, *presbyteri*, sunt eædem ac apud Maronitas [2]. Hunc autem ritum edidit Morinus, omissis tamen plerisque precibus ; ritum autem integrum edidit Denzinger, ex versione latina *Codicis Florentini*, a Renaudotio facta, et hucusque manuscripta.

235. — Consecratio episcopalis. — Ritus sunt ut sequitur : 1. Tres episcopi supponuntur necessarii, nempe patriarcha qui celebrat ordinationem, et duo alii qui ipsi assistant ; — 2. Unus ex his duobus pronuntiat formulam *Gratia divina*, seu *Decretum electionis* ; — 3. Duo episcopi assistentes imponunt librum evangelii super caput electi, eumque sic retinent donec absolvatur oratio consecratoria ; — 4. Patriarcha imponit manus super caput electi, recitans simul orationem consecratoriam ; — 5. Postea tradit ordinato sacras episcoporum vestes [3].

[1] Assemani, *loc. cit.*, p. 793-794 ; cf. ejus *notas* in ordinationem lectoris, p. 795 sq. Vide etiam Morin, p. 370 sq. ; — Denzinger, p. 228.

[2] Assemani, *loc. cit.*, p. 790.

[3] Morin, p. 414-415 ; — Denzinger, p. 96-98.

§ 8. Ritus ordinationis apud Cophtos.

236. — Documenta. — 1. Ritus ordinationum cophticos, excepta consecratione episcopali, in latinam linguam transtulit Kircherius, S. J., ex codice cophtico ad S. Congr. de Propaganda Fide ex Ægypto transmisso; quam versionem edidit Morinus[1]; — 2. Ritus consecrationis episcopalis item in latinam linguam vertit Renaudotius, ex duobus codicibus bibliothecæ regiæ : qua versione, nondum typis edita, ex parte usus est Denzinger, de quo infra; — 3. Ritus omnium ordinationum ex versione arabica transtulit J. Simonius Assemani in linguam latinam, quam latinam versionem primo edidit Maius[2]; — 4. Tandem, ex pontificali cophtico, Romæ, an. 1761, typis edito, in latinam linguam transtulit Scholz, S. J., quam versionem exhibet Denzinger[3].

237. — Consecratio episcopalis. — Ritus sunt ut sequitur : 1. Post multas prævias preces, archidiaconus recitat formulam : *Gratia, quæ dat sanitatem*, etc. (quæ respondet formulæ græcæ *Gratia divina*, etc.); — 2. Patriarcha imponit manum super caput electi, dum simul episcopi assistentes « extendunt manus suas et tangunt colla et humeros ejus », statimque patriarcha pronuntiat orationem longam consecratoriam; — 3. Postea pluries signat pollice suo caput ordinati, eique tradit insignia episcopalia[4]. — Notandum est altum silentium esse de libro evangelii super scapulas electi imponendo; item in ordinatione patriarchæ[5].

[1] Morin, p. 442 sq.

[2] *Scriptorum veterum nova collectio*, Romæ, 1831, t. v, part. II, p. 209 sq.

[3] T. II, p. 1 sq.

[4] Denzinger, t. II, p. 23-24. — Similis est ritus ex Renaudotio, *ibid.*, p. 30-31.

[5] Denzinger, *ibid.*, p. 47 sq. — Ritus ordinationis Patriarchæ Alexandrini vide etiam apud Renaudot, *Liturgiarum Orientalium collectio*, Paris, 1716, t. I, p. 467 sq.

238. Ordinatio presbyteri. Ritus sunt : 1. Archidiaconus recitat formulam : *Gratia Domini Nostri*, etc.; — 2. Episcopus imponit manum suam super caput ordinandi, simul recitans longam orationem consecratoriam, quam concludit conversus ad orientem, id est, ad altare ; — 3. Demum pluries signat pollice suo frontem ordinati, eumque stola induit [1].

239. — Ordinatio diaconi. — Ritus sunt iidem ac ritus presbyteratus; orationes tantum mutatæ sunt, et loco stolæ, traditur novo diacono *zonarium* [2].

240. — Ordinatio subdiaconi. — Ritus sunt : 1. Archidiaconus recitat formulam *Gratia Domini Nostri*, etc.; — 2. Episcopus « tenet tempora » ordinandi, simulque recitat orationem consecratoriam, quam concludit conversus ad altare ; — 3. Demum, post signa crucis super ordinatum, tradit ei *orarium* [3].

241. — Ordinatio lectoris. — Ritus sunt ut sequitur : 1. Præmittitur collatio primæ tonsuræ ; — 2. Post orationem præparatoriam (coram altari recitatam), episcopus bis « tenet tempora » ordinandi, binas orationes consecratorias pronuntians ; 3. Tradit ordinato librum lectionum. — Expresse cavetur, in fine rituum hujus ordinationis, ut « non imponatur manus super lectorem » [4].

§ 9. Ritus ordinationis apud Æthiopes.

242. Ordinationes apud Æthiopes seu Abyssinos. — Ritus harum ordinationum sunt omnino iidem ac apud Cophtos ; ratio est quia Æthiopes subjacebant jurisdictioni patriarchæ Alexandrini [5] ; unde ab Ecclesia Alexandrina receperunt litur-

[1] Denzinger, *ibid.*, p. 12-13.
[2] Denzinger, *ibid.*, p. 8-9.
[3] Denzinger, *ibid.*, p. 5-6.
[4] Denzinger, *ibid.*, p. 2-4.
[5] De quo cf. Renaudot, *De Patriarcha Alexandrino*, n. 107-108, in cit. opere *Liturgiarum Orientalium coll.*, t. I, p. 442.

giam omnesque ritus sacros; solum discrimen situm est in lingua; rituale enim cophticum verterunt in linguam propriam, nempe æthiopicam, quæ est una e linguis semiticis.

§ 10. Ritus ordinationis apud Armenos.

243. - **Documenta.** — Ritus ordinationum usque ad presbyteratum inclusive exhibentur in Rituali Armenorum Monophysitarum an. 1807 typis edito; quod in latinam linguam transtulit Richter. Hanc versionem, collato Rituali Armenorum unitorum an. 1839 Venetiis edito, exhibet Denzinger [1]. — Quoad consecrationem episcopalem, cum ejus ritus non reperiantur in Ritualibus ad usum episcoporum editis (utpote quæ patriarchæ reservata sit), Denzinger eam exhibet ex opere Joannis Marchionis de Serpos, *Compendio storico di memorie cronologiche concernenti la religione e la morale della nazione Armena* [2]...

244. — **Consecratio episcopalis.** — Ritus sunt : 1. Post *examen* episcopi, quod simillimum est examini, quale fit apud Latinos, patriarcha facit primam et quasi præparatoriam manus impositionem super electum, eumque pluviali episcopali induit; — 2. Patriarcha imponit super ejus humeros librum Evangelii (quem deinde tenet unus e duobus episcopis adstantibus), et deinde manum super caput ejus, dum canitur psalmus et legitur decretum electionis; — 3. Patriarcha legit formulam *Divina gratia*, etc., ter cruce signat electum, et invocat super eum Spiritum Sanctum; — 4. Dum fiunt orationes pro patriarcha, pro electo, etc., patriarcha iterum imponit manus electo, ut digne episcopatu fungatur; — 5. Clerus et iterum patriarcha alta voce recitant formulam : *Divina et cælestis gratia*, etc., et deinde tertio imponit manus patriarcha cum longissima oratione; — 6. Deinde, interjectis pluribus orationibus et lectionibus, sequi-

[1] T. II, p. 274 sq.

[2] Venezia, 1786, t. III, p. 372 sq. — Ritum habes apud Denzinger, t. II, p. 356 sq.; hic tamen ritus non in extenso relatus est, sed in epitomen redactus.

tur unctio capitis et pollicum ; — 7. Postea traditio baculi et annuli ; — 8. Demum traditio evangelii et impositio mitræ [1].

245. — Ordinatio presbyteri. — Ritus sunt : 1. Post præsentationem ordinandi (« Pater sancte, postulat a te mater nostra sancta Ecclesia, etc., » fere ut apud Latinos), interjectis quibusdam orationibus et psalmis, episcopus imponit manum super caput ordinandi, cum oratione consecratoria ; — 2. Sacerdotes assistentes, elevantes manus supra ordinandum, pronuntiant formulam *Divina et cælestis gratia*, etc. ; quam item pronuntiat episcopus, manum imponens cum cruce ; — 3. Nova impositio manus cum cruce, cum tribus orationibus ; — 4. Impositio stolæ cum multis orationibus ; — 5. Nova impositio manus cum pluribus orationibus ; — 6. Traditio omnium indumentorum sacerdotalium ; — 7. Unctio, cum chrismate, frontis et manuum ; — 8. Traditio instrumentorum, nempe calicis et patenæ, cum corpore et sanguine Domini, cum formula, *Accipe potestatem... perficiendi missas*, etc. [2].

246. — Ordinatio diaconi. — Ritus sunt : 1. Post præsentationem ordinandi, episcopus manum imponit super caput ejus, cum oratione consecratoria ; — 2. Iterum manum episcopus imponit cum cruce, recitans duas orationes, ut rite adimpleat ordinandus munia sua ; — 3. Sacerdotes assistentes recitant formulam *Divina et cælestis gratia*, etc. ; quam pariter formulam et deinde duas longas orationes recitat episcopus, manus imponens ; — 4. Postea, interjectis psalmis, lectionibus et orationibus, imponit iterum episcopus manum cum cruce recitatque plures orationes ; — 5. Tandem tradit ordinato vestem diaconalem, stolam, librum evangelii cum formula latinæ simillima, et thuribulum [3].

[1] Denzinger, p. 361-362.
[2] Denzinger, p. 306-315.
[3] Denzinger, p. 286-292.

247. — Ordinatio subdiaconi. — Ritus sunt : 1. Post varias lectiones, episcopus imponit manum super caput ordinandi, cum longa oratione consecratoria ; — 2. Ordinandus induitur « veste clerici », postea tradit ei episcopus manipulum ; — 3. Traditio calicis vacui et patenæ, cum relativa formula ; — 4. Traditio missalis, purificatorii, aliorumque paramentorum missæ [1].

248. — Ordinatio acolythi. — Ritus sunt ut sequitur : 1. Post admonitionem diaconi, episcopus dicit orationem ut ordinandus, benedictione Dei, bene ministret in ordine acolythi ; — 2. Deinde tradit ei ceroferarium cum cereo, tum urceolum, recitans formulas formulis latinis simillimas [2]. — Non memoratur in hac ordinatione *impositio manuum* ab episcopo facienda ; vox quidem *chirotonia* legitur, in versione latina, tum in admonitione diaconi, tum in oratione episcopi ; sed probabilissimum est vocabulum correspondens, in textu armeno, non significare nisi ordinationem (sicut apud Latinos, vox *ordinatio* applicatur etiam primæ tonsuræ, quæ non est ordo).

249. — Ordinatio exorcistæ. — 1. Post admonitionem diaconi, episcopus dicit orationem, ut ordinandus bene ministret ; — 2. Postea tradit librum exorcismorum, cum formula latinæ simillima [3].

250. — Ordinatio lectoris. — 1. Post admonitionem diaconi, episcopus dicit orationem ut supra ; — 2. Tradit ordinando librum « apostolorum et prophetarum », cum formula latinæ simili [4].

251. — Ordinatio ostiarii. — 1. Post admonitionem diaconi, episcopus dicit orationem ut supra ; — 2. Tradit ordinando clavem ecclesiæ, cum formula latinæ simili ; — 3. Diaconus,

[1] Denzinger, p. 283-284.
[2] *Ibid.*, p. 281-282.
[3] *Ibid.*, p. 280-281.
[4] *Ibid.*, p. 279-280.

sumens hanc clavem de manu ostiarii, immittit in januam ecclesiæ, docens quomodo aperiatur et claudatur [1].

252. — Collatio primæ tonsuræ. — 1. Post admonitionem diaconi, episcopus dicit' orationem ut supra; — 2. Post duos psalmos (*Conserva me*, et *Domini est terra*), episcopus præcidit capillos futuri clerici ad modum crucis, cum congrua formula; — 3. Tradit ei, cum congruis formulis, tum psalterium, ad canendum, tum scopam, ad verrendum in domo Domini [2].

253. — Scholium. — Ex sola expositione rituum Armenorum, patet Armenos multa mutuatos esse ab Ecclesia Romana, sive quoad ipsos ordines, sive quoad ritum ordinationum. Probabilissimum est hanc rituum romanorum receptionem in Ecclesia Armena retroascendere ad tempora Innocentii III, vel forsan Gregorii VII; cum his enim duobus Romanis pontificibus egerunt Armeni patriarchæ sive legationibus, sive epistolis, ut ritus romanos docerentur [3].

[1] Denzinger, p. 278.

[2] *Ibid.*, p. 274-277.

[3] Cf. Galanum, *Historia Armena*, c. XIX, XXIII, Coloniæ, 1686, p. 286 sq., 322 sq.; — cf. etiam Denzinger, t. I, p. 5-6.

CAPUT II

DE RITIBUS ESSENTIALIBUS ORDINATIONUM MAJORUM

§ I. De ritibus essentialibus presbyteratus.

N. B. — Incipimus a *presbyteratu*, quia, difficultate soluta pro hac ordinatione, facilior erit solutio pro diaconatu et episcopatu. Ritus autem *essentiales* ordinationis, sunt ii sine quibus ordinatio esset invalida; qui etiam dicuntur *materia* et *forma*. — Porro tres sunt opiniones de ritu essentiali presbyteratus.

254. — Prima opinio. — *Ritus essentialis presbyteratus constat sola porrectione instrumentorum ut materia, et verbis ei respondentibus ut forma.* Instrumenta sunt calix cum vino, et patena cum hostia; verba sunt hæc : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo missasque celebrare*, etc., ut in *Pontificali*. — Ita, ut videtur, D. Thomas qui, in *Sententias*, lib. IV, dist. XXIV, art. 3, hæc docet : « In ipsa datione calicis, sub forma verborum determinata, character sacerdotalis imprimitur[1]; » et in opu-

[1] T. XIII, ed. Venetiis, 1750, p. 39; quæ leguntur in Supplemento part. III, q. XXXVII, art. 5.

sculo cujus titulus *In articulos fidei et sacramenta Ecclesiæ expositio*, part. II, circa finem : « Materia autem hujus sacramenti est illud materiale, per cujus traditionem confertur ordo, sicut *presbyteratus traditur per collationem calicis*... Forma autem hujus sacramenti est talis : *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia* pro vivis et mortuis [1]. » Ita etiam Durandus a S. Porciano, Dominicus Soto (qui testatur hanc opinionem esse communem), Estius, Nugno [2], et plures alii quos hi pro se allegant. — Argumenta autem sunt :

1° Ipse *ritus* qualis describitur in *Pontificali romano;* cum enim pontifex, tradens ordinando calicem cum vino et patenam cum hostia, ei dicat : *Accipe potestatem offerre sacrificium*, etc., profecto, nisi dicamus illa verba esse vana aut fallacia, eo temporis momento recipit ordinandus potestatem offerendi sacrificium missæ. — Nec dicatur ex eodem ritu demonstrari etiam impositionem manuum quæ fit in fine ordinationis cum his verbis : *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris*, etc., esse materiam

[1] T. VIII, cit. edit., p. 54. — Dixi tamen, *ut videtur;* nam, cit. loco, dist. XXIV, art. 3, S. Doctor, loquens de priore impositione manuum, ait : « Per manus impositionem datur *plenitudo gratiæ*, per quam ad magna officia sint idonei; » ubi videtur docere etiam impositionem manuum esse materiam partialem sacramenti. Cum tamen ibidem hanc impositionem non habeat nisi ut *præparationem*, instar unctionis, et aliunde, juxta omnes, character et gratia simul infundantur, dicendum videtur, juxta mentem D. Thomæ, hanc plenitudinem gratiæ non produci *ex opere operato* vi ipsius impositionis manuum, sed tantum *ex opere operantis Ecclesiæ;* ita intelligit eum Vasquez, loco infra citando; alii aliter D. Thomam explicant, dicentes nempe, juxta D. Thomam, characterem et gratiam separatim produci; cf. etiam Suppl., part. III, q. XXXVIII, art. 1, ad 1. Ita D. Thomam exponit Arcudius, *De concordia Eccl. Occid.*, etc., p. 533. Dom. Soto, loco infra cit., dicit se non intelligere hunc locum S. Doctoris.

[2] Durandus, *In Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, q. III, ad 2, ed. Parisiis, 1550, folio 312, verso; — Soto, *In IV Sent.*, dist. XXIV, q. I, art. 4, *Conclusio quinta*, Duaci, 1613, p. 584; — Estius, *In Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, § 24, Parisiis, 1696, t. III, p. 312; — Nugno, *In III part. D. Th. Suppl.*, q. XXXVII, art. 5, Coloniæ Agrippinæ, 1630, part. II, p. 473.

saltem partialem ordinationis. Nam quando aliquis ordo duos aut plures actus habet, character imprimitur per traditionem instrumenti quod principali actui respondet; porro ordo presbyteratus duos actus habet, nempe celebrandi et peccata remittendi; principalior autem est celebratio; ergo character imprimitur per traditionem calicis, et impositio finalis est mere cæremonialis. Ita Durandus, Soto, etc.

2° Caput *Presbyter*, 3, De sacramentis non iterandis; ibi enim Gregorius IX docet impositionem manuum esse ritum *ab apostolis* introductum, et, si omissa fuerit, debere tantum *suppleri*, nec necesse esse iterari totam ordinationem; ergo : 1. Non fuit introducta a Christo; 2. Non pertinet ad substantiam sacramenti; alioquin, si omittatur, cetera irrita sunt, et debet iterari tota ordinatio.

3° Aliud argumentum affertur ab auctoribus qui scripserunt post concilium Florentinum, nempe *decretum* Eugenii IV *Ad Armenos*, seu bulla *Exultate Deo*, data Florentiæ in publica sessione synodali concilii, decimo kal. dec. an. 1439; hæc bulla, inter alia, continet doctrinam de sacramentis, quæ, paucis mutatis, excripta est ex cit. opusculo D. Thomæ; legimus ergo in hac bulla : « Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo : sicut *presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem;* diaconatus vero per libri evangeliorum dationem; subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem; et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est : *Accipe potestatem offerendi*, etc. (ut in *Pontificali* ; et sic de aliorum ordinum formis, prout in pontificali romano late continetur[1]. » Ergo porrectio instru-

[1] Mansi, t. xxxi, col. 1058.

mentorum cum relativis verbis est *ritus essentialis* presbyteratus, et quidem ritus essentialis *completus;* aliter porrectio ista non esset pure et simpliciter materia, sed pars materiæ, et verba prædicta non essent forma, sed pars formæ.

4° Nec dicatur *impositio manuum* memorari in conciliis, Patribus, imo et in Scriptura sacra, nempe in *Actibus apostolorum*, et proinde illam esse materiam ordinationis, saltem partialem. — Ad hoc argumentum, cujus sentit difficultatem, respondet Estius, *loc. cit.*, *impositione manuum* designari, non tantum ipsam proprie dictam *impositionem manuum* (qui, juxta ipsum, ritus est accessorius, nec necessarius), sed etiam principalem ritum sacramentalem, per traditionem transmissum et cognitum, qui hoc nomine appellabatur, ut lateret ethnicos[1]; Sotus autem, *loc. cit.*, respondet, non obstante hac difficultate, non posse discedi a sententia quam docet, quia est opinio communis, a S. Thoma et a concilio Florentino tradita; aliunde gravissimum incommodum esse quod differatur impressio characteris usque ad impositionem manuum quæ fit post missam[2].

255. — Secunda opinio. — *Ritus essentialis presbyteratus constat duabus materiis duabusque formis partialibus, nempe* 1. *Porrectione instrumentorum, cum rela-*

[1] Attamen Estius, in fine cit. paragraphi 24, gravitate difficultatis victus, nec sibi bene cohærens, fatetur *maxime probabile esse* potestatem remittendi peccata non conferri presbytero nisi per ultimam impositionem manuum, quæ fit in fine missæ cum his verbis, *Accipe Spiritum Sanctum*, etc.; unde hac in parte accedit ad secundam opinionem.

[2] Nemo tunc temporis suspicabatur priorem impositionem quæ fit silentio per episcopum et presbyteros posse pertinere ad materiam ordinationis. Unde etiam Vasquez (*In partem III D. Thomæ*, t. III, part. II, disp. CCXXXIX, c. II, Lugduni, 1631, p. 550) affirmat « nulla probabilitate dici posse, eam (priorem) manuum impositionem ad sacerdotii materiam pertinere ».

tivis verbis, ut in prima opinione; 2. *Impositione manuum in fine missæ, cum verbis : Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata*, etc. — Sicque in porrectione instrumentorum imprimitur character ad celebrandum, et in impositione manuum physice extenditur character ad absolvendum[1]. — Ita S. Antoninus, archiepiscopus Florentinus, Bellarminus, Vasquez, Hallier, Merlin, Billuart, etc., etc.; ita etiam, ut videtur, S. Bonaventura, licet ejus verba non sint clara[2]. — Hi autem auctores demonstrant priorem partem opinionis suæ argumentis primæ opinionis, alteram autem partem, nempe de requisita impositione manuum, plerisque argumentis mox exponendis tertiæ opinionis.

256. — Tertia opinio. — *Ritus essentialis presbyteratus constat sola impositione manuum episcopi, ut materia, et relativa oratione, ut forma.* — Hanc opinionem, quæ vera et theoretice tenenda videtur, docent inter alios, Morinus, Menardus, Ludovicus Habert, Jueninus, Vuitasse, Tournely, Martène, D. Chardon, Gerbert, et inter recentiores, Perrone, Palmieri, Hurter, Gasparri[3]; Bene-

[1] Quidam dicunt alium characterem imprimi; cf. Billuart statim citandum.

[2] S. Antoninus, *Summa theologica*, part. III, tit. XIV, c. XVI, §§ 4, 8. Veronæ, 1740, t. III, col. 740, 744; — Bellarmin, *Controv., De ordine*, c. IX. Lutetiæ Parisiorum, 1620, t. III, col. 1279; — Vasquez, *loc. cit.*, c. III-V, p. 552 sq.; — Hallier, *De sacris electionibus*, etc., part. II, sect. II, c. II, art. 1, n. 21-22 sq., ed. Migne, col. 745; — Merlin, *Sur les paroles ou les formes des sacrements*, c. XIII, ed. Migne, *Cursus theol.*, t. XXI, col. 180 sq.; — Billuart, *Summa S. Thomæ, De sacramento ordinis*, diss. II, art. 1 Trajecti ad Mosam, 1770, t. XIX, p. 137; — S. Bonaventura, *In Sent.* lib. IV, dist. XXIV, part. II, art. 1, q. IV. Venetiis, 1754, t. IV, col. 656-658.

[3] Morinus, part. III, exercit. VII, c. I, II, p. 102 sq.; — Menardus, *In S. Gregorii sacramentorum librum notæ*, nota 757; Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 490 sq.; — L. Habert, *Theologia, De ordine*, part. I, c. VII, q. V, Lugduni, 1741, t. VII, p. 156 sq.; — Jueninus, *De sacramentis*, diss. IX, q. III, c. II, Lugduni, 1690, p. 910 sq.; — Vuitasse, *Tract. theol., De sacramento ordinis*, part. II, q. II, art. 2, Venetiis, 1730, t. VI, p. 410 sq.; —

dictus XIV non obscure significat se in hanc potius inclinare sententiam[1]. His omnibus facem prætulisse videntur Hugo a S. Victore, P. Lombardus, Albertus Magnus[2]; duorum priorum verba infra referentur; Albertus, loco in nota cit., ait : « Diaconis et presbyteris (character) imprimitur, quando episcopus *imponit manum capiti, cum verbis ad hoc statutis.* » — De hac opinione nunc agitur :

1° *Demonstratur* quoad duplicem ejus partem :

A. *Impositio manuum cum verbis relativis omnino necessaria et essentialis est ordinationi presbyteratus* (hæc propositio est contra primam opinionem). — Nam :

1. In Scriptura sacra, sacramentum ordinis, quod complectitur tres gradus, nempe episcopatum, presbyteratum et diaconatum, nunquam perhibetur collatum nisi per *impositionem manuum* cum *oratione relativa*, et ita quidem ut ipsi impositioni et orationi tribuatur effectus ordinationis. Cf. Act. VI, 6; XIII, 3; XIV, 22; I Tim., IV, 14; V, 22; II Tim., I, 6 (qui textus supra, n. **1**, relati sunt). Imo hic *solus* ritus perhibetur adhibitus. Porro valde singulare esset, si hic ritus non esset necessarius, dum alius ritus, nunquam in Scriptura memoratus, induceretur uti necessarius.

Tournely, *De sacramento ordinis*, q. III et q. VI, art. 2, Parisiis, 1729, p. 92 sq., 521 sq.; — Martène, *loc. cit.*, lib. I, c. VIII, art. 9, n. 18, t. II, p. 23; — D. Chardon, *Histoire des sacrements, De l'ordre*, part. II, c. IV, ed. Migne, col. 863; — Gerbert, *Vetus liturgia Alemannica, disquisitiones præviæ*, disquis. V, c. IV, n. 1, typis San-Blasianis, 1776, t. I, p. 493; — Perrone, *Prælect. theol., De ordine*, c. IV, n. 123 sq., ed. Migne, t. II, col. 479 sq.; — Palmieri, *De Romano Pontifice*, Prolegom., § 15, Scholium, Prati, 1891, p. 98 sq.; — Hurter, *Theologia*, t. III, n. 711, Œniponte, 1883, p. 475; — Gasparri, *De ordinatione*, n. 1073 sq., Parisiis, 1894, t. II, p. 255.

[1] *De synodo*, lib. VIII, c. X, n. 1-11.

[2] Hugo a S. Victore, *De sacramentis*, lib. II, part. III, c. XII; Migne, *P. L.*, t. CLXXVI, col. 429; — P. Lombardus, *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, n. 9; Migne, *P. L.*, t. CXCII, col. 904; — Albertus Magnus, *Compendium theologicæ veritatis*, lib. VI, c. XXXVI, *Opera*, Lugduni, 1651, t. XIII, part. II, p. 13.

2. In tota Ecclesia latina, sive ritus gallicani, sive ritus romani, semper adhibita est impositio manuum in ordinatione presbyteratus, et adhuc hodie adhibetur. Imo per longum tempus, nempe, ut supra dictum est (n. **201**, 5°) per novem priora sæcula, sola adhibita est, exclusa nempe porrectione instrumentorum. Ergo saltem per hoc tempus, vel impositio manuum ordinationi essentialis fuit, vel non erat ordinatio.

3. In Ecclesia orientali, tota quanta est, semper item adhibita fuit impositio manuum, et quidem, ad minus per novem priora sæcula, sola adhibita fuit. Imo, adhuc hodie, sola adhibetur, ut supra visum est, apud Græcos, Nestorianos, Cophtos, Æthiopes.

4. *Statuta Ecclesiæ antiqua*, ut etiam supra dictum est, non memorant pro presbyteratu nisi *impositionem manuum* (can. 3); imo (can. 5) distinguunt subdiaconatum ab ordinibus superioribus in eo quod hi per *impositionem manuum*, ille per *porrectionem instrumentorum*, conferantur; signum est ergo apertissimum, præfatos ordines superiores conferri per solam impositionem manuum, et proinde hanc esse illis essentialem. Porro hæc verba *Statutorum*, ut ex dictis in paragrapho primo constat, transcripta sunt in omnibus *pontificalibus* et *sacramentariis* ritus gallicani, imo et postea ritus romani, ita ut facta sint lex universalis pro tota Ecclesia occidentali. — Unde etiam : 1. Concilium Meldense, an. 845, cap. 44, accurate distinguit ordines, qui per impositionem manuum tribuuntur, ab aliis ordinibus : « Ut chorepiscopus modum suum juxta canonicam institutionem teneat,... neque *ecclesiasticos (ordines), qui per impositionem manus tribuuntur, id est, non nisi usque ad subdiaconatum*,... agere præsumant [1]; »

[1] Mansi, t. xiv, col. 829.

— 2. Juxta concilium Trid., cap. *Jam vero*, 3, sess. XIV, De extrema unctione, ministri sacramenti extremæ unctionis sunt « aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis ordinati *per impositionem manuum presbyterii* ».

5. Multi Patres, loquentes de majoribus ordinationibus, non memorant nisi impositionem manuum, ipsique totam vim sacramenti tribuunt. Sic : *a.* S. Hieronymus, in Isaïæ cap. lviii, vers. 10, ait : « Plerique nostrorum χειροτονίαν, id est, ordinationem clericorum, quæ non solum ad imprecationem vocis, sed ad *impositionem* impletur *manus*, sic intelligunt, etc.[1]; » — *b.* S. Epiphanius jus presbyterum ordinandi vocat *jus manuum imponendarum* (textus supra, n. **2**, 1°, relatus est); — *c.* Innocentius I, in epistola xvii, *Ad Rufum*, etc., n. 7, loquens de ordinationibus ab hæreticis factis, ait : « Dicimus, ab hæreticis ordinatos, *vulneratum per illam manus impositionem habere caput;* » et infra : « Damnationem utique, quam habuit (hæreticus), *per pravam manus impositionem* dedit[2]. » — Videas plura alia loca Patrum aut conciliorum apud Vuitasse aut Tournely (locis cit.).

B. *Porrectio instrumentorum cum verbis relativis est ritus quidem nunc adhibendus, sed minime essentialis*, minimeque ad materiam et formam ordinationis presbyteralis pertinens (hæc propositio est contra duas simul priores opiniones). — Nam :

1. Certo non fuit essentialis in Ecclesia latina per novem saltem priora sæcula, quo tempore sola in usu erat impositio manuum.

2. Certo nec est hodie essentialis apud Græcos, Cophtos, Æthiopes, etc.; nam, ex una parte, porrectio instrumentorum non est in usu in his ecclesiis ; ex altera autem

[1] Migne, *P. L.*, t. xxiv, col. 569.
[2] Migne, *P. L.*, t. xx, col. 530-531

parte, Ecclesia validas omnino habet græcas ordinationes; quod patet his, inter alia, argumentis : *a.* Ritus græci in administratione sacramentorum non sunt tantum *tolerati*, ut quidam dixerunt[1], sed positive *indulti*, *permissi*, *concessi*, ut constat Pauli V brevi *Solet circumspecta*, 10 dec. 1615[2], pro Ruthenis unitis qui græcis ritibus utebantur et utuntur, lingua tamen ruthena; — *b.* Clemens VIII, in *Instructione* super sacramentis Græcorum, 31 aug. 1595, n. 36, jussit ut semper Romæ adesset episcopus Græcus qui ordines ritu græco Græcis alumnis conferret[3]; quod confirmavit et ampliavit Urbanus VIII brevi *Universalis Ecclesiæ*, 23 nov. 1624, de constitutionibus collegii Græci Romæ existentis, § 2[4]; quod hucusque servatur; — *c.* Benedictus XIV, bulla *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, pro Italo-Græcis, § 7, n. 6, jubet ut « episcopi Græci in ordinibus conferendis ritum proprium græcum in Euchologio descriptum servent »; et n. 7, permittit ut Græci lectores, subdiaconi, diaconi, presbyteri, possint recipere ordinem superiorem in ritu latino, cum debita dispensatione[5]; — *d.* Idem Benedictus XIV, in const. *Demandatam*, 24 dec. 1743, § 3, sic ait : « De ritibus igitur et moribus ecclesiæ græcæ illud imprimis generatim statuendum decrevimus, *nemini licuisse aut licere, quovis titulo et colore, et quacumque auctoritate, aut dignitate, etiamsi patriarchali aut episcopali, præfulgeat, quidquam innovare aut aliquid introducere*, quod integram exactamque eorumdem observationem imminuat »[6];

[1] Apud Verricelli, *De missionibus apostolicis*, sine loco et anno (1653), quæst. CCCXII, sect. XIII et XIV, p. 871.

[2] Apud Morinum, part. I, c. IV, n. 15, p. 13.

[3] Vide hanc *Instructionem* in *Concil. Coll. Lac.*, t. II, col. 448.

[4] De Martinis, *Jus pontif. de Prop. Fide*, part. I, t. I, p. 37-38.

[5] *Bull. Benedict.*, t. I, n. 57.

[6] *Bull. Benedict.*, t. I, n. 87.

imo ibidem plures dispensationes in ritibus Græcorum, licet instanter petitas, concedere renuit; — *e.* Idem Benedictus XIV maxima sollicitudine novam fieri curavit editionem Euchologii Græci, juxta antiqua mss. supra (n. **215**) memorata, quæ an. 1754 vulgata est, quam editionem commendavit litteris *Ex quo primum*, 1 martii 1756[1]; in his litteris, § 75, jubet episcopos Græcos novo Euchologio uti, nec aliam fieri editionem nisi ad normam novissimæ editionis ; insuper, § 7, graviter vituperat doctores qui ritus græcos, in eo quod ritibus latinis consentaneum non erat, damnabant : « Injusta quippe et fallax, inquit, Ecclesiæque paci atque unitati contraria est eorum judicandi ratio, qui, latinorum tantummodo ritualium notitiam habentes, nec aliud scientes, præter ea quæ tradiderunt nonnulli ex nostris scriptoribus, nostrarum quidem rerum periti, sed græcarum consuetudinum rudes,... non dubitarunt in sacris Græcorum ritibus ea omnia damnare, quæcumque latino ritui conformia et consentanea non reperiebant[2]; » — *f.* Leo XIII bulla *Orientalium*, 30 nov. 1894, § *Quoniam igitur*[3], renovat et confirmat supra relatam Benedicti XIV epistolam *Demandatam*. — Ergo evidentissimum est Sedem apostolicam approbare et recipere græcas ordinationes, quæ proinde, licet porrectione instrumentorum destitutæ, validæ sunt.

3. Nec hodie, etiam in Ecclesia latina, porrectio instrumentorum, licet de præcepto fieri debeat, est essentialis. — Nam hæc porrectio est nova, cum non retroascendat, ut supra visum est (n. **201**, 5°) ultra annum circiter 900;

[1] *Bull. Benedict.*, t. IV, n. 53.

[2] Alludit, inter alia, ad eos doctores qui in dubium revocabant validitatem ordinationum græcarum, quia quidam ritus latini in eis non servabantur. De controversia hac de re mota, cf. Verricelli, *loc. cit.*, q. CCCXII, p. 851-871.

[3] *Leonis XIII Acta*, Romæ, 1895, t. XIV, p. 358.

ergo non pertinet ad materiam sacramenti; Ecclesia enim, hunc ritum recipiens, non potuit facere ut ad substantiam sacramenti pertineat, cum, juxta concilium Trid., cap. *Præterea*, 2, sess. XXI, De communione sub utraque specie, nihil possit Ecclesia circa substantiam sacramentorum.

257. — 2° *Vindicatur tertia opinio ab objectis.*

A. Occurrunt fautores secundæ sententiæ et dicunt : Christus non determinavit *in specie* materiam et formam hujus sacramenti, sed tantum *in genere;* instituit nempe effectus hujus sacramenti, præcepitque Ecclesiæ suæ ut eligeret *signum aliquod aptum ad hos effectus significandos et producendos;* unde primo quidem Ecclesia elegit *impositionem manuum*, sed deinde, saltem pro Latinis, addidit *porrectionem instrumentorum;* qua ratione agendi, potestatem suam non est prætergressa ; nam in hac hypothesi *tale* vel *tale* signum non pertinet ad *substantiam* sacramenti, nempe ad id quod divinitus inest sacramento.

Resp. : 1. Hæc theoria, qua fingitur potestatem a Christo Ecclesiæ datam fuisse determinandi materiam et formam sacramenti ordinis, prorsus gratuita est, nec ab adversariis fuit excogitata nisi ut solverent gravissimam qua premuntur difficultatem. Dicendum potius ritum impositionis manuum cum relativa oratione manifestas præ se ferre notas institutionis divinæ; non enim inventa est a quodam concilio aut romano Pontifice, sed adhibita ab ipsis apostolis, et fere statim post ascensionem Domini; et licet non inveniatur in scripturis expresse instituta a Christo, attamen a fortiori de hoc ritu dicendum est quod concilium Trid., can. 1, sess. XIV, De sacramento extremæ unctionis, docet et definit de ritu extremæ unctionis, illum nempe fuisse ab apostolis promulgatum, sed a Christo institutum; eo magis quod agitur de re perquam

gravissimi momenti, quæ spectat ad perpetuitatem sacerdotii et proinde ipsius Ecclesiæ. Insuper leges aut ritus mere ecclesiastici mutationem pati solent, ut constat etiam pro gravissimis legibus aut institutis maximi momenti; at hic ritus impositionis manuum, pro tribus ordinibus hierarchicis, nunquam mutationem passus est, sed semper accuratissime servatus est in utraque Ecclesia, latina et orientali, a temporibus apostolorum usque hodie (ut supra visum est pro singulis ritibus) ita ut nunquam approbata aut etiam tolerata fuerit ordinatio hujusmodi, quæ non fuerit peracta ritu impositionis manuum. Unde dubitari nequit hunc ritum esse divinæ institutionis.

Resp. : 2. Dato etiam, non concesso, Christum Ecclesiæ tribuisse dictam potestatem, nullo modo constat Ecclesiam hac usam fuisse potestate; non enim profertur concilium aut romanus Pontifex, qui jusserit addi ritum *porrectionis instrumentorum* ut necessarium *necessitate sacramenti* (de decreto Eugenii IV mox dicetur). Sed potius, ut supra (n. **201**, 5°, **210**, 5° visum est, hic ritus paulatim et per partes inductus est, in paucis primo receptus ecclesiis, deinde in tota Gallia et in ipsa Ecclesia romana. Imo, quando induci cœpit, non habitus est ut necessarius necessitate sacramenti, sed tantum (sicut alii ritus, v. g., unctiones, traditio indumentorum, etc.) ad clariorem potestatis jam receptæ manifestationem. Quod testantur præclarissimi scriptores, v. g., Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus; prior ait, loquens de ordinatione presbyterorum : « Accipiunt et calicem cum vino et patenam cum hostiis, de manu episcopi, *quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant, placabiles Deo hostias offerendi* »[1]; alter autem : « Accipiunt etiam calicem cum

[1] *De sacramentis*, lib. II, part. III, c. XII; Migne, *P. L.*, t. CLXXVI, col. 429.

vino et patenam cum hostiis, *ut per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi*[1]. »

B. Urgent adversarii et dicunt non deesse R. Pontificem, imo concilium œcumenicum, quod definiat porrectionem instrumentorum esse materiam sacramenti ordinis. Hoc enim expresse docet Eugenius IV, in bulla *Exultate Deo*, supra (n. **254**, 3°) relata, quam edidit in publica sessione concilii Florentini, sacro approbante concilio.

Resp. : Communissima est hodie opinio[2] (quæ fit *certa* ex concilio Vaticano), Eugenium IV, in hac bulla, quod spectat ad partem de sacramentis, non edidisse definitionem fidei; licet enim, initio bullæ, Eugenius alloquatur omnes christianos, attamen, in hac parte de sacramentis, non agit nisi cum Armenis, et, ut tradat eis clariorem et breviorem formulam doctrinæ de sacramentis, exscribit, paucissimis mutatis, supra (n. **254**) relatum D. Thomæ opusculum, in quo S. Doctor doctrinam suo tempore communem breviter contrahit; nec quidquam Eugenius ut firmiter ab omnibus fidelibus credendum definit, sed tantum, verbis D. Thomæ usus, exponit doctrinam theologicam de sacramentis; unde etiam, in fine bullæ, accurate distinguit inter *capitula*, *declarationes*, *diffinitiones*, *traditiones*, *præcepta*, *statuta*, *doctrinam* in bulla descripta[3].

C. Patroni primæ sententiæ, ut supra (n. **254**, 2°) dictum est, objiciunt cap. *Presbyter*, 3, De sacramentis non iterandis, in quo sic loquitur Gregorius IX : « Presbyter et diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu

[1] *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, n. 9; Migne, *P. L.*, t. CXCII, col. 904.

[2] Ita (post Bellarminum, loco supra, n. **255**, citato) Perrone, Palmieri, Hurter, *loc. cit.*; Denzinger, *Enchiridion symbolorum*, etc., n. 590, ed. Wurceburgi, 1865, p. 201.

[3] Mansi, t. XXXI, col. 1060. — In bulla nimirum referuntur plures definitiones fidei, v. g., de duplici natura in Christo, item de duplici in ipso voluntate, etc.

corporali, ritu ab apostolis introducto, recipiunt; quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos, caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum. » Quod supponit, pergunt hi doctores, impositionem manuum, in his ordinationibus, non esse nisi accessoriam, tum quia dicitur tantum supplenda (si omissa fuerit), tum quia dicitur ab apostolis (non a Christo) inducta.

Resp. : 1. Fatendum est, si hodie contingat omitti priorem manuum impositionem, non tantum supplendum esse hunc ritum, sed totam iterari debere ordinationem, quia, cum opinio sit hodie communis, ritum illum esse essentialem, imo solum essentialem, illo omisso, cetera nihil valere quisque putaret. Unde dicendum est Gregorium IX qui hæc scribebat circa annum 1232, hanc solutionem practicam dedisse juxta disciplinam sui temporis, quo vulgo jam putabatur ritum illum esse mere accessorium. Ceterum, ut ipso capitis tenore patet, Gregorius nihil definit quod ad fidem pertineat, sed tantum disciplinarem condit canonem; — 2. Quod autem dicat Gregorius hunc ritum fuisse introductum ab apostolis, hoc non nocet tertiæ opinioni, cujus fautores, ut dictum est, libenter admittunt ritum illum dici posse inductum ab apostolis *promulgantibus*, ut docet conc. Trid. de sacramento extremæ unctionis.

D. Juxta Merlinum (qui tuetur, ut dictum est, secundam opinionem), disciplina arcani obstabat ne *formæ* sacramentorum scriberentur in pontificalibus aut sacramentariis; ergo, ex eo quod illa forma : *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo*, etc., quæ comitatur porrectionem instrumentorum, non occurrat nisi sæculo circiter decimo, non sequitur eam non antea extitisse cum ipsa porrectione instrumentorum[1].

[1] Merlin, *loc. cit.*

Resp.: 1. Disciplina arcani profecto non obstabat ne ipsi *ritus* formis correspondentes, v. g., impositio manuum, aliique, scriberentur in sacramentariis [1]; porro non tantum forma prædicta, sed ipse ritus correspondens, nempe porrectio instrumentorum, desideratur in pontificalibus per novem aut decem priora sæcula; — 2. *Statuta Ecclesiæ antiqua,* supra, n. **256,** 1°, relata, dum distinguunt ordines qui conferuntur per *impositionem manuum* (nempe tres ordines hierarchicos) ab ordinibus qui conferuntur per *porrectionem instrumentorum*, manifeste supponunt in prioribus non inveniri hanc porrectionem. Idem dicas de relato ibidem concilio Meldensi, an. 845; — 3. Concilium Toletanum IV, an. 633, jubet, can. 28, clerico degradato, reperto postea innocenti, reddi gradus amissos, per instrumenta ordinis, « ut, si episcopus fuerit, recipiat... orarium, annulum et baculum; *si presbyter, orarium et planetam;* si diaconus, orarium et albam; *si subdiaconus, patenam et calicem* [2]...; » ergo signum apertissimum est, tunc temporis, presbyterum non fuisse ordinatum per porrectionem instrumentorum; alioquin hæc instrumenta reddenda fuissent presbytero degradato, innocenti reperto, sicut reddi solebant subdiacono; — 4. Ceterum disciplina arcani, ut hodie docent periti, erat usus catecheticus, ad solos catechumenos spectans; quæ aliunde disciplina cessavit, in Oriente, circa annum 500; in Occidente, circa annum 550 [3].

N. B. — Expositis tribus præfatis opinionibus, omitto singularem G. Durandi opinionem, dicentis : « Ei qui in

[1] Sic ritus *impositionis manuum* memoratur in antiquissimis documentis; ritus *porrectionis instrumentorum* (v. g., calicis, sacculi) memoratur pro ordinibus in quorum collatione adhibebatur, nempe subdiaconatus, acolythatus, etc.; cf. supra, n. **196**.

[2] Bruns, *Concilia,* t. I, p. 231-232.

[3] Cf. Hurter, *Theologia,* t. III, n. 377, not. 1, (Eniponte, 1883, p. 243.

presbyterum ordinatur, traduntur sub certis verbis *stola* et *casula, calix cum patena*, et etiam *inungitur; quæ res et verba sunt de hujusmodi sacramenti substantia:* cetera vero, præcedentia et sequentia, de solemnitate sunt[1]. » Item negligenda est opinio cardinalis Hosii, qui dixit impositionem manuum, porrectionem instrumentorum et *unctionem* esse, per modum unius, materiam presbyteratus[2]. Cum *unctio* sit, ex dictis, ritus recens, non potest pertinere ad substantiam sacramenti.

258. — Quæritur : 1° *Quænam impositio manuum sit ritus essentialis ordinationis presbyteralis in Ecclesia latina.*

Resp. : 1. Tres sunt manuum impositiones : prima quæ fit initio per episcopum et presbyteros, silentio; altera quæ statim sequitur : « Quo facto, tam pontifex, quam sacerdotes, tenent manus dexteras extensas super illos, » et pontifex recitat Invitatorium *Oremus, fratres carissimi;* tertia in fine missæ, cum his verbis, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris*, etc.

2. Hæc tertia impositio cum sua forma, quidquid dicunt fautores secundæ opinionis, non pertinet ad substantiam sacramenti; nam, ut dictum est supra (n. **201**, 6°), non occurrit ante sæculum XI et negligenda sunt quæ dicit Merlinus de disciplina arcani quoad formam, *Accipe Spiritum Sanctum*[3].

3. Duæ autem priores impositiones manuum non sunt nisi una et eadem impositio quæ incipit silentio, dein continuatur et completur dum pontifex, dexteram exten-

[1] *Rationale*, etc., lib. II, c. x, n. 14, Lugduni, 1672, p. 61.

[2] Hosius, *Confessio catholicæ fidei, De sacram. ordinis*, c. LIII, *Opera*, Parisiis, 1562, fol. 57, recto.

[3] Merlin, *loc. cit.*

sam simul cum sacerdotibus tenens super ordinatos, recitat prædictum *Invitatorium*. Hæc est autem illa antiquissima χειροτονία, quam vidimus tum in ritu romano, tum in ritu gallicano, tum in ritu græco et ceteris orientalibus. Dubitari nequit hanc impositionem manuum esse veram genuinamque presbyteratus materiam. Semel autem facta illa prima impositione (quæ fit silentio), non videtur necessaria ad substantiam sacramenti illa altera impositio [1], quæ complet primam; nam tandem aliquando non requiritur nisi una impositio, non duæ.

4. Num, rigorose loquendo, sufficiat ad substantiam sacramenti secunda impositio, quam dicimus esse continuationem primæ, quæri potest. — Putaverim eam sufficere, quia est vera et proprie dicta impositio manuum, licet fiat super plures; sicut enim plures absolvi possunt una absolutione, sic et plures ordinari una manuum impositione; nullibi enim requiritur ut χειροτονία sit *individua* et super *singulos;* item non requiritur ut fiat *tactu corporali*, licet tactus corporalis sit de præcepto, imo antiquissimo, ut patet cit. cap. *Presbyter*, 3, De sacramentis non iterandis.

259. — Quæritur : 2° *Quænam sit forma presbyteratus in Ecclesia latina.*

Resp.: 1. Eo ipso quod porrectio instrumentorum et tertia impositio manuum non sunt materia presbyteratus, formulæ quæ has actiones comitantur, non constituunt formam presbyteratus.

2. Hæc verba, *Oremus, fratres carissimi*, etc., quæ recitat episcopus dum secundam facit manuum impositio-

[1] Licet Perrone dicat hanc alteram impositionem esse veram, essentialem et solam materiam (cum prima non habeat formam); *Prælectiones, De ordine*, n. 124, ed. Migne, t. II, col. 480.

nem, non sunt forma sacramenti; nam sunt merum *Invitatorium* ad fideles, ut jam dictum est.

3. Hæc oratio, *Exaudi nos*, etc., quæ statim subsequitur, pariter non est forma presbyteratus; ut enim patet his verbis : Quos tuæ pietatis aspectibus *offerimus consecrandos*, non est nisi præparatoria.

4. Forma continetur in subsequente *Præfatione*, quæ olim vocabatur *consecratio presbyteri*, in qua revera pontifex deprecatur Deum, ut mittat Spiritum Sanctum, ad hoc ut ordinandus recipiat dignitatem et gratiam presbyteratus : qua nimirum oratione, materia, scilicet impositio manuum jam facta, perfecte determinatur ad significandum ordinem presbyteratus. Revera, ut concludi licet ex omnibus formis, quæ occurrunt in variis ritibus, tum latinis, tum orientalibus, supra descriptis, *forma* continet semper orationem, qua pontifex Deum deprecatur ut mittat Spiritum Sanctum, ad hoc ut ordinandus recipiat dignitatem ordinis determinati, eoque rite et digne fungatur. — Nec, quidquid dicunt plerique scholastici[1], ullo modo requiritur ut forma sit *imperativa;* nulla enim hujusmodi forma reperitur in antiquis ritibus supra descriptis.

260. — Quæritur : 3° *Quænam sit impositio manuum essentialis et forma presbyteratus in ritu græco.*

Resp. : 1. Arcudius (def. an. 1634 circiter), qui origine Græcus erat, sed fere totam vitam Romæ degit, litterisque latinis egregie erat eruditus, docuit, in suo opere *De concordia Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis in septem sacram. administratione*, quoad tres ordines hierarchicos, episcopatum, presbyteratum et diaconatum, formam con-

[1] Morinus, part. III, exercit. II, c. II, n. 1, p. 17. — De forma *deprecativa* vel *indicativa* quoad ordinationem, cf. etiam Verricelli, *De missionibus apostolicis*, q. CCCXII, sect. VI-VIII, p. 861 sq.

stare his verbis : *Divina gratia, quæ semper infirma sanat*, etc. [1], materiam vero esse solam illam impositionem manuum quam peragit episcopus, dum præfata verba recitat [2]. Ratio quæ induxit Arcudium, ut hanc materiam hancque formam assignaret, potiusquam alias impositiones manuum aliasque orationes, quæ non desunt in ritu græco, hæc est : ex una parte sibi proponebat instituere concordiam inter ecclesiam Orientalem et Occidentalem, quoad ritus sacramentorum essentiales ; ex altera parte, animadvertebat apud Latinos ordinationum formas (saltem quæ tunc vulgo dicebantur formæ) esse *indicativas*, imo, juxta communem tunc temporis theologorum opinionem, has formas debere esse *indicativas* [3] ; cum ergo, apud Græcos, nullam aliam formulam reperiebat *indicativam*, præter formulam *Divina gratia*, etc., hanc firmiter docuit esse *formam* trium ordinationum majorum. Quam opinionem confirmavit verbis Simeonis Thessalonicensis, qui revera, commentans prædictam formulam, idem docere videtur [4]. — Hanc autem opinionem fere omnes auctores, qui de forma ordinationum apud Græcos tractaverunt, suam fecerunt, v. g., Goar, Isaac Habert [5], etc. ; unde etiam hanc assignant concilia provincialia græca, v. g., Synodus Ruthenorum unitorum, an. 1891, tit. II, cap. VI, n. 5 [6]. Quin imo, cum in omnibus euchologiis græcis editis aut manuscri-

[1] Vide supra descriptos ritus græcos.

[2] *De concordia*, etc., lib. VI, c. III, VIII, Lutetiæ Parisiorum, 1672, p. 492, 500, 527 sq.

[3] Imo Nugno (*loc. cit.*, q. XXXIV, art. 4, p. 451) dicit : « Conclusio B. Thomæ, ut jacet, quod scilicet forma hujus sacramenti debeat proferri per verbum imperativum, est *certa secundum fidem*, ita ut oppositum sit hæresis manifesta. »

[4] *De sacris ordinationibus*, c. CLXIX ; Migne, *P. G.*, t. CLV, col. 378.

[5] Goar, *Euchologium Græcorum*, p. 297 ; — Habert, *Archieraticon*, p. 120.

[6] *Acta et decreta synodi provincialis Ruthenorum*, etc., Romæ, 1896, p. 30.

ptis (excepto codice Barberiano [1]) deesset, in consecratione *episcopi*, mentio impositionis manuum a pontifice, dictam formulam pronuntiante, peragendæ, hæc mentio inserta est in editione euchologii an. 1754 data, ut supra dictum est, n. **221**; quæ mentio servata est in edit. an. 1873.

2. Verum hæc opinio teneri nequit, propter argumenta quæ sequuntur : *a*. Hæc formula non est nisi publicatio seu *promulgatio liturgica decreti electionis;* unde legebatur in charta separata, ad hoc pro singulis vicibus præparata, mentio fiebat electorum (*Suffragio et consensu*, etc.), et, in fine, *Invitatorium* erat ad preces fundendas pro electo [2]. Nec obstat locutio *Divina gratia promovet*, etc. ; nam frequens erat apud Græcos et adhibebatur in actibus minime sacramentalibus, v. g., in translationibus episcoporum (*Divina gratia transfert* N. episcopum a civitate N. in civitatem N.) [3]; — *b*. Non memoratur formula indicativa *Divina gratia*, etc., in antiquioribus documentis, nimirum *Testamento*, *Constitutionibus apostolicis*, Dionysio ; — *c*. Quoad concomitantem impositionem manuum, non memoratur, pro episcopatu, in euchologiis editis (nisi in euchologiis an. 1754 et 1873), nec in manuscriptis (excepto codice Barberiano); pro presbyteratu et diaconatu, impositio manuum memoratur quidem in euchologiis editis, non vero in manuscriptis (excepto postremo a Morino edito) [4]; — *d*. Apud Syros Nestorianos, pro episcopatu, pontifex pronuntiat formulam *Gratia Domini*, etc., sine

[1] Morin., part. II, p. 52; hanc manuum impositionis mentionem, hoc loco factam in hoc codice, putat Morinus esse interpolatam, part. III, exercit. II, c. III, n. 10, p. 21.

[2] Vide supra descriptos ritus græcos, n. **216** sq.

[3] Cf. Morin., exercit. II, c. III, p. 19 sq.

[4] Morin., part. II, p. 90; pro diaconatu, *ibid.*, p. 88, non manus, sed pallium imponitur super caput ordinandi.

manus impositione; pro presbyteratu, pronuntiat formulam, imponens manus super *oculos* ordinandi; pro diaconatu, non pronuntiat formulam[1]; — *e*. Apud Syros Jacobitas, pro episcopatu (supra, n. **235**) non pontifex consecrans, sed unus ex duobus episcopis assistentibus pronuntiat formulam *Gratia divina;* — *f*. Apud Cophtos et Æthiopes (supra, n. **237**, sq.), in tribus ordinationibus majoribus, non pontifex ordinans, sed *archidiaconus*, pronuntiat formulam *Gratia, quæ dat sanitatem*, etc.; — *g*. Apud Armenos, pro episcopatu, patriarcha non imponit manus dum recitat formulam *Divina et cælestis gratia*, etc. (supra, n. **244**). — Quæ argumenta adeo valida sunt, ut nullum relinquere videantur dubium de falsitate opinionis Arcudii.

3. Unde, apud Græcos, in ordinatione presbyteratus, ritus essentialis constat tum impositione manuum quæ comitatur orationem consecratoriam *Deus, principio et fine carens*, tum hac ipsa oratione, quæ, quoad substantiam, similis est formæ latinæ presbyteratus, et sic hac in re perfecte concordant Ecclesia orientalis et Ecclesia latina; quam feliciorem concordiam invenisset Arcudius, si antiquiora fuisset documenta scrutatus. — Quoad alteram manuum impositionem, cum oratione *Deus in virtute magnus*, quam exhibet textus græcus, procul dubio sufficeret ad ordinationem; sed cum hæc jam facta sit, redundat. — Omitto singularem opinionem cujusdam theologi[2] dicentis, apud Græcos, sicut apud Latinos, materiam esse *porrectionem et contactum instrumentorum*, seu *vasorum sacrorum*, quæ, ut ait, tangit ordinandus, dum frontem sacræ mensæ applicat (supra, n. **217**, I°), in qua mensa reposita sunt prædicta instrumenta.

[1] Vide supra, n. **230** sq., descriptos ritus nestorianos.

[2] Catumsiritus, apud Goar, *op. cit.*, p. 297-298, not. 11.

261. — Quæritur : 4° *Quinam sit ritus essentialis presbyteratus in ritibus orientalibus.*

Resp. : Idem omnino dicendum est quod pro ritu græco, nempe ritum hunc constare tum *impositione manuum* quæ comitatur orationem consecratoriam, tum hac ipsa *oratione consecratoria.* Et cum sæpe sint duæ, imo plures hujusmodi impositiones et orationes, de prima tantum agitur.

262. — Quæritur : 5° *Num, ad validitatem ordinationis, impositio manuum fieri debeat tactu corporali.*

Resp. : 1. Non desunt qui dicant impositionem manuum fieri debere *tactu corporali :* quod demonstrare conantur tum cap. *Presbyter*, 3, De sacramentis non iterandis, supra (n. **254**) relato, tum ratione theologica; cum enim potestas ordinis transeat ab episcopo ordinante ad ordinatum, requiritur ut cum altero quodam modo conjungatur : quod fit per impositionem manuum *tactu corporali* peractam. Ita, cum aliis, Hallier[1]. — Verum multo probabilius dicendum est non requiri *tactum corporalem*, sed sufficere ut episcopus *teneat manum super caput ;* hæc est enim vere *impositio manus*, id est, *positio manus super caput,* nec ullo textu ex scripturis aut Patribus aut conciliis demonstratur, ad *validitatem* requiri tactum corporalem; supradictum cap. *Presbyter*, quod requirit tactum corporalem, intelligi potest de *præcepto*, nec loquitur nisi de institutione *apostolica*, non Christi. — Insuper hæc impositio manuum mystice significat (juxta Pseudo-Dionysium[2], quem omnes sequuntur) tum influxum donorum supernaturalium, tum protectionem, qua Deus et pontifex ordinandos tegunt et fovent, eosque tuentur contra hosti-

[1] Part. II, sect. II, c. II, art. 1, n. 53, ed. Migne, col. 769.
[2] *De hier. eccl.*, c. V, art. 3, § 3; Migne, *P. G.*, t. III, col. 511.

les incursus; porro, ut patet, tenet illa significatio mystica, sive adsit tactus corporalis, sive non.

2. Quidquid est, juxta omnes, etiam fautores rigidioris opinionis, valida est impositio manuum, sive episcopus imponat manus cum chirothecis, sive tangat caput pileolo aut coma adscititia coopertum; in quo etiam sensu respondit Congregatio S. Officii, die 22 jan. 1890[1].

3. Quod dictum est de impositione manuum pro presbyteratu, intelligendum est etiam de diaconatu et episcopatu.

263. — Quæritur : 6° *Utrum instrumenta, quæ porriguntur ordinando, nempe calix et patena, debeant esse consecrata, an sufficiant calix et patena etiam non consecrati.*

Resp. : Non requiritur ut sint consecrati[2]; nam : 1. Nullum prorsus præceptum hac de re datur, nisi forsan *ex consuetudine;* — 2. Calix et patena adhibentur in ordinatione (sive de præcepto, sive de sacramenti necessitate, juxta varias opiniones), hac tantum ratione, quia nempe significant potestatem celebrandi; porro consecratio calicis et patenæ nullo modo requiritur ad valorem celebrationis, ita ut calix et patena, etiam non consecrati, perfecte significent potestatem celebrandi[3]. — Quæ solutio applicatur etiam ordinationi subdiaconatus.

264. — Quæritur : 7° *Utrum requiratur, de necessitate sacramenti, ut ordinandus tangat instrumenta physice, an sufficiat moraliter.*

[1] *Collectanea Congr. de Prop. Fide,* n. 1205, Romæ, 1893, p. 407.

[2] Quidquid dicunt aliqui, v. g., Scavini, *Theologia moralis,* tract. XI, *De ordine,* n. 286, n. 1, Parisiis, 1863, t. IV, p. 349.

[3] Ita etiam Hallier, *loc. cit.,* c. II, art. I, n. 47, ed. Migne, col. 764-765.

Resp. : 1. Huic quæsito locus non est, ut patet, nisi in opinione eorum qui tenent traditionem instrumentorum esse materiam, vel integram, vel partialem, presbyteratus. Porro duplex est opinio; alii dicunt non requiri tactum *physicum*, sed sufficere ut ordinandus, dum ei tradit episcopus calicem et patenam, ea tangat *moraliter*, id est, aliquo signo, v. g., nutu capitis, significet se illa acceptare. Ita Engel, in tit. De temporibus ordinationum, n. 10[1], dicens, ut verum sit illud formæ vocabulum *Accipe*, sufficere ut ordinandus accipiat aut acceptet *moraliter*, modo supra dicto, quia, inquit, « illud verbum *Accipe* potest et debet intelligi in sensu juris *de acceptione potestatis ministrandi;* ita, in simili, traditio dominii... » Ita etiam Layman, Pirhing, Vasquez[2], etc. — Alii dicunt non sufficere tactum *moralem*, sed requiri tactum *physicum*. Ita S. Thomas, S. Antoninus, Hallier, Barbosa, Schmalzgrueber, Billuart[3], etc., ita ut hæc opinio videatur multo communior. Et videtur etiam multo probabilior; nam tandem aliquando, cum juxta istos auctores (cf. supra, n. **257**), ista porrectio et traditio instrumentorum non sit materia ordinis nisi ex *institutione Ecclesiæ*, intelligenda est eo modo quo illam intelligit Ecclesia; porro Ecclesia hanc intelligit in eo sensu quod episcopus tradat, ordinandus *tangat* instrumenta; sic legimus in *Pontificali romano*, tit. De ordinatione presbyteri, post unctionem

[1] *Collegium universi Juris, loc. cit.*, Beneventi, 1760, p. 41-42.

[2] Layman, *Theol. moralis*, lib. V, tract. IX, c. V, n. 4, Moguntiæ, 1709, t. II, p. 335; — Pirhing (qui tamen ait tantum esse probabile), in tit. *De sacramentis non iterandis*, n. 5, edit. 1722, t. I, p. 397; — Vasquez, *loc. cit.*, disp. CCXLVI, n. 16 sq., p. 621 sq.

[3] S. Thomas, *Suppl.*, q. XXXIV, art. 5, ad 3; — S. Antoninus, *Summa theol.*, part. III, tit. XIV, c. XVI, initio (t. III, col. 737); — Hallier, *loc. cit.*, part. II, sect. II, c. II, art. 1, n. 53, ed. Migne, col. 768; — Barbosa, *De officio et potestate episcopi*, alleg. 11, n. 13, Lugduni, 1641, t. I, p. 242; — Schmalzg., in tit. *De temp. ord.*, n. 7; — Billuart, *loc. cit.*, diss. II, art. 1, in fine, t. XIX, p. 148.

manuum : « Tum tradit (episcopus) cuilibet successive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et *cuppam calicis et patenam simul tangunt;* » in tit. autem De ordinibus conferendis : « Moneat (episcopus) ordinandos, quod instrumenta, in quorum traditione character imprimitur, *tangant.* » Eadem legeris in *Pontificali* pro diaconatu, subdiaconatu, et singulis ordinibus minoribus [1].

2. Unde etiam, et propter eamdem rationem, requiritur contactus physicus *immediatus*, vel saltem eo modo mediatus, qui, in communi æstimatione hominum, *æquivaleat immediato*, et *dicatur vere tactus;* sic sufficit, si quis tangat instrumenta cum chirothecis, vel tangat calicem velo obductum; sic etiam sufficit ut quis tangat calicem et patenam, licet non hostiam, quia qui tangit continens, tangit contentum, unde nemo requirit ut ordinandus tangat vinum; item etiam sufficit si quis tangat calicem, licet non patenam superpositam, quia tunc calix et sua patena se habent per modum unius, vel quia calix, relative ad suam patenam superpositam, est quasi *continens*. Quid autem si quis tangat patenam, non calicem : hæc species discussa est in S. Congr. Concilii, in *Santandrien.*, 28 maii 1796 [2]; resolutio S. Congr. non fuit publicata, sed episcopo scriptum fuit *juxta mentem;* mens autem erat ut ordinatio ex integro sub condicione iteraretur, servato de hac iteratione secreto [3]. — Verum, recentissime, aliter censuit S. Officium; cum enim ordinandus tetigisset pate-

[1] Nec obstat S. Rit. Congr. in una *Galliarum*, 3 dec. 1661, *Decr. auth.*, n. 1221, t. I, p. 252; quia hic non agebatur de *certa* omissione tactus physici, sed de scrupulis.

[2] *Thesaurus*, t. LXV, p. 103-111.

[3] Pallottini, *Collectio Resolutionum S. C. C.*, v° *Sacramentum ordinis*, § 1, n. 3, in fine, t. XVI, p. 67.

nam, non calicem, respondit, die 17 martii 1897 : « Orator *acquiescat* [1]; » quia nimirum, ut videtur, calix et patena porriguntur *per modum unius*.

3. Quod dicimus de tangendis instrumentis in ordinatione presbyteratus, dicendum est etiam de aliis ordinationibus.

§ 2. De ritibus essentialibus diaconatus.

N. B. — Cum de ritibus essentialibus diaconatus sint, sicut pro presbyteratu, tres opiniones, hæ exponendæ sunt :

265. — Prima opinio. — *Ritus essentialis diaconatus constat sola porrectione instrumenti, ut materia, et verbis ei respondentibus, ut forma.* Instrumentum est liber evangeliorum; verba sunt hæc : *Accipe potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis*, etc. (ut in *Pontificali*). — Ita, ut videtur, D. Thomas, qui, in *Sent.*, lib. IV, dist. XXIV, art. 3, ad 5, ait : « Exprimitur potestas ejus (diaconi) ad actum secundarium in hoc quod datur sibi liber evangeliorum, et in hac potestate intelligitur alia ; et ideo in ipsa libri datione imprimitur character [2]. » Ita etiam Dominicus Soto, Estius, Nugno [3], sed præsertim Vasquez, qui eo usque progreditur, ut dicat : « Quam quidem (opinionem) ita veram existimo, ut oppositæ, non solum notam temeritatis, sed

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXIX, p. 705.

[2] Ed. Venet., 1750, t. XIII, p. 39; quæ leguntur etiam in Suppl. part. III, q. XXXVII, art. 5, ad 5. — Dixi tamen *ut videtur;* quia alibi, nempe dist. XXV, q. 1, art. 1, ad 1; Suppl., q. XXXVIII, art. 1, ad 1, dicit per impositionem manus produci *gratiam*. Vide dicta supra, p. 484, not. 1.

[3] Soto, *In IV Sent.*, dist. XXIV, q. 1, art. 3, § *Per quam tamen*, p. 581; — Estius, *loc. cit.*, § 16, p. 307; — Nugno, *In III part. D. Th.*, Suppl., q. XXXVII, art. 5, Coloniæ Agrippinæ, part. 2, p. 473.

erroris etiam inurendam esse censeam[1]. » — Afferunt autem duo præcipua argumenta, nempe cap. *Presbyter*, 3, De sacramentis non iterandis (quod agit de presbyteratu ac diaconatu), et bullam Eugenii IV *Exultate Deo*, ad Armenos. Vide supra, n. **254.**

266. — **Secunda opinio.** — *Ritus essentialis diaconatus constat duabus materiis, duabusque formis partialibus, nempe : 1. Porrectione instrumenti, seu libri evangeliorum, cum relativis verbis, ut in prima opinione; 2. Impositione manus episcopi, cum relativis verbis, Accipe Spiritum Sanctum ad robur,* etc. — Ita Bellarminus, Hallier, Billuart[2], aliique. — Afferunt autem argumenta : pro traditione libri evangeliorum, bullam *Ad Armenos;* pro impositione manuum, argumenta tertiæ opinionis.

267. — **Tertia opinio.** — *Ritus essentialis diaconatus constat sola impositione manus episcopi, ut materia, et relativa oratione ut forma.* — Hanc opinionem, quæ vera et tenenda est, docent inter alios Morinus, Menardus, Ludovicus Habert, Jueninus, Vuitasse, Tournely, Martène, D. Chardon, Perrone, Palmieri, Hurter, Gasparri[3]. His facem prætulerunt Albertus Magnus et Durandus a S. Porciano[4]. — De hac opinione agitur :

[1] Vasquez, *loc. cit.*, disp. CCXXXVIII, c. IV, p. 542.

[2] Bellarminus, *loc. cit., De ordine*, c. IX, col. 1279; — Hallier, *loc. cit.*, c. II, art. 1, n. 21-22, ed. Migne, col. 745; — Billuart, *loc. cit.*, diss. II, art. 2, p. 149.

[3] Morinus, part. III, exercit. IX, c. I, p. 132; — Menardus, *loc. cit.* supra, n. **256;** — L. Habert, *loc. ibid. cit.;* — Jueninus, *loc. cit.*, q. IV, c. II, p. 926; — Vuitasse, *loc. cit.*, q. III, art. 2, p. 422; — Tournely, cit. q. III et q. VI, art. 3; — Martène, *loc. cit.*, art. 9, n. 1-5, p. 20 sq.; — D. Chardon, *loc. cit.*, c. V, ed. Migne, col. 872; — Perrone, Palmieri, Hurter, *loc. cit.;* — Gasparri, *loc. cit.*, n. 1046-1049, p. 235.

[4] Albertus Magnus, textu supra, n. **256,** qui respicit simul presbyteros et diaconos; — Durandus, loco supra, n. **254** citato.

4° *Demonstratur* hæc opinio quoad utramque ejus partem :

A. *Impositio manuum cum verbis relativis omnino necessaria et essentialis est ordinationi diaconatus.* — Nam :

1. Argumentum deducitur ex Scriptura sacra, sicut supra (n. **256,** 1°) pro presbyteratu.

2. In tota Ecclesia latina, sive ritus romani, sive ritus gallicani, semper adhibita est impositio manuum in ordinatione diaconatus. Petrus Comestor, auctoritate Bedæ nixus, dicit in quibusdam ecclesiis impositionem manuum non adhiberi in ordinatione diaconatûs[1]. Sed hoc factum omnino singulare est, nec diu duravit, ut constat omnibus documentis supra relatis, ubi de ritibus diaconatus in Ecclesia latina. — Imo, per septem aut octo priora sæcula, sola adhibita est impositio manuum, nondum inducta traditione libri evangeliorum.

3. In Ecclesia Orientali, semper item adhibita fuit impositio manuum : imo, si excipias Armenos supra, n. **246**, *sola* adhuc adhibetur quatenus ritus essentialis ; nam porrectio quorumdam instrumentorum in quibusdam ritibus orientalibus (*flabelli* apud Græcos, supra, n. **218;** *libri epistolarum* apud Maronitas, supra, n. **225**) non potest habere rationem materiæ, cum fiat sine oratione aut forma.

4. Ex *Statutis Ecclesiæ antiquis* idem prorsus argumentum deducitur pro diaconatu quod supra (n. **256,** 1°) pro presbyteratu. — Idem dicas de concilio Meldensi, an. 845, *ibid.* relati.

5. Textus plurium Patrum supra (n. **256,** 1°) relati v. g., S. Hieronymi, Innocentii, rem demonstrant pro diaconatu æque ac pro presbyteratu.

[1] Petrus Comestor, *Historia scholastica,* in *Actus apost.,* c. xxx, Migne, *P. L.,* t. cxcviii, col. 1663. — Comestor non refert locum Ven. Bedæ, unde ista mutuatus est, nec multum attenditur ejus auctoritas.

B. *Porrectio instrumenti, nempe libri Evangeliorum, est ritus quidem nunc adhibendus, sed minime essentialis.* — Demonstratur iisdem argumentis quibus supra (n. **256**, 1°) pro presbyteratu.

2° *Vindicatur tertia opinio ab objectis.* — Tres priores difficultates quæ supra n. **257** factæ sunt relative ad presbyteratum, fieri etiam hic possunt relative ad diaconatum : quæ difficultates desumuntur : 1. Ex prætensa institutione *generica* tantum materiæ a Christo; — 2. Ex decreto Eugenii *ad Armenos*, quod pro materia diaconatus assignat *libri evangeliorum dationem;* — 3. Ex cap. *Presbyter*, 3, De Sacramentis non iterandis, quod æque de diaconis et de presbyteris agit. — Sed responsiones quæ datæ sunt pro presbyteratu, eædem omnino sunt pro diaconatu, ita ut hic nihil amplius sit addendum.

N. B. — Omitto opinionem tum Durandi qui assignat pro materia diaconatus traditionem stolæ, et traditionem libri evangeliorum[1]; tum Michaelis Medinæ qui his duabus rebus tertiam addit, traditionem dalmaticæ[2].

268. — Quæritur : 1° *Quænam sit forma diaconatus in Ecclesia latina.*

Resp. : 1. Inter doctores qui de materia diaconatus tertiam opinionem mox expositam tenent, controvertitur de *forma* hujus ordinationis ; alii nempe formam diaconatus assignant hæc verba quæ episcopus recitat manum impositam tenens super ordinandos, nempe *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo et tentationibus ejus in nomine Domini.* Ita S. Alphonsus[3], cum pluribus aliis. — Alii dicunt formam diaconatus esse longam illam

[1] *Rationale*, etc., lib. II, c. IX, n. 19, p. 59.
[2] Apud Morinum, exercit. IX, c. I, n. 2, part. III, p. 132.
[3] Lib. VI, n. 748.

orationem, quæ vocabatur olim *consecratio* diaconi, quam nunc vocamus *Præfationem*, in qua sunt hæc verba : *Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii*, etc., quæ, juxta hos auctores, propriissime formam constituunt. Ita Morinus, Vuitasse, Juenin [1], etc.

2. Huic posteriori sententiæ tanquam probabilissimæ calculum adjiciendum censeo. Nam : — *a*. Verba *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., recentius addita sunt orationi consecratoriæ diaconi, ut constat ex dictis n. **202**, 5°, **211** ; imo sat male assuta sunt orationi ; postquam enim episcopus jam dedit Spiritum Sanctum per hæc verba *Accipe Spiritum Sanctum*, pergit rogare Deum ut illum mittat, quod manifeste prodit infelicem interpolationem ; — *b*. Hæc verba *Accipe Spiritum Sanctum, ad robur*, etc., non sufficiunt ad constituendam formam diaconatus : sunt enim nimis generalia, et convenire possunt etiam aliis ordinibus, imo et aliis sacramentis, v. g., confirmationi [2].

269. — **Quæritur :** 2° *Quænam sit forma diaconatus in Ecclesia orientali.*

Resp. : 1. Rejicienda est opinio Arcudii quæ formam diaconatus assignat formulam *Divina gratia*, propter argumenta supra allata, n. **260** ; — 2. Amota illa forma, non remanet nisi oratio consecratoria, quæ comitatur impositionem manuum.

[1] Morinus, exercit. IX, c. II, n. 2, p. 137, licet hic statim addat, juxta singularem sibi propriam opinionem, potuisse Ecclesiam addere verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., sub pœna nullitatis ; — Vuitasse, *loc. cit.*, q. III, art. 3, p. 425 ; — Juenin, *loc. cit.*, q. IV, c. III, p. 927.

[2] Hoc etiam animadvertit Vasquez, *loc. cit.*, disp. CCXXXVIII, c. IV, n. 39, p. 542.

§ 3. De ritibus essentialibus episcopatus.

270. — Prævia. — Non sunt inter doctores tantæ lites de ritibus essentialibus episcopatus quam de ritibus essentialibus presbyteratus et diaconatus, tum quia multi scholastici putabant, ut cap. I dictum est, episcopatum non esse ordinem aut sacramentum distinctum a presbyteratu, tum quia, in ritu ordinationis episcopalis, præter impositionem manuum, fere nullus est ritus qui possit cum aliqua verisimilitudine assignari ut materia episcopatus. Unde sufficiat hic indicare opiniones doctorum. Præter opinionem veram (quæ infra exponetur), quæ statuit *solam manuum impositionem* esse materiam episcopatus, quidam auctores impositioni manuum addunt impositionem libri evangeliorum super cervicem electi; ita Hostiensis (licet dubitans), in tit. De sacra unctione, n. 3[1]; ita etiam, ut videtur, Turrianus, qui tamen tantum explicite tenet hunc ritum fuisse et esse semper et ubique servatum, etiam tempore apostolorum[2]; inducitur etiam pro hac opinione S. Antoninus, qui tamen tantum refert opinionem Hostiensis[3]. — Juxta Durandum, materia sunt episcopatus : « capitis et manuum unctio et pollicum confirmatio, baculi et annuli atque evangelii traditio; » formam constituunt verba relativa[4]. — Juxta Hallier[5], probabile est (præsertim ob decretum Eugenii IV ad Armenos) *traditionem libri evangeliorum clausi*, cum his verbis : *Accipe evangelium, et vade*, etc., esse materiam

[1] Venetiis, 1570, fol. 56, verso.

[2] *Pro canonibus apostolorum*, etc., lib. II, c. xxi, Lutetiæ, 1573, fol. 188-190.

[3] *Summa theologica*, part. III, tit. xiv, c. xvi, § 9, col. 748.

[4] *Rationale*, etc., lib. II, c. xi, n. 11, p. 62.

[5] *Loc. cit.*, part. II, sect. II, c. II, art. I, n. 29, ed. Migne, col. 751.

et formam partialem episcopatus. — Ysambertus tres materias partiales assignat, nempe impositionem manuum, unctionem, et traditionem baculi, annuli et libri evangeliorum; verba relativa constituunt tres pariter formas partiales[1]. — Hæ autem opiniones confutabuntur expositione veræ sententiæ.

271. — Vera opinio. — *Ritus essentialis episcopatus constat sola impositione manuum, ut materia, et relativa oratione ut forma.* — Ita fere omnes doctores; quod sic demonstratur :

A. *Impositio manuum cum verbis relativis omnino necessaria et essentialis est ordinationi episcopatus.* — Huc redeunt quinque argumenta supra (n. **256,** 1°) allata quoad presbyteratum, quæ applicari possunt, imo cum vi majori, ordinationi episcopali.

B. *Alii ritus adhibendi quidem sunt, sed minime sunt essentiales :*

1. Quoad *unctionem,* non fuit adhibita in Ecclesia romana per octo aut novem priora sæcula, ut supra visum est (n. **200,** 3°, **209,** 8°); nec etiam adhibetur hodie in ecclesia Græca, nec apud Syros Nestorianos aut Jacobitas, nec apud Cophtos et Æthiopes.

2. Quoad *impositionem libri evangeliorum* super caput aut cervicem electi, non fuit adhibita per priora sæcula in Ecclesia romana (nisi pro consecratione ipsius romani Pontificis), nec in Hispania; nec etiam in pluribus partibus Galliæ et Germaniæ; quod supra demonstratum est. — Nec etiam, ut dictum est, adhibetur hodie apud Cophtos. — Ceterum notanda est maxima varietas in hoc ritu adhibendo : hic enim, liber evangeliorum imponitur

[1] Ysambertus, *In part. III D. Thomæ, De sacramento ordinis,* dist. III, art. 4, Lutetiæ Parisiorum, 1643, t. III, p. 427.

super *caput* electi, illic super *cervicem* ejus, alibi super *manus*, alibi super *dorsum:* insuper modo liber imponitur ab ipso pontifice consecrante, modo ab alterutro vel utroque episcopo assistente.

3. Quoad *traditionem ipsius libri evangeliorum*, recentissima est in Ecclesia romana, et vix adhibetur in Ecclesiis orientalibus, præter Maronitas et Armenos.

272. — Quæritur : 1° *Quot episcopi necessarii sint pro valida episcopali consecratione :*

Resp. : Tres de hoc quæsito circumferuntur doctorum opiniones :

Prima opinio. — *Tres ad minus episcopi requiruntur ad validam episcopi consecrationem.* — Ita Hostiensis, Isaacus Habert, Morinus[1], multique alii, ita ut tempore Hallier (qui primo edidit suum opus *De sacris electionibus et ordinationibus,* an. 1636) hæc opinio fuerit communior, teste ipso Hallier[2]. — Præcipuum argumentum[3] hujus opinionis reponitur in usu perpetuo et universali Ecclesiæ : qui usus constat tum ex expositis supra ritibus consecrationis episcopalis, tum ex canonibus conciliorum, et decretalibus pontificum qui præscribunt ordinationes episcoporum a tribus saltem episcopis peragi, aliterque factam irritant; sufficiat allegare concilium Arelatense I (an. 314), can. 20; — Concilium Nicænum (an. 325), can. 4; —

[1] Hostiensis, in tit. *De sacra unctione*, n. 5, Venetiis, 1570, fol. 56, verso; — Habert, *Archieraticon, Observatio secunda de consecratione episcopi*, p. 80-84; — Morinus, exercit. IV, c. II, n. 2 sq., p. 44 sq., qui tamen addit (n. 14) in casu extremæ necessitatis posse episcopum ab uno episcopo consecrari.

[2] Part. II, sect. V, c. II, art. 2, n. 12, ed. Migne, col. 947.

[3] Nam rejicienda sunt argumenta a veteribus allata ex falsis decretalibus, Anacleti epistola II, n. 18, Hinschius, p. 75; Aniceti epistola, n. 1, Hinschius, p. 120; Damasi epistola *De chorepiscopis,* Hinschius, p. 512, etc.

Conc. Antiochenum (an. 341), can. 19; — Conc. Romanum (an. circiter 384), can. 15; — Conc. Carthag. III (an. 397), can. 39; — Codex can. Ecclesiæ Africanæ (an. 419), can. 13; — Conc. Regense (an. 439), can. 1, 2, 3, 4; — Conc. Arausicanum I (an. 441), can. 21; — *Statuta Eccl. antiq.* (circa an. 510), can. 2, quæ recepta fuerunt per totam Ecclesiam occidentalem; — *Capitula Martini Bracarensis* (an. 572), cap. 2; — Concilium Toletanum IV (an. 633), can. 19[1]; — his adde Innocentium I, epist. II, *Ad Victricium Rothomagensem*, n. 3[2]. — Hi autem canones aut decreta recepta sunt in omnibus collectionibus juris canonici, demum in Decreto Gratiani (dist. LXIV, LXV), et ita legem universalem Ecclesiæ constituerunt : quæ, cum retroascendat ad tempora apostolorum, apostolicam profecto, imo divinam institutionem prodit.

Secunda opinio. — *Tres episcopi requiruntur ad validam episcopi consecrationem, ita tamen ut ex dispensatione romani Pontificis unus sufficiat.* — Ita præcipue S. Antoninus, Bellarminus, Vasquez, Tournely[3]. — Hi doctores priorem suæ propositionis partem demonstrant argumentis primæ opinionis, posteriorem autem exemplis dispensationum hac in re a romanis Pontificibus concessarum, ut in tertia opinione statim exhibetur.

Tertia opinio. — *Unus episcopus sufficit ad validam episcopi consecrationem.* — Ita præcipue Hallier, Ludovi-

[1] Brunus, *Concilia*, t. II, p. 109; t. I, p. 15, 85; t. II, p. 281; t. I, p. 129, 162; t. II, p. 117, 125; t. I, p. 141; t. II, p. 43; t. I, p. 229.

[2] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 471.

[3] S. Antoninus, *Summa theologica*, part. III, tit. XIV, c. XVI, § 9, ed. cit., col. 747; — Bellarminus, *De conciliis et Ecclesia*, lib. IV, *De notis Ecclesiæ*, c. VIII, *Controv.*, t. II, Lutetiæ Parisiorum, 1620, col. 179; — Vasquez, *loc. cit.*, disp. CCXLIII, c. V, n. 63 sq., p. 600 sq.; — Tournely, *De sacram. ordinis*, q. VI, art. 1, *De ministro ordinationis episcopalis*, p. 452 sq.

cus Habert, Juenin, Bingham, Vuitasse, Thomassin, Benedictus XIV, Billuart, Catalanus[1]. — Hi ergo auctores fatentur *de præcepto* requiri ad consecrationem episcopalem tres episcopos, ut constat argumentis primæ opinionis, sed contendunt *ad valorem consecrationis* sufficere unum : quod certum videtur et præfati auctores demonstrant :

A. *Usu antiquo Ecclesiæ romanæ.* — Ut enim supra dictum est (n. **193**), romanus episcopus, quando consecrabat episcopos, *solus* ordinationem peragebat; quod duravit per multa sæcula. — Nec dicas, juxta secundam opinionem, romanum episcopum potuisse concedere dispensationem a jure divino, et reipsa sibi hanc dispensationem concessisse. Nam : 1. Prorsus inverisimilis est illa dispensatio quæ durat per multa sæcula, præsertim ex parte ejus qui est interpres, custos et vindex juris divini, et in his temporibus, ubi rarissimæ erant dispensationes; — 2. Si numerus ternarius sit de jure divino, et ita pertineat ad *substantiam* sacramenti ordinis, nec Ecclesia, nec R. Pontifex potest in hoc dispensare, cum nihil possit circa *substantiam* sacramentorum, ex conc. Trid., cap. *Præterea*, 2, sess. XXI, De communione sub utraque specie.

B. *Documentis priorum sæculorum.* — 1. *Canon apostolorum* I ait : « Episcopus a *duobus* aut tribus episcopis ordinator; — 2. In *Constitut. apost.*, lib. VIII, c. XXVII,

[1] Hallier, *loc. cit.*, part. II, sect. V, c. II, art. 2, n. 3 sq., ed. Migne, col. 939 sq.; — L. Habert, *Theologia, De ordine*, part. I, c. VIII, q. III, p. 175 sq.; — Juenin, *De sacramentis*, diss. IX, q. I, c. III, ed. cit., p. 878-879; — Bingham, *Origines ecclesiasticæ*, lib. II, c. X, §§ 4-5, Halæ, 1751, t. I, p. 162 sq.; — Vuitasse, *loc. cit.*, part. II, q. I, art. 4, p. 368; — Thomassin, *Discipline de l'Église*, part. II, liv. II, c. XII, ed. Bar-le-Duc, t. IV, p. 242; — Benedictus XIV, *De synodo*, lib. XIII, c. XIII, n. 2-10, Mechliniæ, 1842, t. IV, p. 5 sq.; — Billuart, *loc. cit.*, diss. IV, art. 3, Trajecti ad Mosam, 1770, t. XIX, p. 236; — Catalanus, *Pontificale Romanum*, in tit. *De consecratione electi in episcopum*, § 18, n. 8-10, Parisiis, 1850, t. I, p. 331.

legitur : « Episcopus a tribus vel *duobus* episcopis ordinetur... Quod si necessitas incidens coegerit ab uno ordinari, eo quod, propter persecutionem aut aliam similem causam, plures interesse non possint, afferat auctoritatem mandati plurium episcoporum[1]; » — 3. Pseudo-Dionysius, *De ecclesiastica hierarchia*, cap. v, art. 2[2], non memorat nisi unum pontificem consecrantem manusque imponentem.

C. *Exemplis:* sufficiat sequentia allegare : 1. Synesius narrat Siderium quemdam fuisse ordinatum episcopum a solo Philone, Cyrenensi antistite; hanc quidem ordinationem fuisse habitam illegitimam, quia facta fuerat contra omnia jura; attamen fuisse toleratam, etiam a S. Athanasio, propter temporis difficultates : « Sed formidolosis temporibus summum jus prætermitti necesse est; ideo magnum illum Athanasium id tempori dedisse; » imo postea Siderium illum Athanasius alicui metropolitanæ ecclesiæ præfecit[3]; — 2. Theodoretus narrat Evagrium a solo Paulino ordinatum fuisse episcopum Antiochenum, et tamen Occidentales (præcipue Romanos) et Ægyptios Evagrii communionem amplexos fuisse (contra Flavianum quem solum Antiochenum episcopum plerique Orientales habebant)[4]; postea quando Innocentius I pacem composuit cum Alexandro qui solus episcopus Antiochenus remanserat, hanc condicionem præscripsit, nempe ut Alexander Evagrianos, illos nempe qui ab Evagrio ordinati fuerant, cum suis honoribus et ordinibus reciperet[5]; — 3. Pelagius I, romanus episcopus, a duobus tantum episco

[1] Migne, *P. G.*, t. I, col. 1122.
[2] Migne, *P. G.*, t. III, col. 510.
[3] Synesius, epist. LXVII; Migne, *P. G.*, t. LXVI, col. 1418.
[4] Theodoretus, *H. E.*, lib. V, c. XXIII; Migne, *P. G.*, t. LXXXII, col. 1247 sq.
[5] Innocentii epist. XXIII, *ad Bonifacium;* Migne, t. XX, col. 546.

pis, et uno presbytero, consecratus est, et tamen nemo in dubium revocavit ejus ordinationem [1].

D. *Dispensationibus romanorum Pontificum.* — 1. S. Gregorius Magnus, *Epist.*, lib. XI, epist. LXIV, *Resp.* 8, permisit Augustino, Anglorum episcopo, ut *solus*, initio saltem, ordinaret episcopos : « Et quidem, in Anglorum Ecclesia, *in qua adhuc solus tu episcopus inveniris*, ordinare episcopum *non aliter nisi sine episcopis potes* [2]; » — 2. Pius IV, brevi 11 aug. 1562, concessit ut in Indiis orientalibus *unus tantum episcopus*, « assistentibus duobus vel tribus in dignitate ecclesiastica constitutis seu cathedralis canonicis.... » posset ordinare electos episcopos [3]; — 3. Alexander VII, brevi *Onerosa*, 4 feb. 1664, concessit ut aliqua episcopalis ordinatio, apud Sinas, fieret ab uno tantum episcopo, cum assistentia duorum presbyterorum, et etiam, si opus esset, sine illorum assistentia [4]; — 4. Clemens XI dispensationem concessit ut aliquis ordinaretur episcopus ab uno episcopo, assistentibus duobus presbyteris in dignitate ecclesiastica constitutis; cum autem facta fuisset ordinatio ab uno quidem episcopo, sed cum uno tantum presbytero assistente, mota est difficultas; nihilominus respondit Clemens, litteris 26 nov. 1718, ordinationem validam fuisse, etsi illicitam : quod totum narrat Benedictus XIV [5].

[1] *Liber pontificalis*, in Pelagium I, ed. Duchesne, t. I, p. 303. — De his exemplis quasdam difficultates expositas et solutas vide apud Hallier, *loc. cit.*

[2] Migne, *P. L.*, t. LXXVII, col. 1191. Quidam (v. g., Isaacus Habert, *loc. supra cit.*) dicunt legendum esse : « Non aliter nisi *cum* episcopis potes; » verum prior lectio, tum ratione manuscriptorum, tum ratione contextus, multo melior est; cf. notam *a* apud Migne, *ibid.* — Attamen jam dictum est (supra, n. **193**, 3°) non nihil dubitari de authenticitate aut integritate illius epistolæ.

[3] Prostat hoc breve in *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, Romæ, 1893, p. 408, not. 1; — cf. etiam *ibid.*, n. 1210.

[4] De Martinis, *Jus pontificium de Prop. Fide*, part. I, t. I, p. 341.

[5] *De synodo*, lib. XIII, c. XIII, n. 2-10.

E. *Jurisprudentia S. Congregationum Romanarum.* — Non semel responderunt Sacræ Romanæ Congregationes ordinationem episcopalem ab uno tantum episcopo peractam, etiam nulla memorata pontificia dispensatione, esse quidem illicitam, sed *validam.* Sic S. Congr. S. Officii, 13 martii 1669; S. Congr. de Prop. Fide, 18 maii 1695[1].

F. Nec dicas, cum fautoribus primæ opinionis, a canonibus hujusmodi ordinationem *irritari.* — Nam : 1. Licet plurimi canones, ut visum est, hujusmodi ordinationem prohibeant, paucissimi tamen sunt qui eam irritam expresse declarent, nempe cit. canon Antiocheni concilii, qui declarat ordinationem aliter factam *nullas vires habere*, μηδὲν ἰσχύειν, et canon 2 conc. Regensis, in quo legitur : « Itaque ordinationem quam canones irritam definiunt, nos quoque *evacuandam esse censemus ;* » — 2. Nullo modo constat præfata verba significare proprie dictam *nullitatem* ordinationis; imo Patres Regenses qui Armentarii sine tribus episcopis consecrati ordinationem *irritam* et *evacuandam* dicunt, permittunt Armentario ut *sacramentum confirmationis ministret* et in genere *vices chorepiscopi agat* (can. 3), et clericis ab eo ordinatis ut, si sint inculpati, *maneant in suis ordinibus* (can. 4); quod signum apertissimum est ordinationem Armentarii fuisse habitam ut validam. Sic etiam Patres cit. conc. Arausicani I, can. 21, si duo episcopi episcopum *invitum* ordinent, jubent duos episcopos ordinatores deponi, et episcopum ordinatum uni eorum in sua sede substitui.

273. — **Quæritur : 2°** *Quænam sit forma episcopatus in Ecclesia latina.*

Resp. : 1. Eo ipso quod unctio capitis vel manuum, impositio vel traditio libri evangeliorum, non sunt materia

[1] In cit. *Collectanea*, n. 1207-1208, p. 407-408.

episcopatus, formulæ quæ has actiones comitantur, non constituunt formam episcopatus.

2. Hæc verba *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ tres episcopi simul pronuntiant, dum simul manus super caput electi imponunt, non sunt forma episcopatus; nam: *a*. Hæc verba, hoc loco recitata, sunt recentioris institutionis, ut supra (n. **209**, 6°) dictum est; — *b*. Hæc verba nimis generalia sunt, et possunt applicari non solum aliis ordinibus, sed etiam aliis sacramentis; unde vices formæ agere nequeunt; — *c*. Leo XIII, bulla *Apostolicæ curæ*, idibus sept. an. 1896, De ordinationibus anglicanis, § *In ritu cujuslibet*, et seq.[1], declarat hæc verba, sive pro presbyteratu, sive pro episcopatu, formam esse insufficientem, et ideo ordinationes anglicanas, quæ, juxta primitivum *Ordinale Eduardianum*, factæ fuerunt cum hac forma, fuisse prorsus invalidas.

3. Ergo forma episcopatus non est alia præter illam longam orationem, quæ vocabatur olim *Consecratio* episcopi, quæ nunc continetur in præfatione *Vere dignum et justum est*.

274. — Quæritur: 3° *Quænam sit forma episcopatus in Ecclesia orientali.*

Resp.: 1. Juxta Arcudium, loco cit. supra (n. **260**), forma episcopatus, sicut presbyteratus et diaconatus, in Ecclesia Græca, constat verbis *Divina gratia*, etc. Hoc tamen admitti nequit, ut constat ex ibidem dictis.

2. Forma constat oratione illa consecratoria quæ comitatur impositionem manuum pontificis; cum autem, in ritu græco, sint duæ impositiones manuum, et duæ orationes (*Dominator Domine*, etc., et *Domine Deus*, etc.), prior oratio, priorem impositionem comitans, certo sufli-

[1] *Leonis XIII Acta*, Romæ, 1897, t. xvi, p. 267.

cit; altera oratio, cum sua impositione manuum, est quasi prioris continuatio et evolutio; si tamen, ob quamcumque causam, prior omissa fuerit, putaverim etiam secundam ad validitatem sacramenti sufficere, licet sit minus explicita quam prior.

3. Idem dicendum pro aliis ritibus orientalibus.

§ 4. De indole formæ sacramentalis ordinationum majorum.

275. — Quid continere debeat forma sacramentalis ordinationum majorum.

N. B. — Ut huic quæsito apta responsio detur, sub oculis habendæ sunt *formæ* quas adhibuit aut adhibet Ecclesia in prædictis ordinationibus majoribus. Porro has formas habes in *Pontificali Romano* et in *Sacramentariis*, supra (n. **192, 199**) relatis; pro ritibus græco et orientalibus, apud Goar et Denzinger, *loc. cit.* Has formas in unum collegit Boudinhon, *De la validité des ordinations anglicanes*, Paris, 1895, p. 27-45. His addes *formas* quæ sunt in *Testamento Domini* (ed. Rahmani, pp. 29, 69, 93), et in *Canonibus Hippolyti*, cit. ed. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, Paris, 1903, p. 525. Hic tantum subjicio formas supra (n. **215**) memorati *Sacramentarii Serapionis*, quæ de facto, ex omnibus formis in extenso relatis hucusque notis, sunt antiquissimæ; ex textu græco primigenio, a Wobbermin edito, in latinum transtuli.

« Impositio manuum ad constituendos diaconos.

« Pater Unigeniti, qui misisti Filium tuum, et res disposuisti in terra, et canones, et constitutiones Ecclesiæ

dedisti in utilitatem et salutem ovium, qui elegisti episcopos et presbyteros et diaconos in ministerium Ecclesiæ tuæ catholicæ, qui elegisti per Unigenitum tuum septem diaconos et tribuisti eis Spiritum Sanctum, constitue et hunc diaconum catholicæ Ecclesiæ tuæ et da in ipso spiritum intelligentiæ et discretionis, ut possit, in medio populi tui sancti, pure et irreprehensibiliter ministrare in hoc ministerio, per Unigenitum tuum Jesum Christum, per quem tibi gloria et potestas in Spiritu Sancto et nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen. »

« Impositio manuum ad constituendos presbyteros.

« Manum extendimus, Deus dominator cælorum, Pater Unigeniti tui, super hunc hominem, et precamur, ut Spiritus veritatis adsit ei ; prudentiam ei tribue et intelligentiam et bonum cor ; sit[1] in eo Spiritus divinus, ut possit gubernare populum tuum et administrare divina eloquia tua, et reconciliare populum tuum tibi ingenito Deo ; qui ex spiritu Moysis dedisti super electos Spiritum Sanctum, participa et huic Spiritum Sanctum ex Spiritu Unigeniti in gratiam sapientiæ et intelligentiæ et rectæ fidei, ut possit ministrare tibi in conscientia pura, per Unigenitum tuum Jesum Christum, per quem tibi gloria et potestas in Spiritu Sancto et nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen. »

[1] Quia ex hac *forma* moveri possit difficultas, addo textum græcum : « .... γενέσθω ἐν αὐτῷ πνεῦμα θεῖον πρὸς τὸ δύνασθαι αὐτὸν οἰκονομῆσαι τὸν λαόν σου καὶ πρεσβεύειν τὰ θεῖα σου λόγια καὶ καταλλάξαι τὸν λαόν σου σοὶ τῷ ἀγενήτῳ θεῷ· ὁ χαρισάμενος ἀπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ Μωσέως ἐπὶ τοὺς ἐκλελεγμένους πνεῦμα ἅγιον, μέρισον καὶ τῷδε πνεῦμα ἅγιον ἐκ τοῦ πνεύματος τοῦ μονογενοῦς εἰς χάριν σοφίας καὶ γνώσεως καὶ πίστεως ὀρθῆς, ἵνα δυνηθῇ σοὶ ὑπηρετῆσαι ἐν καθαρᾷ συνειδήσει διὰ τοῦ μονογενοῦς σου Ἰησοῦ Χριστοῦ, κ. τ. λ....» *Texte und Untersuchungen*, N. F., t. II, III *b*, p. 11.

« Impositio manuum ad constituendos episcopos.

« Qui misisti Dominum Jesum ad lucrandum universum orbem, qui per eum elegisti apostolos, qui de generatione in generationem sanctos episcopos ordinas, fac, Deus veritatis, et hunc episcopum, vivum episcopum, dignum successionis sanctorum apostolorum, et da ei gratiam, et Spiritum divinum, quem tribuisti genuinis servis tuis et prophetis et patriarchis; fac eum dignum qui pascat gregem tuum, et sine reprehensione et offendiculo degat in episcopatu, per Unigenitum tuum Jesum Christum, per quem tibi gloria et potestas in Spiritu Sancto et nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen. »

His ergo positis, hæc dicenda :

1° Forma continere debet mentionem *ordinis collati*. — Nam : 1. Sacramentum est essentialiter *signum sensibile*, quod significare debeat gratiam seu effectum quem producit; hinc conc. Trid., can. 6, sess. VII, De sacramentis in genere, ait : « Si quis dixerit sacramenta novæ legis non continere gratiam *quam significant*, etc.; » porro licet hoc munus significandi pertineat ad totum ritum essentialem, nempe materiam et formam, principalius tamen pertinet ad *formam*, quia materia est pars per se non determinata, quæ per formam determinatur; quod eo magis valet in sacramento ordinis, quod ibi materia est ipsa impositio manuum, quæ potest pertinere ad quemlibet ordinem, imo ad alia sacramenta et sacramentalia (cf. Leonem XIII, cit. const. *Apostolicæ curæ*, loco cit.); cum ergo principalis effectus ordinationis sit *collatio ordinis* seu potestatis, ad quam sequitur collatio relativæ gratiæ, forma debet significare et proinde *exprimere ordinem collatum*, nempe vel diaconatum, vel presbyteratum, vel episcopatum; —

2. De facto, omnes formæ, quas adhibuit aut adhibet Ecclesia in collatione trium horum ordinum, sive apud Latinos, sive apud Græcos et Orientales, continent expressam mentionem ordinis collati, nomine scilicet *proprio* (nempe, diaconatus, episcopatus, etc.) vel *æquivalente* (nempe, pro diaconatu, *ministerium*, etc.; pro episcopatu, *summum sacerdotium, dignitas pontificalis, sacerdotii summa*, etc.). In una tantum forma, nempe forma presbyteratus in Sacramentario Serapionis supra relata, non reperitur ordinis collati mentio *expressa*, sed tantum *implicita*, quæ tamen sufficit, ex statim dicendis.

2º Non requiritur ut forma contineat *expressam* mentionem ordinis collati, sed sufficit ut hujus ordinis *implicitam*, dummodo *certam*, mentionem exhibeat. — Potest enim ordo designari vel per nomen proprium (expressum aut æquivalens, ut dictum est), vel per potestatem aliquam quæ illi exclusive reservata sit, vel per aliquam figuram aut metaphoram aut similitudinem quæ illum certo significet; quocumque autem modo ordo conferendus designatus fuit, si certo et determinate designetur, sufficit; tunc enim nihil deest ad hoc, ut materia, nempe impositio manuum, determinata sit ad hunc ordinem præcise et exclusive significandum. — Hoc modo mentionem *implicitam*, sed *certam*, ordinis collati continet supradicta *forma* presbyteratus in Sacramentario Serapionis: memorat enim tres potestates hujus ordinis, nempe gubernandi populum fidelem[1], prædicandi verbum Dei, et reconciliandi peccatores cum Deo; sed quia hæ tres potestates æque pertinent ad duos ordines, nempe episcopatum et presbyteratum, pontifex ordinans statim excludit priorem ordinem, in eo quod conferat ordinandos cum illis septua-

[1] Hac enim ætate collegium presbyterorum cum episcopo curam ecclesiæ gerebat.

ginta senibus, quos Moyses in adjutorium sibi adscivit[1]; revera, presbyteri qui episcopo in auxilium laborumque societatem dantur, recte, propter muneris similitudinem, assimilati sunt illis septuaginta viris; quod etiam in multis documentis liturgicis expressum invenitur, et etiam in hodierno *Pontificali Romano*, ubi et presbyteri in septuaginta senibus, et episcopus in Moyse signati exhibentur[2]. Unde, hac comparatione instituta, pontifex ordinans formam expresse restringit ad significandum ordinem presbyteratus, et idcirco præfata forma ordinationis presbyteralis, in Sacramentario Serapionis, licet *implicite*, *certo* tamen et *determinate* significat ordinem presbyteratus, et proinde valida est. — Quod si qua forma nec etiam implicite designet ordinem, profecto non sufficit; sic ista forma: *Accipe Spiritum Sanctum*, est insufficiens, ut etiam declaravit Leo XIII, in bulla *Apostolicæ curæ*, loco cit. [3].

3° Non requiritur ut forma contineat mentionem expressam officiorum aut variarum potestatum ordini collato annexorum, nec alicujus, etiam principalioris, ex his offi-

[1] Num., xi, 16-17, 24-30.

[2] Ita etiam in *forma* presbyteratus tum in *Constit. apost.*, lib. VIII, c. xvi; Migne, *P. G.*, t. i, col. 1115; tum in *Testamento Domini*, lib. I, n. 30, ed. Rahmani, p. 69; tum in Sacramentariis Leoniano et Gregoriano, Muratori, *Liturgia Romana vetus*, t. i, col. 425; t. ii, col. 359.

[3] Nec objici potest (in favorem validitatis hujus formæ: *Accipe Spiritum Sanctum*) « decretum » S. Officii, 10 aprilis 1704, circa ordinationes æthiopicas, declarantis *ordinationem presbyteri cum manuum impositione et formæ (Accipe Spiritum Sanctum) prolatione, esse validam.* Hoc responsum referunt *Coll. Lacensis*, t. ii, col. 503, et (quoad majorem partem) *Coll. S. Congr. de Prop. Fide*, n. 1170, Romæ, 1893, p. 398. Cf. etiam periodicum *Canoniste contemporain*, t. xviii, an. 1895, p. 213, 263, et *Revue anglo-romaine*, t. i, an. 1895, p. 369-375. — Non amplius, inquam, objici potest hoc responsum; nam, quidquid hac de re olim dictum est, hoc « decretum S. Officii », non est nisi merum votum consultoris, nomine P. Joannis Damasceni, cui propria manu subscripsit, quodque humillime subjecit approbationi Romani Pontificis, nempe Clementis XI, qui bis recusavit illud approbare. Hoc votum ex integro refert et ope photographiæ sub oculis exhibet Brandi, *Rome et Cantorbéry*, p. 114-118, 214-221, 268-273. Unde tandem controversia finita est.

ciis aut potestatibus; sic non requiritur ut memoret potestatem consecrandi (pro presbyteratu), nec ordinandi (pro episcopatu). — Nam : 1. Eo ipso quod forma memorat ordinem, v. g., *presbyteratus*, memorat implicite omnes potestates in eo contentas, v. g., potestatem consecrandi, absolvendi, etc., quia nimirum vocabulum *presbyteratus*, intellectum (nota bene) *in sensu quem intendit Ecclesia*, complectitur omnes supradictas potestates; — 2. De facto, plures formæ ordinationis presbyteralis, v. g., forma latina sacramentariorum Leoniani et Gregoriani, forma cophtica, ne potestatem quidem celebrandi seu offerendi memorant.

4° *De facto*, omnes omnino formæ[1], pro tribus ordinibus hierarchicis, continent *orationem ad Deum*, qua pontifex Deum deprecatur *ut mittat Spiritum Sanctum*, vel *gratiam suam*, in ordinandum, ut rite fungatur officio suo[2]. — Utrum autem ad valorem sacramenti requiratur hujusmodi forma *deprecativa*, vel potius forma *indicativa* seu *imperativa*, v. g., *Accipe potestatem celebrandi*, etc., statim inquiritur.

276. — Forma deprecativa vel imperativa.

1° Multi doctores dixerunt formam ordinationis debere esse *imperativam*, præcipue propter tria : 1. Forma *deprecativa* est prorsus insufficiens; nam forma non efficit nisi quod significat; porro forma deprecativa nihil significat, aut, si vis, significat tantum *affectum*, non *effectum* : ergo nihil operatur; — 2. Forma deprecativa est falsa et mendax; nam non petimus a Deo nisi ea quæ ex nobis ipsis habere non possumus; atqui pontifex, ex se ipso, vi

[1] Loquor de his quæ sunt vere formæ, juxta opiniones quibus supra adhærendum censui, nempe de formis quæ continentur in *orationibus consecratoriis*, seu, apud Latinos, *Præfationibus*.

[2] Legas, precor, singulas formas, et videbis hanc *orationem* in omnibus contineri.

nempe ordinis episcopalis quem habet, omnino capax est producendi effectum ordinationis in ordinando; ergo absonum est hunc effectum peti a Deo[1]; — 3. Concilium Florentinum definivit (supra, n. **254**, 3°) formam sacerdotii hanc esse : *Accipe potestatem celebrandi,* etc., et sic de aliis ordinibus, ut in *Pontificali Romano.* — Ita D. Thomas[2], et plerique ex doctoribus qui tuentur primam et secundam sententiam de ritu essentiali presbyteratus. Imo Nugno, loco supra (n. **260**) citato, tenet, ex præfata definitione conc. Florentini, sententiam quæ requirit formam *imperativam* esse *de fide,* et opinionem oppositam esse hæresim manifestam.

2° Verum dicendum est non requiri formam *imperativam,* sed omnino sufficere *deprecativam;* nam : 1. Scriptura sacra, locis pluries relatis, non memorat nisi *orationem,* seu formam *deprecativam;* — 2. Per novem priora sæcula in tota Ecclesia non fuit alia forma nisi *deprecativa;* — 3. Hodie, apud Græcos, Nestorianos, Cophtos et Æthiopes, non est alia forma, nisi *deprecativa* (cf. supra dicta, n. **260**); — 4. Unde etiam vulgo Patres tribuunt *orationi* (juncta impositione manuum) effectum ordinationis; sic : *a.* S. Chrysostomus, in hæc verba *Actuum Apostolorum,* VI, 6 : *Et orantes imposuerunt eis manus,* ait : « Vide quam non superflue scriptor loquatur, non enim dicit quomodo, sed simpliciter quod *ordinati sint per orationem;* hoc enim est ordinatio; manus viri superponitur, totum vero Deus operatur[3]; » — *b.* S. Hieronymus, supra (n. **257**) : « Quæ (ordinatio) non solum ad *imprecationem vocis,* sed ad impositionem impletur manus; » — *c.* Pseudo-Dionysius, *De ecclesiastica hierarchia,*

[1] Cf. Verricelli, *De missionibus apostolicis,* q. CCCXII, sect. VI, p. 861.
[2] Suppl. part. III, q. XXXIV, art. 4.
[3] *Homilia.* XIV, *In Actus Apostolorum,* n. 3 ; Migne, *P. G.,* t. LX, col. 116.

cap. v, art. 2, loquens de episcopi ordinatione, ait : « Sanctissimis *adprecationibus* (ἐπικλήσεσιν) consecratur; » item de presbyteri ordinatione : « Sanctis *invocationibus* (*idem vocab.* ἐπικλήσεσιν) consecratur; » et item de diacono[1]; — *d. Statuta Ecclesiæ antiqua* (can. 2-4), pro tribus ordinibus hierarchicis, memorant, cum impositione manuum, *benedictionem*, id est, profecto, illam *orationem* consecratoriam, de qua toties in describendis ritibus ordinationum locuti sumus.

3° Nec difficilis est responsio ad objecta : 1. Forma deprecativa significat quidem *affectum*, sed, procul dubio, affectum ad hunc vel illum *effectum* determinatum, quem proinde etiam, licet forsan minus principaliter, significat; ceterum, posita promissione Dei, dubitari nequit de ejus efficacia; Deus enim omnipotens tam facile potest annectere gratiam suam formæ deprecativæ, quam formæ indicativæ aut imperativæ; — 2. Forma deprecativa non est falsa aut mendax; quando enim agitur de effectu omnino supernaturali, humilem ministrum decet illum a Deo petere, licet sciat se ad hunc effectum producendum idoneum esse, ut patet in sacramento extremæ unctionis, cujus etiam nunc forma est deprecativa; — 3. Quoad definitionem concilii Florentini, jam responsum est supra (n. **257**).

4° Quoad formam *indicativam* seu *imperativam*, licet fuerit inaudita in Ecclesia per multa sæcula, et adhuc sit inaudita apud Græcos, Cophtos, etc., videtur etiam sufficere, modo significet effectum ordinationis (nempe donum Spiritus sancti, vel potestatem) et exprimat ordinem collatum. Sic sufficere videntur hæ formæ : *Accipe Spiritum Sanctum in opus et officium diaconi*, vel *presbyteri*, vel *episcopi*; — *Accipe potestatem implendi officium diaconi*, vel *presbyteri*, vel *episcopi*. Non requiritur autem ut

[1] Migne, *P. G.*, t. III, col. 510.

exprimatur vel una e potestatibus ordini collato propriis, ut patet ex dictis.

§ 5. Corollarium de ordinationibus anglicanis.

277. — **Prævia.** — Cum anno 1547 Eduardus VI Henrico VIII successisset, Cranmer, archiepiscopus Cantuariensis, placitis hæreticis, nempe sectarum protestantium, plene imbutus, et maxima auctoritate pollens in regio consilio, auctoritate *Parlamenti* approbari curavit, tum sic dictam « Cœnam dominicam », loco antiqui *Missalis* (an. 1549), tum novum sic dictum *Ordinale Eduardianum*, an. 1550, quod tres tantum ordinationes exhibet, nempe diaconalem, presbyteralem et episcopalem; inferiores enim ordines Ecclesia anglicana non recepit. Primo ergo *Ordinale* editum est anno 1550, sub hoc titulo : *The form and manner of making and consecrating Bishops, Priests and Deacons* (Forma et ritus faciendi et consecrandi episcopos, presbyteros et diaconos). Quod, aliquantulum castigatum, iterum, sub eodem Eduardo, editum est an. 1552. Cum autem anno 1553 Eduardo successisset Maria catholica, statim reprobatum est dictum *Ordinale*, quod tamen, Elisabeth regnante (ab anno 1558), tertio, anno 1559, editum est sub eodem titulo quo supra, paucis mutatis. Tandem, anno 1662, regnante Carolo II, *Ordinale Eduardianum* hanc formam accepit, quam usque adhuc servavit [1]. — Juxta ergo hoc *Ordinale* exponendæ sunt tres præfatæ ordinationes.

[1] In opere *De hierarchia anglicana*, auctoribus Denny et Lacey, Londini, 1895, habes textum *Ordinalis* an. 1559, cum lectionibus variantibus an. 1550, et mutationibus an. 1662 factis (*Appendix*, 5, p. 218-244). Textui anglico addita est versio latina. — Textum et versionem, ex dicto opere transcriptos, habes etiam in periodico *Revue anglo-romaine*, t. I, p. 177 sq. — In eodem periodico, t. III, p. 657 sq., habes textum an. 1549 (1550) in extenso, cum mutationibus an. 1552, 1559 et 1662. — In vulgato *Prayer Book*, in editionibus recentibus, habes textum anglicum an. 1662.

278. — Ordinatio diaconi. — Ritus sunt ut sequitur :

1° Post præsentationem ordinandorum episcopo ab archidiacono factam et interrogationem fidelium adstantium de eorumdem ordinandorum probitate, cantantur vel dicuntur litaniæ cum sua oratione finali *We humbly beseech thee* (*Humiliter te deprecamur*, etc.).

2° Deinde incipit *officium communionis*, ut dicitur, per *Collectam* et *Epistolam* ; hæc autem *Collecta* non est de die, sed specialis pro ordinandis (*Omnipotens Deus*, etc.); item epistola est specialis.

3° Sequuntur juramentum *de regia supremitate* ab ordinandis emissum, et examen eorumdem ab episcopo factum, simile examini quod extat in ritu latino pro ordinatione episcopi.

4° « Deinde episcopus, super capita singulorum manus imponens, dicat : *Accipe potestatem exsequendi officium diaconi in Ecclesia Dei tibi commissum, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* »

5° « Deinde episcopus singulis Novum Testamentum tradat, dicens : *Accipe potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei, idque etiam prædicandi, si tibi hoc ordinate mandatum fuerit.* »

6° Tunc reassumitur *officium* seu *servitium communionis*, per lectionem evangelii de die, et alia consueta, nisi quod, ante benedictionem, dicitur oratio pro *ordinatis*. Ordinati communionem hac die recipere debent [1].

279. — Ordinatio presbyteri. — Ritus sunt :

1° Præsentatio et litaniæ fiunt sicut pro ordinatione diaconatus.

2° Postea incipit *officium communionis*, in quo dici-

[1] *Opere cit., De hierarchia anglicana*, p. 220-226, vel *Revue anglo-romaine*, loc. cit.; cf. vulgatum *Prayer Book*.

tur *collecta* specialis pro ordinandis, epistola specialis, et item, statim, evangelium speciale [1]. Prædicta autem collecta specialis est oratio *Omnipotens Deus, omnium bonorum dator.*

3° Sequuntur juramentum de regia *supremitate,* allocutio episcopi ad ordinandos de eorum officiis, examen ordinandorum; post hæc, saltem ab anno 1662, cantatur hymnus *Veni Creator,* qui, antea, cantabatur post evangelium.

4° Dein episcopus recitat orationem *Omnipotens Deus, Pater cælestis,* etc., in qua duo facit : 1. Agit Deo gratias, pro universis ejus beneficiis, et pro ordinandorum vocatione; — 2. Deum orat, tum ut tribuat omnibus fidelibus grati animi sensum pro iisdem beneficiis, et profectum in virtutibus, tum ut per ordinandos et eos quibus præficiendi erunt gloria Domini amplius in dies promoveatur.

5° « Hac oratione perfecta, episcopus, cum presbyteris qui præsentes sunt, manus imponat super capita singulorum ordinandorum, suscipientibus humiliter genuflexis, episcopo autem dicente : *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris retenta sunt; esto etiam fidelis verbi Dei et sanctorum ejus sacramentorum dispensator. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* » — Anno autem 1662 post verba *Accipe Spiritum Sanctum*, inserta sunt hæc : « *In officium et opus sacerdotis in Ecclesia Dei, per impositionem manuum nostrarum jam tibi commissum; quorum remiseris*, etc. »

6° Statimque « episcopus unicuique eorum tradat in manus Biblia, dicens : *Accipe potestatem prædicandi ver-*

[1] Ita ex *Ordinali* an. 1662; nam, antea, hæc omnia, a principio hujus ordinationis usque ad evangelium, paulo aliter ordinata erant; cf. textum editionum an. 1550, 1552, 1559, apud *Revue anglo-romaine,* t. III, p. 708-715.

hum Dei, et administrandi sancta sacramenta in ista congregatione in qua fueris ad hoc constitutus »[1].

7° Tunc reassumitur *officium communionis* per cantum *Credo*, et alia consueta, nisi quod, ante benedictionem, dicitur oratio pro ordinatis. Ordinati communionem recipere debent[2].

280. — Consecratio episcopi. — Ritus sunt :

1° Ritus incipit per *officium communionis*, pro quo dicuntur more solito collecta, epistola, evangelium et *Credo;* collecta, epistola et evangelium non sunt de die, sed specialia.

2° Post præsentationem electi, legitur regium mandatum de consecratione, electus emittit juramentum, more solito, de regia *supremitate*, et (nisi sit archiepiscopus) emittit juramentum obedientiæ archiepiscopo debitæ.

3° Tunc, post brevem archiepiscopi ad populum exhortationem, sequitur litania (sicut pro diaconatu et presbyteratu), quæ concluditur oratione *Omnipotens Deus, omnium bonorum dator*, etc.

4° Sequitur *examen* electi.

5° Post hymnum *Veni Creator*, archiepiscopus recitat orationem *Omnipotens Deus, Pater misericors*, in qua Deum orat ut gratiam suam electo conferat, ad hoc ut electus semper paratus sit ad evangelizandum bona, et tributa potestate utatur in salutem.

[1] Ita ab anno 1552 et deinceps; nam, in *Ordinali* an. 1550, episcopus ordinandis tradebat, cum bibliis, *calicem cum patena;* hæc est enim rubrica *Ordinalis* an. 1549 (1550) : « Episcopus tradet unicuique eorum biblia in manum unam, et calicem vel cuppam cum pane, in alteram, dicens : *Accipe potestatem*, ut supra. » *Revue anglo-romaine*, t. III, p. 757. — Verum jam ab anno 1552, suppressa est *porrectio calicis cum pane*, ut constat textu Ordinalis an. 1552, *ibid.*, p. 755-756; et item deest hæc porrectio in *Ordinali* an. 1559, *De hierarchia anglicana*, p. 235, et sic deinceps usque hodie.

[2] *De hierarchia anglicana*, p. 226-236, vel *Revue anglo-romaine*, loc. cit.

6° « Tunc archiepiscopus et episcopi qui adsunt super caput electi manus imponant, dicente archiepiscopo : *Accipe Spiritum Sanctum, et memento ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis.* » — Anno autem 1662, post verba *Accipe Spiritum Sanctum,* inserta sunt hæc : « *in officium et opus episcopi in Ecclesia Dei per impositionem manuum nostrarum jam tibi commissum; in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti; Amen; et memento,* etc. »

7° « Deinde tradat archiepiscopus ei Biblia, dicens : *Attende lectioni, exhortationi et doctrinæ; meditare,* etc. »

8° Tum reassumitur *officium communionis,* modo consueto, nisi quod, ante benedictionem, dicitur oratio pro consecrato. Sacram communionem recipere debet consecratus [1].

281. — Nullitas ordinationum anglicanarum [2]. — Demonstratur nullitas ordinationum anglicanarum variis argumentis, ut sequitur :

[1] *De hierarchia anglicana,* p. 237-244, vel *Revue anglo-romaine,* loc. cit.

[2] De recenti controversia circa ordinationes anglicanas, cf. Estcourt, *The question of Anglican Orders,* Londres, 1873; — Sydney Smith, *Reasons for rejecting Anglican Orders,* Londres, 1895; — Dalbus (Portal), *Les ordinations anglicanes,* Paris, 1893; — Boudinhon, *Étude théologique sur les ordinations anglicanes,* Paris, 1895, et *De la validité des ordinations anglicanes,* Paris, 1896; — Gasparri, *De la valeur des ordinations anglicanes,* Paris, 1895; — Denny et Lacey, *De hierarchia anglicana,* Londini, 1895; — *Revue anglo-romaine,* an. 1895, 1896, 3 vol.; — Brandi, *Rome et Cantorbéry, Commentaire de la bulle* Apostolicæ Curæ, Paris, 1898, ex italico vertit Boudinhon. — De controversia autem sæculo xviii eadem de re mota, cf. : 1. *Pro validitate ordinationum,* Le Courayer, *Dissertation sur la validité des ordinations des Anglais,* Bruxelles, 1723, 2 vol. in-12; — Le Courayer, *Défense de la dissertation,* etc., Bruxelles, 1726, 2 vol. in-12, 4 tom.; — (Le Courayer) *Relation historique et apologétique des sentiments du P. Le Courayer,* etc., Amsterdam, 1729, 2 vol.; — Le Courayer, *Supplément à deux ouvrages faits pour la défense de la validité des ordinations anglicanes,* Amsterdam, 1732,

1° *Defectus formæ.*

A. *Quoad presbyteratum.* — 1. Verba : *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata*, etc., non constituunt formam sufficientem, cum sint indeterminata, et possint applicari tribus, aut saltem duobus ordinibus superioribus; — 2. Oratio *Omnipotens Deus, Pater cælestis*, etc., quæ immediate præcedit impositionem manuum, et cum hac moraliter unita dici potest, non constituit formam presbyteratui idoneam, ut constat ex iis quæ dicta sunt supra (n. **279**, 4°) de hac oratione; non continet quæ requiruntur ad legitimam hujus ordinationis formam; — 3. Quoad orationem *Omnipotens Deus, omnium bonorum dator*, etc., posset summo rigore formam aptam constituere, si cum materia, nempe impositione manuum, moraliter unita dici posset; verum hoc dici nequit; nam : *a.* In *Ordinali* an. 1662, quod usque nunc viget, hæc oratio pertinet, non ad *ritum ordinationis*, sed ad *officium communionis*, cujus est *collecta;* — *b.* In *Ordinalibus* anterioribus, concludit, per modum *collectæ*, litaniam; — *c.* In omnibus *Ordinalibus*, nimis est ab impositione manuum remota et separata, eoque loco ponitur, ubi referri nequit ad impositionem manuum; ponitur enim ante præstationem juramenti de regia supre-

1 vol. in-12; — 2. *Contra validitatem...*, Hardouin, *La dissertation du P. Le Courayer... réfutée*, Paris, 1724-1725, 2 vol. in-12; — Hardouin, *La défense des ordinations anglicanes réfutée*, Paris, 1727, 2 vol. in-12; — Le Quien, *Nullité des ordinations anglicanes*, Paris, 1725, 2 vol. in-12; — Le Quien, *La nullité des ordinations anglicanes démontrée de nouveau, contre la défense*, etc., Paris, 1730, 2 vol. in-12; — Fennel, *Mémoires sur la validité des ordinations des Anglais*, Paris, 1726; — Claude le Pelletier, *Dénonciation aux évêques de France d'un livre intitulé : Défense de la dissertation sur la validité des ordinations des Anglais*, 1727, sine loco editionis; — Théodore de S. René, *Justification de l'Église romaine sur la réordination des Anglais*, Paris, 1728, 2 vol. in-12; — Kenrick, *De ordinationibus anglicanis*, apud Migne, *Theologiæ cursus*, t. xxv, col. 59-64.

mitate, ante præambulam allocutionem episcopi ad ordinandos, ante examen ordinandorum : quo utique loco episcopus nondum habet absolutam ordinandi intentionem; — 4. Anno quidem 1662, ut supra dictum est (n. **279,** 5°), post hæc verba : *Accipe Spiritum Sanctum,* inserta sunt hæc : *in officium et opus sacerdotis.* Verum, etsi hæc verba, *in sensu catholico intellecta,* constituere possunt idoneam formam, attamen : *a.* Inserta sunt post annos 103, cum proinde jam defecerat ordinandi potestas et hierarchia; — *b.* Hoc verbum *sacerdos,* in hoc ordinali, non habet sensum quem habet in Ecclesia Christi, nempe *sacerdotis ad offerendum verum et proprie dictum sacrificium constituti,* sed *sacerdotis tantummodo prædicantis et baptizantis;* unde forma sic intellecta non est sufficiens; sed hoc pertinet ad *defectum intentionis,* de quo mox.

B. *Quoad episcopatum.* — 1. Verba *Accipe Spiritum Sanctum, et memento,* etc., non constituunt formam sufficientem, cum sint indeterminata, et possint applicari tribus ordinibus hierarchicis; ceterum verba *Memento ut resuscites,* etc., memorant factum præteritum, non factum præsens; — 2. Idem dicendum de oratione *Omnipotens Deus, Pater misericors,* etc., quæ æque applicari potest tribus ordinibus hierarchicis; — 3. Quoad orationem *Omnipotens Deus, omnium bonorum dator,* etc., quæ summo rigore sufficere posset, nimis remota est et separata ab impositione manuum, ut dictum est de simili oratione in ordinatione presbyteratus; — 4. Anno quidem 1662, ut dictum est n. **280,** 6°, post verba *Accipe Spiritum Sanctum,* inserta sunt hæc : *in officium et opus episcopi;* sed hæc verba, in *Ordinali* anglicano, non habent sensum quem habent in Ecclesia Christi (verum hoc refertur potius ad *defectum intentionis,* de quo mox); insu-

per addita sunt post 103 annos, cum jam defecerat hierarchia.

C. *Quoad diaconatum.* — Forma hujus ordinationis : *Accipe potestatem exsequendi officium diaconi*, etc., potest haberi ut sufficiens, *si catholice intelligatur.* — Verum : 1. Vocabulum *diaconus* non habet, in *Ordinali* anglicano, sensum quem habet in Ecclesia Christi, in qua significat præcipue *ministrum altaris, comministrum et cooperatorem corporis et sanguinis Domini* (quod amplius evolvetur ubi de *defectu intentionis*); — 2. Si nulla est ordinatio episcopalis, eo ipso nulla sit necesse est ordinatio diaconalis.

282. — 2° *Defectus intentionis.* — Ut minister reapse conficiat sacramentum, omnino requiritur ut saltem *intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia*, nempe Ecclesia Christi : quod omnes admittunt, et definivit concilium Trid., can. 11, sess. VII, De sacramentis in genere. Atqui *Ordinale* Eduardianum positive excludit quod facit Ecclesia Christi; ergo ministri, qui eo utuntur, et proinde agunt juxta illud, non habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia Christi, imo habent intentionem positive repugnantem. — *Ordinale* autem Eduardianum positive excludere quod facit Ecclesia Christi, manifestum est; nam Ecclesia Christi, in ordinis sacramento ministrando, intendit creare veros et proprie dictos sacerdotes, qui in altari verum et proprie dictum corporis et sanguinis Domini sacrificium offerant, id est, qui non tantum repræsentent et commemorent sacrificium crucis, sed etiam consecrato realiterque præsente corpore et sanguine Domini, sacrificium verum, licet incruentum, offerant; unde sacerdotes, quos intendit creare Ecclesia, sunt vere et proprie sacerdotes, nempe ad sacrificandum ordinati;

inter quos sacerdotes simplices, qui tantum sacrificant, alii autem summi sacerdotes, seu episcopi, qui et sacrificant et sacrificaturos ordinant. Atqui *Ordinale* Eduardianum hoc verum sacerdotium positive excludit. Nam :

1. Auctores *Ordinalis*, qui omnes Calvini et Zwinglii placitis addicti erant[1], ex industria resecuerunt quidquid, in veteri ordinationum ritu, *sacrificium* significare poterat; sic resecuerunt unctionem manuum, porrectionem instrumentorum (quia verba concomitantia potestatem sacrificandi exprimebant), item orationem *Deus sanctificationum omnium auctor*, quæ verba continet consecrationem corporis et sanguinis Domini significantia[2].

2. Auctores totius illius liturgiæ, cujus pars est *Ordinale*[3], plane rejiciunt *præsentiam realem corporis et sanguinis Domini*, ut patet ex liturgia *Cœnæ dominicæ*, in cujus fine legitur, § 151 : « Quod spectat sacramentalem panem et vinum, semper remanent in sua naturali substantia, et ideo non possunt adorari; hæc enim esset idо-

[1] Plerique acciti fuerant ex Germania aut Helvetia; ipse Cranmer, qui erat archiepiscopus Cantuariensis, quique maximam partem habuit in nova condenda liturgia, errores Calvini palam profitebatur. Cf. Le Quien, *op. cit., Nullité des ordinations anglicanes*, 1725, t. I, c. II, passim; cf. etiam D. Gasquet, *Edward VI and the Book of common Prayer*, Londres, 1890.

[2] Rmi archiepiscopi Cantuariensis et Eboracensis, in sua *Responsione ad litteras apostolicas Leonis papæ XIII de ordinationibus anglicanis*, 19 feb. 1897, n. 18 (ed. Londini, 1897, p. 28-30), dicunt auctores *Ordinalis* hæc omnia resecuisse ut « omnia ad auctoritatem Domini in sacris Scripturis revelatam revocarent ». Sed, quando attente perspiciuntur rerum temporumque adjuncta, qualia elucent ex citatis Le Quien et D. Gasquet operibus, patet hunc non fuisse nisi *prætextum*, ut etiam dicit Leo XIII in bulla *Apostolicæ curæ* de ordinationibus anglicanis, § *Ad rectam vero*, *Acta Leonis XIII*, Romæ, 1897, t. XVI, p. 270 : « Liturgiæ ordinem *specie quidem redintegrandæ ejus formæ primævæ*, ad errores novatorum multis modis deformarunt. »

[3] Initio *Ordinale* editum est seorsim, sed ab annis 1550 et 1551, editum est cum aliis liturgiæ partibus, in uno libro seu Rituali, cujus titulus est : *The Book of common Prayer*, Le Quien, *loc. cit.*, p. 59.

lolatria ab omnibus fidelibus christianis abominanda. Et quod spectat ad naturale corpus et sanguinem Salvatoris nostri Christi, ipsa sunt in cælis et non hic. Est enim contra veritatem veri naturalis corporis Christi, quod sit uno tempore in pluribus locis[1]. » Rejecta autem hac præsentia reali, non potest esse verum sacrificium corporis et sanguinis Christi.

3. Auctores præfatæ liturgiæ expresse et diserte rejiciunt *sacrificium altaris* in sic dictis *articulis religionis* (*articles of religion*), seu *confessione fidei anglicanæ*, nempe in art. 31, in quo legimus : « *De unica oblatione Christi in cruce consummata.* — Oblatio Christi semel facta est perfecta redemptio, propitiatio et satisfactio, pro omnibus peccatis totius mundi, sive originali sive actualibus, et *non est alia satisfactio pro peccatis, nisi illa sola. Unde sacrificia missarum, in quibus vulgo dicebatur sacerdotem offerre Christum pro vivis et mortuis ad remissionem pœnæ aut culpæ, erant blasphemæ fabulæ et perniciosæ deceptiones*[2]. » Hi articuli in formam definitivam redacti sunt sub Elisabeth an. 1562, sed jam concinnati erant et approbati, an. 1552, sub Eduardo[3]. Unde, in ipso ritu *Cœnæ dominicæ*, auctores liturgiæ valde insistunt in hac unica oblatione Christi, « qui ibi (nempe in cruce), *unica sui oblatione semel facta, plenum, perfectum et sufficiens sacrificium, oblationem et satisfactionem pro totius mundi peccatis fecit*, et instituit et in sancto evangelio suo nobis præcepit observare pretiosæ mortis illius memo-

[1] Hæc leguntur jam in editione cit. *Libri precum publicarum*, an. 1552; cf. *Revue anglo-romaine*, t. II, p. 432; leguntur deinceps in vulgato *Prayer Book* in omnibus editionibus et versionibus usque hodie.

[2] *The Book of common Prayer*, vulgat. ed. London (sine anno), p. 654; cf. etiam versionem gallicam *La liturgie ou le livre des prières publiques*, Londres, 1842, p. 430.

[3] Hodiernus articulus 31 iisdem terminis legebatur, sub n. 30, in art. an. 1552. Cf. Le Quien, *loc. cit.*, p. 63.

riam [1]; » alteque silent de oblatione altaris. Quæ jam scripta erant in edit. an 1549, sub Eduardo [2].

4. Auctores dictæ liturgiæ rejiciunt *Sacramentum ordinis*, ut constat ex ipsis cit. *Articulis religionis*, art. 25, ubi legitur : « *Duo sunt sacramenta instituta a Christo in evangelio, nempe Baptismus et cœna Domini;* ista quinque vulgo dicta sacramenta, id est, confirmatio, pœnitentia, *ordines*, matrimonium et extrema unctio, haberi nequeunt ut sacramenta evangelii, cum sint tantum vel corrupta imitatio apostolorum, vel *status vitæ in scripturis permissi;* sed non habent similem naturam sacramentorum, ac Baptismus et cœna Domini, quia non habent aliquod signum visibile aut ritum a Domino institutum [3]. » Hinc non est *vi sacramenti* ullum discrimen inter episcopos, presbyteros et diaconos, nec ulli eorum *divinitus* recipiunt ullam potestatem sacra faciendi; hinc ordines non sunt nisi quidam ritus religiosi (sicut apud nos benedictio regum, abbatissæ, etc.), prorsus inefficaces, quos ordinavit suprema potestas ecclesiastica anglicana, nempe potestas regia [4]. Hinc etiam, in ordinibus conferendis, formæ illæ vagæ et generales, quæ non distinguunt ordines ab invicem. — Anno quidem 1662, ut supra dictum est (n. **279**, 5°: **280**, 6°), addita sunt formis presbyteratus et episcopatus, hæc verba : *in officium et opus presbyteri, episcopi;* non quod auctores additionis agnoverint intrinsecum discrimen existere, *vi sacramenti*, inter episcopum et presbyterum nam sacramentum quod non existit nul-

[1] *The Book of common Prayer*, p. 281; versio gallica cit., p. 179.

[2] *Revue anglo-romaine*, t. II, p. 332-333; — hinc, quod prono alveo sequebatur, jussit Eduardus in toto suo regno everti *altaria*, eisque substitui simplicem *mensam communionis*. Le Quien, *op. cit.*, c. II, p. 56.

[3] *The Book of common Prayer*, p. 651; versio gallica, p. 428.

[4] Cf. *juramentum de regia supremitate* in singulis ordinationibus emittendum; *De hierarchia anglicana*, p. 222; Le Quien, *op. cit.*, c. II-III, p. 35-123.

lum gignere potest discrimen), sed ut obviaretur *Presbyterianis*, qui in ordinali anglicano fundamentum suis opinionibus quærebant[1]; his enim verbis additis, contra presbyterianos ostensum est in hierarchia anglicana, qualem ordinat et constituit regia potestas, adesse discrimen inter episcopum et presbyterum : quod proinde discrimen non est nisi extrinsecum et cæremoniale.

Unde, cum *Ordinale* Eduardianum recipere debeat interpretationem tum ex suo ipsius contextu, tum ex tota reliqua liturgia, cujus est pars, tum ex ritu cœnæ dominicæ, ad quem perficiendum præcipue ministri ordinantur, tum ex articulis religionis seu confessione fidei anglicanæ, quæ tota fuit ratio et norma mutandi pontificale novumque creandi *Ordinale* (cum inter *legem credendi* et *legem supplicandi* necessaria sit conformitas), cum, inquam, ex his omnibus *Ordinale* recipere debeat interpretationem, concludendum est ministrum anglicanum, qui ordines confert juxta *Ordinale* Eduardianum, non intendere creare presbyteros, episcopos, sicut eos intelligit Ecclesia Christi, sed in sensu prorsus diverso, imo positive excludere, ad normam *Ordinalis* et totius liturgiæ anglicanæ, sacerdotes qui sint vere sacrificatores; unde dictus minister anglicanus, in his ordinationibus conferendis, manifesto laborat *defectu intentionis*. — Qui defectus extenditur etiam ad ordinationem *diaconorum*, quos Ecclesia Christi præcipue et ante omnia intelligit ut *ministros altaris*, quem conceptum excludunt anglicani.

283. — 3° *Judicia et usus Sedis romanæ*. — Optimum, pro nullitate ordinationum anglicanarum, deducitur argu-

[1] Uti asserunt archiepiscopi anglicani in sua *Responsione* ad bullam Leonis XIII, n. 15, p. 25.

mentum ex romanorum Pontificum *Actis*, et consequente *consuetudine* :

A. *Acta Julii III.* — Julius III instituit card. Polum, virum nobilitate, scientia, virtute præclarum, suum in Anglia legatum ad opus reconciliationis ecclesiæ anglicanæ, bulla *Si ullo unquam tempore*, 5 aug. 1553 [1]; postridie, ad eumdem mittit breve *Post nuntium*, 6 aug. 1553 [2], quo monet illum de bulla legationis expedienda; demum, missis ad eum pluribus litteris, quæ non extant, mittit breve *Dudum cum charissima*, 8 martii 1554, in quo rursum exponit facultates legatinas [3]. — In hoc ultimo brevi legimus : « (Tibi dedimus facultatem), quod (prædicti in hæresim lapsi), bigamia et irregularitate ac aliis præmissis non obstantibus, in eorum ordinibus, dummodo, ante eorum lapsum in hæresim hujusmodi, rite et legitime promoti vel ordinati fuissent, etiam in altaris ministerio ministrare, ac quæcumque ... beneficia retinere; et *non promoti, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines ab eorum Ordinariis, si digni et idonei reperti fuissent, promoveri, ac beneficia ecclesiastica, si eis alias canonice conferrentur, recipere et retinere valerent, dispensandi et indulgendi.* » — Porro :

1. Illi viri *non promoti*, de quibus agit Julius, et quos permittit promoveri ad omnes ordines, erant clerici *novo ritu Eduardiano ordinati* : nam : *a*. Hos opponit illis qui fuerant *rite et legitime ordinati;* — *b*. Per hos viros *non promotos*, non possunt intelligi viri *mere laici*, quippe

[1] Wilkins, *Concilia Magnæ Britanniæ*, Londini, 1737, t. IV, p. 87; *ibid.*, p. 86-178, habes plurima documenta quæ reconciliationem Ecclesiæ anglicanæ his annis, 1553-1558, respiciunt. — Documenta quæ propius respiciunt legationem card. Poli habes in opere *Documenta ad legationem Poli spectantia*, Romæ, 1896.

[2] Recentius repertum; apud Brandi, *Rome et Cantorbéry*, p. 231.

[3] Wilkins, p. 91; idem apud cit. opus *De hierarchia anglicana*, p. 250.

quibus sufficienter consultum esset verbis superioribus, per dispensationem in irregularitate; ceterum ex contextu patet agi de viris quoquo modo ordinatis, non de mere sæcularibus. — Ita hæc verba *non promoti* interpretatur Leo XIII, cit. bulla *Apostolicæ curæ*[1]. Cum ergo Julius hos viros ritu Eduardiano promotos, vocet *non promotos*, et permittat, positis ponendis, ut promoveantur ad omnes ordines, patet Julium habuisse eorum ordinationem ut omnino irritam.

2. Cardinalis Polus, delegans, juxta potestatem sibi factam, facultates a Julio receptas episcopo Norwicensi, clarius adhuc sub oculis ponit distinctionem inter *promotos* et *non promotos;* ait enim : « Quodque ... in suis ordinibus, etiam ab hæreticis et schismaticis episcopis, etiam minus recte, *dummodo in eorum collatione Ecclesiæ forma et intentio sit servata,* per eos susceptis,... etiam in altaris ministerio, ministrare...; et *non promoti* ad omnes, etc. (ut in bulla Julii)[2]; » unde si in collatione ordinum *Ecclesiæ forma et intentio non fuerit servata* (quo notantur procul dubio ordinationes Eduardianæ), clerici habebantur ut *non promoti.*

3. Ita multi rem jam eo tempore intelligebant in Anglia, v. g., regina Maria, in *decreto,* an. 1554, quod procul

[1] *Leonis XIII Acta*, t. XVI, p. 262. — Rmi archiepiscopi anglicani, in sua *Responsione* ad bullam Leonis, n. 6, hæc verba interpretantur de viris *sæcularibus, qui sine ulla ordinatione beneficia ecclesiastica accipiebant et retinebant, ut sæpe eo tempore fiebat.* — Verum hæc interpretatio non videtur admitti posse, tum quia hoc delictum non erat speciale his temporum adjunctis, quibus consulere volebat Julius; tum quia hi « non promoti » inducuntur a Julio, non tanquam habentes jam beneficia, sed tanquam forsan *habituri* beneficia, ut ex contextu apparet. — Fatendum in verbis Julii aliquam superesse obscuritatem, quæ tamen, ex interpretatione quæ facta est a card. Polo et aliis (ut statim dicitur), evanescit.

[2] *Epistola ad episcopum Norwicensem,* 29 jan. 1555, in op. *De hierarchia anglicana,* p. 258. — Eadem omnino habet Polus in *Epistola ad capitulum ecclesiæ Cantuariensis* (sede vacante), apud Wilkins, p. 136.

dubio collaborante card. Polo concinnavit : « Circa illos qui jam promoti fuere ad aliquos ordines *secundum modum ordinandi noviter fabricatum*, considerando quod *vere et de facto ordinati non fuerunt*, episcopus diœcesanus, si eos idoneos et capaces invenerit, supplere potest id quod antea in illis hominibus defuit[1]. » Ita etiam, et iisdem fere verbis, Bonner episcopus Londinensis[2].

4. Imo, quod maximi est momenti, revera card. Polus, utens facultatibus sibi concessis, dispensavit ad hoc ut personæ ecclesiasticæ, quæ receperant ordines *nulliter* sub schismate (quo profecto notantur ordinationes Eduardianæ), hos ordines de novo reciperent. Quod constat omnino ex *Summario* petitionum, quod legati Angliæ (de quibus statim dicetur) obtulerunt Paulo IV[3].

B. *Acta Pauli IV.* — Paulus IV, instantibus Philippo et Maria, regibus Angliæ, et tribus oratoribus ab eisdem ad Sedem apostolicam missis, confirmavit, bulla *Præclara charissimi*, 20 junii 1555[4], plures dispensationes a card. Polo concessas; cum autem, in hac bulla, quædam explicatione indigerent, obscura explicavit Paulus in brevi *Regimini universalis*, 30 oct. 1555[5]. — Porro, in his documentis, Paulus IV apertissime declarat consecrationem episcopalem, ritu Eduardiano collatam, esse omnino nullam et irritam. In *bulla* enim, loquens de iis qui ordines receperant ab episcopis ritu Eduardiano consecratis, ait :

[1] *Documenta ad legationem Poli spectantia*, p. 4; cf. Brandi, p. 71-72, 169, 263.

[2] Brandi, p. 85.

[3] Hoc *Summarium eorum quæ confirmari petuntur a Sede apostolica*, recentissime inventum, habes apud *Documenta ad legationem Poli pertinentia*, p. 17, et apud Brandi, p. 236-237; cf. etiam, p. 238.

[4] Hanc bullam, a D. Gasquet recentissime inventam in archivis Vaticanis, habes in extenso apud Boudinhon, *De la validité des ordinations anglicanes*, p. 78-82.

[5] Hoc breve, pariter a D. Gasquet inventum, habes apud Boudinhon, *ibid.*, p. 82-84, vel apud Brandi, p. 233.

« Ita tamen ut qui ad ordines tam sacros quam non sacros[1] ab alio quam episcopo aut archiepiscopo *rite et recte ordinato* promoti fuerunt, *eosdem ordines ab eorum Ordinario de novo suscipere teneantur;* nec interim in eisdem ordinibus ministrent; » si ergo taliter ordinati *ordines de novo suscipere teneantur*, signum clarum est eos ordinatos fuisse *nulliter*, et proinde episcopum, qui illos ordinavit, *non fuisse episcopum;* porro quæsitum est a Paulo, quinam essent hi episcopi *rite et recte* ordinati, et proinde etiam quinam essent episcopi *non rite et recte ordinati*, qui idcirco ordines *nulliter* contulissent; respondit autem Paulus, cit. brevi : « Eos tantum episcopos et archiepiscopos *qui non in forma Ecclesiæ ordinati et consecrati fuerunt*, rite et recte ordinatos dici non posse, et propterea personas, ab eis ad ordines ipsos promotas, ordines non recepisse...; » quibus procul dubio verbis, *non in forma Ecclesiæ*, notatur consecratio episcopalis *juxta ritum Eduardianum*, eo magis quod statim addit Paulus episcopos, qui sacrilege quidem (utpote hæretici, vel schismatici, vel simoniaci), sed *in forma Ecclesiæ* consecrati sunt, ordines valide contulisse. — Unde clarissime declaravit Paulus consecrationem episcopalem, ritu Eduardiano peractam, esse prorsus nullam; non egit autem de presbyteratu et diaconatu Eduardiano ritu collatis, quia de horum nullitate non amplius, post rescripta Julii et card. Poli, movebatur difficultas[2].

[1] Nota cautissime hic agi de ordinibus etiam *ritu catholico* et *in forma Ecclesiæ* collatis, non vero de ordinibus *ritu Eduardiano* collatis; agitur enim de ordinibus *tam sacris quam non sacris;* porro *Ordinale* Eduardianum non habet ordines *non sacros;* imo, inter sacros, non habet subdiaconatum.

[2] Ceterum, si nulla est consecratio episcopalis ritu Eduardiano peracta, eo ipso mox defecit in Anglia successio episcoporum (cum ex 27 episcopis catholicis qui sedes episcopales tenebant in Anglia, regnante Maria, 1553-1558, quindecim mortui sunt annis 1558-1559; decem initio regni

C. *Praxis romanæ curiæ reordinandi ministros anglicanos.* — 1. Praxis romanæ curiæ, habendi episcopos aliosque ministros anglicanos ut personas mere laicas et sæculares, et proinde eos, si ad fidem catholicam conversi fuerint, velintque Deo servire in ordine ecclesiastico, *ex integro*, et *absolute*, id est sine condicione, ordinandi, retroascendit ad ipsamet *Acta* Julii III et Pauli IV, et ad interpretationem horum *Actorum*, quam ab initio tenuerunt, ut dictum est, card. Polus et episcopi catholici Angliæ; unde, etiam pro annis 1555-1558, memorantur ministri anglicani 14 (8 in diœcesi Londinensi), qui, ritu Eduardiano ordinati, ordines deinde ritu catholico ex integro et absolute receperunt : quod fatentur etiam anglicani[1]; — 2. Quæ consuetudo subsequentibus annis et per totum sæculum XVII servata est : quod plura demonstrant; scilicet, tum ipsa facta hujusmodi reordinationum[2]; tum testimonium Ricardi Bristow, theologi anglici (def. an. 1581), qui id testatur pro tempore regnantis Elisabeth[3]; tum testimonium cardinalis de Norfolk, qui vivebat sæculo decimo septimo medio, quod testimonium refert card. Casanata, an. 1685[4]; tum testimonium D. Genetti, qui Londini moratus est circa an. 1690[5]; tum testimonium cujusdam consultoris S. Officii, an. 1704[6]; tum

Elisabeth in carcerem detrusi mox perierunt; unus schismati adhæsit, nec diu superfuit; ultimus concilio Trid. interfuit, Romæque obiit, an. 1585; cf. Brandi, p. 57, not. 1; 88, not. 1); et proinde defecerunt etiam presbyteratus et diaconatus. Parker, ecclesiæ Cantuariensi præpositus ab Elisabeth, ritu Eduardiano consecratus est episcopus, die 27 dec. 1559, et mox eodem ritu novos episcopos schismaticos ab Elisabeth institutos consecravit (Brandi, p. 59).

[1] Apud Brandi, p. 87-89; 172-173.

[2] *Ibid.*, p. 88.

[3] *Ibid.*, p. 173.

[4] In suo *Voto*, apud Brandi, p. 255, 258.

[5] In sua *Relatione*, apud Brandi, p. 260.

[6] In suo *Voto*, apud Brandi, p. 263.

testimonium Joannis Clementis Gordon (de quo infra dicetur), episcopi Scoti, ad fidem catholicam conversi, qui in suo supplici libello Clementi XI oblato, an. 1704, ait : « *Constans semper in Anglia fuit praxis*, ut si quis hæreticorum ministrorum ad gremium revertatur Ecclesiæ, *sæcularis instar habeatur*[1]; » — 3 Quæ iterum consuetudo valde firmata est *Actis* in S. Officio tum an. 1685, tum an. 1704, de quo statim.

D. *Acta an.* 1685 *et* 1704. — Hæc jungimus, quia documenta quæ an. 1685 adhibita sunt, repetita sunt etiam et eodem modo ponderata an. 1704. Anno 1685, actum est in S. Officio de quodam calvinista gallo, qui, cum Londini moraretur, ab episcopo Londinensi diaconus et presbyter ritu Eduardiano ordinatus est; cum autem in Galliam rediisset, ad fidem catholicam conversus est, et uxorem ducere sibi proposuit; quæsitum est igitur num ordines, quos receperat, essent validi et proinde impedimentum dirimens matrimonii constituerent. En autem votum consultorum : « Feria II die 13 aug. 1685, Domini consultores, mature discusso dubio, *unanimi voto responderunt pro invaliditate prædictæ ordinationis*. An autem *expediat* ad hanc declarationem in præsenti casu devenire, Emorum Patrum oraculo reliquerunt. » Revera, propter rationes *mere politicas*, cardinales responderunt : *Dilata*[2]. Anno autem 1704, in eodem S. Officio actum est de Joanne Clemente Gordon, qui in patria sua, nempe in Scotia, anno 1688, episcopus ritu Eduardiano consecratus est; cum autem secutus fuisset regem Jacobum II in exsilium, fidem catholicam amplexus est, denuo sub condi-

[1] Apud Le Quien, *Nullité des ordinations anglicanes*, Paris, 1725, t. II, in fine, p. LXXV; cf. etiam *Relationem* D. Genetti ad Assessorem S. Officii, an. 1704, Brandi, p. 260-262.

[2] Brandi, p. 92-93; cf. prædictam D. Genetti *Relationem*.

cione baptizatus est, et libello supplici qui adhuc extat[1], ut sibi ritu catholico ordines, etiam presbyteratus, conferrentur, postulavit; unde quæsitum est quo responso dimittenda esset hæc petitio; responsum autem datum est ab ipso Rom. Pontifice Clemente XI in S. Officio, his verbis : « Feria V, die 17 apr. 1704, in solita Congregatione S. R. et U. Inquisitionis... coram SSmo... Relata instantia, etc., SSmus, auditis votis Emorum cardinalium, *decrevit* quod Joannes Clemens Gordon *ex integro et absolute ordinetur ad omnes ordines, etiam sacros, et præcipue presbyteratus*, et quatenus non fuerit confirmatus, prius sacramentum confirmationis suscipiat[2]. » — De his autem duobus responsis, et præcipue de posteriore, magnæ ortæ sunt controversiæ; cum *facta* sint, negari nequeunt; sed diversam recipiunt interpretationem. Qui enim ante Leonis XIII bullam *Apostolicæ curæ*, an. 1896, tenebant, et qui adhuc hodie, inter anglicanos, tenent pro validitate ordinationum anglicanarum, asserunt ex his responsis nihil aut fere nihil deduci contra ipsorum opinionem, potissimum propter tria : 1. Quia hæc responsa præcipue nituntur fabula ordinationis Parkerii in taberna[3]; — 2. Quia responsum an. 1704 nititur falsa rituum anglicanorum expositione facta a Joanne Gordon in sua petitione[4]; — 3. Quia ambo

[1] Apud Le Quien, *op. cit.*, *Nullité*, etc., t. II, in fine, p. LXIX-LXXV.

[2] Textum *authenticum* integrum hujus decreti habes apud Brandi, p. 91; ab hoc textu differt textus apud multos auctores vulgatus, v. g., apud Le Quien, *loc. cit.*; unde Brandi hunc textum authenticum exhibet ope phototypiæ, p. 178, et ope photographiæ, p. 267.

[3] Diu narratum et a multis tanquam certum habitum est, Parkerium, archiepiscopum Cantuariensem, a quo reliqui episcopi anglicani tenent originem, ordinatum fuisse, an. 1559, in quadam taberna, per impositionem libri Bibliorum in capite, cum his verbis : *Accipe potestatem prædicandi verbum Dei in sua puritate* : quæ profecto ordinatio nulla est. Vide facti narrationem apud Le Quien, *loc. cit.*, t. I, c. VI, p. 184-188. — Cf. Brandi, p. 246-247; — *Revue anglo-romaine*, t. II, p. 173-175.

[4] Vide iterum petitionem Joannis Gordon, apud Le Quien, *op. cit.*, t. II, in fine, p. LXIX sq.

responsa nituntur etiam omissione *traditionis instrumentorum* in ordinali Eduardiano : quæ traditio olim reputabatur essentialis, nunc autem non sic [1].

Verum demonstrari potest prædicta responsa nullo modo niti his causis, nullamque aliam rationem fuisse decreti de invaliditate ordinationum anglicanarum, nisi *defectum formæ et intentionis*, ut ait Leo XIII in bulla *Apostolicæ curæ*, § *Auctoritates* [2]. Etenim :

1. Quoad fabulam ordinationis Parkerii in taberna, verum est Joannem Gordon hanc in suo libello supplici allegasse, tanquam rationem qua ipse demonstraret defecisse successionem episcopalem in Anglia [3]; sed etiam certum est, his annis 1685, 1704, hanc narrationem habitam fuisse in S. Officio uti apocrypham, saltem ut dubiam, et proinde ineptam ad fundandam decisionem, præsertim in re tanti momenti. — Quod inconcusse constat documentis, his annis in S. Officio adhibitis, v. g., cit. *Relatione* D. Genetti ad assessorem S. Officii, an. 1704; *voto* consultoris S. Officii, an. 1704; *voto* card. Casanata, qui erat *Relator* in causa, de qua dictum est, calvinistæ galli, an. 1685 [4]; in quibus documentis aperte dicitur factum illud ordinationis Parkerianæ esse *tenebris involutum*, *dubium*, et, *licet verum esset, nihil ex illo concludi posse, rem proinde solvi posse et debere ex sola inspectione formarum ab anglicanis in ordinali adhibitarum.*

2. Quoad expositionem rituum anglicanorum a Joanne Gordon in sua petitione factam, verum est eam esse

[1] Cf. cit. *Responsionem* archiepiscoporum Angliæ ad bullam Leonis XIII, *Appendix*, p. 38-41.

[2] *Leonis XIII Acta*, Romæ, 1897, t. XVI, p. 266.

[3] Vide Le Quien, *loc. cit.*, t. II, p. LXXIII (licet rem paulo aliter narret Gordon, ac ipse Le Quien; sunt enim paulo diversæ hujus fabulæ narrationes, quæ tamen quoad substantiam conveniunt).

[4] Quæ documenta, ex archivo S. Officii deprompta, publici juris fecit Brandi, p. 253, 260, 263.

truncam et etiam aliqua ex parte falsam, sed non minus verum est decretum Clementis nullo modo niti hac expositione, bene vero *inspectione ipsius ordinalis anglicani*, quale tunc temporis adhibebatur. — Certum enim est exemplar *ordinalis anglicani* missum fuisse, an. 1685, ad S. Officium a D. Tanari, qui tunc erat internuntius Bruxellis; quod exemplar adhuc extat in archivo S. Officii, inter *Acta* an. 1704[1]. Imo, cardinalis Casanata, qui recepit hoc *ordinalis* exemplar, ut rectius illud interpretari posset, jussit fieri latinas translationes formarum ab Armenis, Maronitis, Syris, Jacobitis et Nestorianis adhibitarum[2]. — Unde *decretum* Clementis, an. 1704, nititur, non expositione Gordoniana, sed inspectione *ordinalis* anglicani, cum ritualibus orientalibus collati; et ideo iterum iterumque affirmat dictus card. Casanata, relator causæ an. 1685, successionem episcoporum in Anglia defecisse *propter insufficientiam formarum* ab anglicanis in ordinationibus adhibitarum[3].

3. Quoad *omissionem traditionis instrumentorum*, de ea quidem agitur aliquando in duabus causis an. 1685 et 1704; sed certum est hanc non esse causam, saltem præcipuam et potissimam, decisionum his in causis editarum; nam: 1. Tunc temporis, nempe an. 1685, et postea, non amplius habebatur, Romæ aut alibi, *traditio instrumentorum* ut ritus *certo essentialis* ordinationum, sed ad summum ut ritus *dubie essentialis;* jam enim a pluribus annis (an. 1655) Morinus suum egregium opus *De sacris ordinationibus* ediderat, in quo ostendit traditionem instru-

[1] Primam paginam hujus *Ordinalis* ope photographiæ exhibet Brandi, p. 252; cf. p. 181-182.

[2] Ut ipse asserit in sua *Relatione*, Brandi, p. 257; quæ translationes adhuc extant in archivo S. Officii, inter *Acta* an. 1704; *ibid.*, p. 181.

[3] Brandi, p. 255, 259.

mentorum esse recentem in Ecclesia latina, nec adhiberi in Ecclesia græca, nec apud plerosque Orientales; unde gravissimi theologi, jam eo tempore, concludebant hunc ritum esse mere *accidentalem*, aut ad summum *dubie essentialem :* quæ opinio vigebat etiam in S. Officio[1]; — 2. Unde quando, in aliqua ordinatione, omissa fuerat *traditio instrumentorum*, jubebat quidem S. Officium iterari ordinationem, sed tantum sub *condicione*[2], dum Joannes Gordon jussus est recipere omnes ordines *absolute* et sine ulla condicione.

Ex his ergo omnibus patet decretum S. Officii aut potius Clementis XI, an. 1704, esse revera decretum *generale*, quia, licet editum sit in casu speciali, nititur tamen causis generalibus, nempe insufficientia formarum et proinde defectu intentionis; quæ causæ attingunt omnes ordinationes juxta eumdem ritum Eduardianum peractas. Revera ab hoc tempore magis adhuc firmata est praxis *ordinandi ex integro et absolute ministros anglicanos*, qui, ad fidem catholicam conversi, militare Deo optant in ordine ecclesiastico : qui casus sat frequenter fuerunt ab anno 1845.

E. *Bulla Leonis XIII.* — Ut ex dictis patet, « non videt nemo controversiam temporibus nostris exsuscitatam, *apostolicæ Sedis judicio definitam multo antea fuisse ;* » sunt verba Leonis XIII, in bulla *Apostolicæ curæ*, id sept. an. 1896, § *Quæ cum ita sint*[3]. Cum autem, præsertim ab anno 1870, vividior excitata fuisset controversia, quibusdam anglicanis, nonnullis etiam catholicis, asserentibus ordinationes anglicanas esse validas, aut saltem non esse certo invalidas, placuit Leoni XIII permittere novum

[1] Cf. *Votum* vicarii apostolici Hollandiæ, itemque *Votum* card. Casanata, quæ Brandi ex archivo S. Officii edidit, p. 241, 255.

[2] Cf. infra, n. **295**.

[3] *Leonis XIII Acta*, t. XVI, Romæ, 1897, p. 267.

rei examen[1]. Liberrime ergo causa de novo disputata, multisque hac de re habitis congressibus et congregationibus, prodiit tandem bulla *Apostolicæ curæ*, in qua Leo XIII sic rem declarat : « Itaque omnibus Pontificum decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes, eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes, auctoritate nostra, motu proprio, certa scientia, pronuntiamus et declaramus, *ordinationes, ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas*[2]. » Argumenta autem quæ profert sunt ea ipsa tria, quæ supra proposita sunt, nempe *judicia et praxis Sedis apostolicæ*, *defectus formæ*, *defectus intentionis*.

[1] Vide supra, n. **281**, opera quæ hac occasione scripta sunt.
[2] *Leonis XIII Acta*, t. XVI, p. 273.

CAPUT III

DE RITIBUS ESSENTIALIBUS ORDINATIONUM INFERIORUM

§ 1. De ritu essentiali subdiaconatus.

284. — De ritu essentiali subdiaconatus in Ecclesia latina.

1° *Prævia.* — Non agitur de prioribus Ecclesiæ sæculis, in quibus, Romæ, subdiaconatus collatus censebatur, ut supra (n. **196**, dictum est, per *solam calicis traditionem*[1], sed de temporibus recentioribus, in quibus subdiaconatus confertur juxta *Pontificale Romanum*. Quatuor autem in hac ordinatione sunt ritus (supra, n. **212**), nempe *traditio calicis et patenæ cum relativa oratione; traditio urceolorum cum bacili et manutergio; impositio vestium; traditio libri epistolarum.*

2° *Materia certa.* — Certum est, apud omnes[2], *traditio-*

[1] Nam illa oratio *Intercedente*, omnino generalis et indeterminata, quæ potuerit applicari omnibus sacramentis et sacramentalibus, non videtur pertinuisse ad ritum essentialem subdiaconatus; unde de ea non agitur apud *Statuta Eccl. antiqua.*

[2] Excepto forsan uno vel altero, v. g., Viguierio, apud Morinum qui

nem calicis vacui cum patena vacua esse materiam subdiaconatus, tum quia hic ritus antiquissimus est (ut constat ex supra expositis subdiaconatus ritibus), imo solus adhibitus per multa sæcula in magna parte Ecclesiæ occidentalis; — tum quia hanc solam materiam memorat supra (n. **254**, 3°) citatum Eugenii IV decretum ad Armenos : « Subdiaconatus vero (traditur) per *calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem.* »

3° *Materia dubia.* — Quidam auctores traditioni calicis et patenæ addunt, tanquam materiam partialem, *traditionem libri epistolarum,* tum quia, aiunt, *Pontificale romanum* adhuc eos vocat *ordinandos,* qui nondum receperunt librum epistolarum, *ordinatos* vero qui receperunt; — tum quia verba huic materiæ respondentia, nempe, *Accipite librum epistolarum, et habete potestatem,* etc., significant aliquam potestatem tunc conferri ordinandis. Ita Reiffenstuel, d'Annibale, etc.; quod *probabile* putat Hallier[1]. — Verum communiter rejicitur hæc opinio, quia recentissimus est hic ritus in ordinatione subdiaconatus, ut supra visum est n. **203**, 3°. Scio hic agi de institutione mere ecclesiastica, et proinde plena Ecclesiam potestate pollere ritus novos addendi; sed duplici modo ritum novum addere potest Ecclesia, nempe vel ad *validitatem*, vel tantum ad *licitatem*, sicut addidit, in hac ipsa ordinatione, impositionem manipuli, tunicæ, amictus; ergo, ut censeatur Ecclesia novum ritum addere *ad validitatem*, oportet ut clare explicet suam mentem; nam, juxta regulam 30 juris in VI, « in obscuris minimum est sequendum, » eo magis

horum opinionem tanquam *omnino improbabilem* carpit; Morinus, part. III, exercit. XII, c. I, n. 6, p. 173.

[1] Reiff., *Theologia Moralis,* Augustæ Vindelicorum, 1777, t. II, tract. VI, dist. XII, n. 24, p. 746; — d'Annibale, t. III, ed. 3, n. 290, p. 240; — Hallier, *loc. cit.,* part. II, sect. II, c. II, art. 1, n. 45-46, ed. Migne, col. 763.

quod nullitates et irritationes non præsumantur. Unde communissime tenent doctores, juxta cit. decretum Eugenii IV ad Armenos, sufficere traditionem calicis et patenæ. Ita D. Thomas, S. Antoninus, Vasquez, Vuitasse, Tournely, L. Habert, Schmalzgrueber, Billuart[1], etc.

4° Negligendam putaverim opinionem Durandi, qui traditioni calicis et patenæ addit, ut ritum etiam substantialem, *traditionem urceolorum cum bacili et manutergio*[2]; item opinionem Medinæ, qui traditioni calicis et patenæ, et traditioni libri epistolarum, addit, ut materiam partialem, *impositionem manipuli et tunicæ*[3]; licet Morinus has duas opiniones *non esse improbabiles* dicat[4].

5° Quoad *formam* subdiaconatus, plerique dicunt aut supponunt hanc esse solam formulam : *Videte cujus ministerium*, etc., quam episcopus pronuntiat, dum tradit calicem et patenam; verum hæc formula, ut jacet, recens est, et insuper nimis est indeterminata; unde puto ei adjiciendam esse, ut complementum formæ, orationem *Domine sancte*, quæ est antiquissima et olim vocabatur *benedictio subdiaconi*. Ita etiam Vuitasse[5].

285. — De ritu essentiali subdiaconatus in Ecclesia orientali.

1° In Ecclesia græca, ritus essentialis subdiaconatus constat tum *impositione manuum*, quam tamen Græci plu-

[1] D. Thomas, Suppl., q. XXXVIII, art. 1, ad 2; — S. Antoninus, *loc. cit.*, c. XVI, n. 4, col. 740; — Vasquez, *loc. cit.*, disp. CCXXXVIII, c. II, p. 544; — Vuitasse, *loc. cit.*, part. II, q. IV, art. 3, p. 432; — Tournely, q. VI, art. 4, p. 602; — Habert, *loc. cit.*, part. I, c. VII, p. 154; — Schmalzg., in tit. *De temporibus ordinationum*, n. 5; — Billuart, *loc. cit.*, diss. II, art. 3, p. 151.

[2] *Rationale*, etc., lib. II, c. VIII, n. 3, p. 56.

[3] Apud Morinum, *loc. cit.*, exercit. XII, c. I, n. 3, p. 172.

[4] *Ibid.*, n. 4-5.

[5] *Loc. cit.*, p. 434.

res vocant non χειροτονίαν, quæ est impositio manuum pro tribus ordinibus majoribus, sed χειροθεσίαν [1], tum *oratione relativa;* alii ritus sunt recentes.

2° In aliis ritibus orientalibus, idem fere dicendum est, nisi quod apud Maronitas et Armenos addita fuerit *traditio calicis et patenæ*. Apud Nestorianos, non fit manuum impositio; cf. supra, n. **233.**

§ 2. De ritu essentiali acolythatus, exorcistatus et ostiariatus.

286. — De acolythatu.

1° Duplex est ritus essentialis acolythatus, nempe : 1. traditio ceroferarii cum cereo, cum verbis relativis : *Accipite ceroferarium*, etc.; — 2. traditio urceoli vacui, cum verbis respondentibus : *Accipite urceolum*, etc. — Ceroferario substitui nequit *palmatoria* episcopi, ut de se patet, et respondit S. Rit. Congr. in *Bracharen.*, die 8 junii 1709, ad 4 [2].

2° Utraque traditio constituit *materiam;* verba vero relativa constituunt *formam* sufficientem, etiam independenter ab orationibus antiquissimis quæ sequuntur.

287. — De exorcistatu. — Ritus essentialis exorcistatus constat traditione libri exorcismorum, ut *materia*, cum verbis relativis : *Accipite, et commendate memoriæ*, etc., quæ constituunt *formam* sufficientem. — Loco *libri exorcismorum* tradi potest *Pontificale*, vel *Missale*, ut fert ipsa rubrica *Pontificalis Romani.*

288. — De ostiariatu. — Ritus essentialis ostiariatus constat traditione clavium ecclesiæ, ut *materia*, cum ver-

[1] De quo cf. Goar, *Euchologium Græcorum*, p. 247, not. 11.
[2] *Decreta authentica*, n. 2194, t. II, p. 9.

bis relativis : *Sic agite*, etc., quæ *formam* constituunt. Imo, ad validitatem, sufficit ut tradatur *una quæcumque clavis*, licet non sit clavis ecclesiæ, uti respondit S. Rit. Congr., in *Civitaten.*, 11 martii 1820, ad 7 : « Quamvis una clavis esse possit *materia sufficiens* pro ordinatione ostiarii, servandam tamen esse rubricam, quæ præcipit *claves* esse tradendas, quæ sive argenteæ sint, sive ferreæ, sive ligneæ, dummodo aptæ sint ad aperiendum, constituunt materiam remotam hujus ordinis[1]. » Sacra autem Congregatio de Prop. Fide, die 27 sept. 1843, huic quæsito : « An in ordinatione ostiariorum possit omitti traditio clavium, aut oporteat uti clave qualicumque, » respondit : « *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*[2]. » — Ceteri autem ritus, nempe quod ordinandus, duce archidiacono vel alio ejus vicibus fungente, claudat et aperiat ostium ecclesiæ, et, apprehenso fune, pulset campanas, non requiruntur *ad validitatem*, sed tantum *de præcepto*. Imo, etiam ratione præcepti, non requiritur ut ordinandus claudat et aperiat ostium ecclesiæ *cum clavi*[3]; nec ut pulset plures campanas, sed una sufficit, et, deficiente campana, tintinnabulum altaris[4].

N. B. — Apud Armenos in usu sunt hæ tres ordinationes, cum iisdem ritibus essentialibus.

[1] Hæc quidem responsio omissa est in novissima collectione decretorum S. Rit. Congr., sed tamen adhuc valet, cum non sit revocata explicite nec implicite in hac novissima collectione. Responsio enim diei 20 junii 1899, in *Romana*, ad 5, non loquitur de *validitate*, sed tantum de *praxi; Decreta authentica*, n. 4035, t. III, p. 366. — Quoad textum responsionis die 11 martii 1820, vide eum in *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 1189, p. 404, vel in *Collectione Gardelliana*, ed. 2, Romæ, 1826, t. VII, p. 11.

[2] *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 1197, p. 406.

[3] S. Rit. Congr., in una *Marsorum*, 12 nov. 1831, ad 5, *Decreta authentica*, n. 2682, t. II, p. 233.

[4] S. Rit. Congr., in *Erien.*, 27 sept. 1873, ad 2, 3, 4, *ibid.*, n. 3315, t. III, p. 40.

§ 3. De ritu essentiali lectoratus aut cantoratus.

289. — De lectoratu in Ecclesia latina. — Ritus essentialis constat tum traditione codicis lectionum, ut *materia*, tum verbis relativis : *Accipite, et estote*, etc., quæ *formam* constituunt. — Per *codicem* autem illum, qui tradendus est, intelligitur vel *Missale*, vel *Breviarium*, vel volumen sacræ Scripturæ, ut respondit S. Rit. Congr. in cit. *Erien.*, 27 sept. 1873, ad 5[1].

290. — De lectoratu aut cantoratu in Ecclesia græca. — Textus euchologiorum editorum habet : Καὶ τρίτον τὴν τούτου κεφαλὴν σφραγίζων, ἐπιτίθησιν αὐτῷ τὴν χεῖρα, καὶ[2], etc. Unde controvertitur inter doctores græcos utrum *trina signatio crucis* in capite clerici sit materia lectoratus, an potius *impositio manus*. Quam controversiam dirimere feliciter videtur Goar, dicens materiam esse *crucis signationem factam ab episcopo manu super caput clerici extensa vel imposita*[3]. Forma autem est oratio *Domine Deus omnipotens*, etc. Et item pro cantoratu.

291. — De lectoratu et cantoratu in aliis Ecclesiis orientalibus. — 1. Apud Ecclesias orientales, exceptis Cophtis et Armenis, ritus essentialis lectoratus constat *impositione manuum* et *oratione consecratoria;* — 2. Apud Cophtos, loco impositionis manuum quæ prohibetur, episcopus bis « tenet tempora » ordinandi, cum binis orationibus consecratoriis; — 3. Apud Armenos, lectoratus confertur sicut in Ecclesia latina; — 4. Apud

[1] *Decreta authentica*, n. 3315, t. III, p. 40.
[2] *Euchologium*, an. 1873, p. 129.
[3] *Euchologium*, *Notæ in ordinationem lectoris*, not. 10, p. 241-242.

Maronitas, præter lectoratum (qui confertur sicut apud alios orientales, adest *cantoratus*, qui confertur oratione et traditione libri psalmorum (vide ritus supra, n. **227, 228,** descriptos).

§ 4. De ritu essentiali primæ tonsuræ.

292. — De prima tonsura in Ecclesia latina. — Ritus essentialis primæ tonsuræ constat his duobus : 1. Episcopus incidit, modo dicto in *Pontificali*, capillos ordinandi, nempe capillos ejus proprios, non comæ adscitiæ[1]; 2. Interea ordinandus recitat formulam : *Dominus pars*, etc. — Hæc quidam verba pariter, juxta morem, recitat ipse episcopus, ut respondit S. Rit. Congr., in una *Marsorum*, 12 nov. 1831, ad 3[2]; sed hæc recitatio episcopi non pertinet ad ritum essentialem primæ tonsuræ, cum non præscripta sit in *Pontificali;* item impositio superpellicei cum verbis relativis pertinere non videtur ad substantiam ritus, cum sit recentissima, ut dictum est supra, n. **208;** pariter non requiritur ad validitatem, sed tantum ad liceitatem, quod ordinandus ad primam tonsuram accedat *veste clericali indutus*.

293. — De prima tonsura in Ecclesiis orientalibus. — In Ecclesia græca et ceteris orientalibus, ritus essentialis primæ tonsuræ constat, fere sicut in Ecclesia latina, *detonsione capillorum* et congrua *formula* seu *oratione;* verum hic ritus differt a nostro, in eo quod apud

[1] Quo casu, collatio primæ tonsuræ esset dubia, ut colligitur ex S. Rit. Congr. responsione in *Romana*, 25 sept. 1846 (*Decreta auth.*, n. 2919, t. II, p. 339), in qua collationem tonsuræ eo modo peractam sanavit ad cautelam Rom. Pontifex.

[2] *Decreta auth.*, n. 2682, t. II, p. 233.

nos, tonsura conferri potest separatim a primo ordine minori, dum, apud Orientales, tonsura non confertur separatim a primo ordine minori, licet ambo ritus remaneant distincti. — Excipiuntur Armeni, apud quos tonsura conferri videtur etiam separatim ab ostiariatu [1].

[1] Cf. Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. II, p. 274; t. I, p. 127.

CAPUT IV

DE REPARANDIS ORDINATIONUM DEFECTIBUS

294. — Prævia. — 1. Sunt defectus quibus *periclitatur ipsa validitas ordinationis,* nempe quando ritus omissus (vel dubie positus) est *certo* vel *probabiliter* essentialis, juxta varias opiniones supra, in cap. II et III, expositas de ritibus essentialibus ordinationum ; hi vocantur defectus *essentiales*, certo vel probabiliter ; sunt alii defectus quibus, in tuto posita ordinationis validitate, *deficit integritas rituum, quos præscripsit Ecclesia,* v. g., si omittatur impositio indumentorum, casulæ, dalmaticæ, tunicæ, stolæ, etc.; sunt hi defectus *accidentales.*

2. Si agatur de defectu *essentiali,* semper et omnino reparandus est, sive sit *certo* essentialis, quod clarum est, sive etiam sit tantum *probabiliter* essentialis. — Ratio desumitur ex magnis et innumeris malis quæ sequi nata sunt ex invalida ordinatione ; cum ergo illicitum sit sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, uti decrevit Innocentius XI[1], a fortiori id dicendum est de

[1] Propositio I inter damnatas ab Innocentio XI, die 4 martii 1679,

sacramento ordinis; et proinde si, peracta ordinatione, occurrat defectus *probabiliter* essentialis, reparandus est, etiamsi optima fide positus sit; validitas enim ordinis non pendet ex nostris opinionibus aut bona conscientia, sed ex institutione Christi. Unde, hac in re, Ecclesia rationem habet opinionum probatorum auctorum, licet sint opinionibus contradictoriis minus probabiles[1].

3. Si agatur de defectu *accidentali*, distinguendum est : vel lex ecclesiastica aut jura tertii servanda defectus reparationem urgent, vel non; in priore casu, defectus reparandus est, ut clarum est; in posteriore casu, non adest obligatio reparationis : Ecclesia jubet quidem omnes ritus in ordinatione, sicut in aliis sacramentis, accurate servari[2]; sed, peracta ordinatione, quæ certo, ut supponitur, valida est, non sunt supplendi ritus forsan omissi; sicut, missa finita, non est obligatio reparandi omissionem hujus vel illius cæremoniæ (seclusa lege ecclesiastica).

§ 1. De reparandis defectibus essentialibus.

Ut tutius hac in re procedam, sub oculis ponam praxim S. Romanarum Congregationum, præsertim S. Officii, percurrendo decisiones et responsiones quas his in rebus ediderunt.

295. — De presbyteratu.

A. Quoad *porrectionem instrumentorum*, nempe calicis cum vino et patenæ cum hostia :

Bull. Rom., t. VIII, p. 82; habes etiam has propositiones apud Denzinger, *Enchiridion*, etc., n. 1018 sq., Wirceburgi, 1865, p. 323.

[1] Modo tamen sint serio probabiles; sic in usu communi negliguntur opiniones auctorum qui impositionem vestium sacrarum, aut baculi et annuli, etc., dicunt esse materiam saltem partialem ordinis.

[2] Cf. conc. Trid., can. 13, sess. VII, De sacramentis in genere.

1. Si totaliter defecerit porrectio instrumentorum, integra ordinatio iteranda est sub condicione, uti decrevit S. Congr. Conc., in casu alicujus ordinandi qui, ad alia distractus, non accessit ad episcopum instrumenta aliis ordinandis porrigentem. Quem casum narrat Benedictus XIV, *De Synodo,* lib. VIII, c. x, n. 1, 12, 13.

2. Si facta sit quidem porrectio, sed ab alio quam ab episcopo ordinante, item integra ordinatio sub condicione iteranda est, uti decrevit Clemens VIII in casu episcopi Sagiensis qui, per 36 annos, presbyteros ordinaverat, curando ut ritus porrectionis instrumentorum perageretur ab aliquo ex suis presbyteris assistentibus. Factum in extenso refert Le Quien [1]. — Idem decidit Innocentius XII, in S. Officio, feria V, die 4 augusti 1697, in casu episcopi Abellinensis, qui quidem ipse pronuntiabat verba : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo,* etc., sed (quia chiragra laborabat) instrumenta per alium tradi curabat [2].

3. Si defuerit *hostia* in patena, integra ordinatio sub condicione iteranda est, uti decidit Congr. S. Officii, tum feria IV, die 6 julii 1898, tum feria IV, die 17 jan. 1900 [3]; item bis S. Congregatio Conc., 19 nov. 1707 et 11 febr. 1708 [4]. — Ratio est quia, ut supra dictum est (n. **262**),

[1] Le Quien, *Nullité des ordinations anglicanes,* Paris, 1725, t. II, p. 388-393, ubi documenta authentica refert. — Rem etiam narrat Riganti, in *Regulam 24 Cancellariæ,* § 1, n. 20-22, Coloniæ Allobrogum, 1751, t. II, p. 315.

[2] Rem in extenso referunt Riganti et Le Quien, *loc. cit.;* decretum Innocentii XII habes apud Brandi, *Rome et Cantorbéry,* p. 143, et apud *Acta S. Sedis,* t. XXIX, p. 561. — Huic decisioni an. 1697 non opponitur recentissima decisio S. Officii, die 2 dec. 1896, *Acta S. Sedis,* t. XXIX, p. 560, in qua rescripsit : *Acquiescat,* quia in hoc ultimo casu *timor tantum erat,* ne episcopus non tetigisset instrumenta porrecta.

[3] *Acta S. Sedis,* t. XXXI, p. 123; t. XXXII, p. 556.

[4] Pallottini, *Collectio Resolutionum S. Congr. Conc.,* v° *Sacramentum ordinis,* § 1, n. 5, t. XVI, p. 67.

cum ista porrectio et traditio instrumentorum non sit materia ordinis nisi ex *institutione Ecclesiæ*, intelligenda est eo modo quo illam intelligit Ecclesia; porro intelligit Ecclesia instrumenta esse *calicem cum vino et patenam cum hostia*.

4. Si defuerit *vinum* in calice, item, et propter eamdem rationem, integra ordinatio sub condicione iteranda est, uti decidit Congr. S. Officii, feria IV, die 11 jan. 1899[1]. — De aqua cum hoc vino miscenda, attendenda est sequens ejusdem Congregationis resolutio : « Occasione cujusdam sacræ ordinationis, compertum fuit in calicem, qui ad ordinationem presbyterorum fuerat adhibitus, a ministris infusum fuisse cum vino tantum aquæ, ut credatur hæc paulo superasse quintam partem. Hisce positis, quæritur : Utrum valida censeri possit ordinatio præfata? » Cui dubio respondit Congregatio, feria IV, die 11 martii 1903 : « Acquiescat; » quæ resolutio die sequenti a Leone XIII approbata fuit[2]. Cf. etiam cap. *Perniciosus*, 13, De celebratione missarum.

5. Si ordinandus non tetigerit *hostiam*, bene vero calicem et patenam, acquiescat; imo nullum prorsus est præceptum tangendi hostiam (sicuti nec tangendi vinum), ut constat ipso textu *Pontificalis :* « Cuppam calicis et patenam simul tangunt. » — Unde in hoc sensu respondit Congr. S. Officii, feria IV, die 17 jan. 1900[3].

6. Si quis tetigerit calicem, *non patenam*, acquiescat, tum quia calix et patena traduntur *per modum unius*, tum quia calix, relative ad suam patenam superpositam, est quasi *continens* (supra, n. **264**.. Unde, cum quis dubitaret utrum tetigisset patenam, necne, bis respondit S. Officium :

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 640.
[2] *Acta S. Sedis*, t. XXXVI, p. 115; — *Canoniste*, t. XXVI, an. 1903, p. 582.
[3] *Acta S. Sedis*, t. XXXII, p. 557-558.

Acquiescat, nempe feria III, loco IV, die 7 sept. 1897 et feria IV, 14 dec. 1898[1].

7. Si quis tetigerit patenam, *non calicem*, acquiescat, uti respondit S. Officium, feria IV, die 17 martii 1897[2]; in quo etiam sensu respondisse videtur S. Rit. Congr., die 3 dec. 1601[3]. — Ratio est quia, ut dictum est, calix et patena porriguntur et tanguntur *per modum unius*[4].

8. Si quis tetigerit *hostiam*, loco patenæ, acquiescat, quia patena et hostia sunt moraliter *quid unum*, ut continens et contentum[5]; suppono tamen hunc præterea tetigisse calicem. — Si vero nec patenam nec calicem tetigerit, sed solam hostiam, consuluerim iterationem ordinationis.

9. Si quis tetigerit calicem et patenam, sed non simul, nec eo temporis momento, quo episcopus verba formæ proferebat, acquiescat; quia hæc omnia *moraliter uniuntur;* ita S. Officium, feria IV, die 17 martii 1897[6]; — item si quis calicem et patenam tetigerit, sed non digitis debitis; ita S. Officium, eodem die[7].

10. Si episcopus, porrigendo calicem et patenam, verba formæ (*Accipe potestatem*, etc.) interruperit, sed ad pauca momenta, valida est ordinatio; ita S. Officium, feria IV, die 20 aprilis 1898[8].

B. *Quoad duas priores impositiones manuum :*

1. Si prima manuum impositio (quæ fit silentio) facta fuerit

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXX, p. 286; t. XXXI, p. 530.

[2] *Ibid.*, t. XXIX, p. 703.

[3] *Decreta auth.*, n. 1221, t. I, p. 252; in hac specie agi videtur de scrupuloso.

[4] Unde relinqui posse videtur supra relata (n. **264**) decisio (non publicata) S. Congr. Conc., in *Santandrien.*

[5] S. Alph., lib. VI, n. 751, hoc dicit esse *probabilissimum* et *fere certum;* consulit tamen iterationem ordinationis.

[6] *Acta S. Sedis*, t. XXIX, p. 704.

[7] *Ibid.*, p. 703.

[8] *Ibid.*, t. XXX, p. 750.

sine tactu physico, integra ordinatio sub condicione iteranda est, uti decidit Congregatio S. Officii, feria IV, 4 julii 1900 [1], quae jam censuerat, 19 aug. 1851, non sufficere impositionem *sine tactu physico* [2]. — Sufficit tamen, ut supra (n. **264**) dictum est, si episcopus imponat manus cum chirotecis, vel tangat caput pileolo aut coma adscititia coopertum.

2. Si secunda impositio manuum, quae vocari potest *collectiva* (quia fit super omnes simul ordinandos), omissa fuerit, integra ordinatio sub condicione iteranda est, uti recentissime ter respondit S. Officium, nempe feria IV, 17 martii 1897; feria IV, 6 julii 1898; feria IV, 19 julii 1899 [3]. — Verumtamen, quoad hanc secundam impositionem manuum, non est necesse (ad validitatem ordinationis), ut fiat *toto tempore*, quo episcopus recitat invitatorium *Oremus fratres carissimi*, etc., nec etiam ut fiat, *dum hoc invitatorium recitat*, sed sufficit quod episcopus hanc impositionem collectivam peragat vel *ante*, vel *post* invitatorium, ita ut impositio et verba moraliter uniantur. — In quo sensu respondit S. Officium feria IV, 12 sept. 1877; feria IV, 30 nov. 1898; iterum, 30 nov. 1898; feria IV, 14 dec. 1898 [4].

3. Cum aliquis episcopus omisisset primam et secundam impositionem, easque, de omissione monitus, peregisset post communionem, cum recitatione tantummodo invitatorii *Oremus fratres charissimi*, etc., S. Officium integram ordinationem sub condicione iterari jussit, feria IV, 22 aug. 1900 [5]. — Quod de se intelligitur; tunc enim vera

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXXIII, p. 128.
[2] *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, n. 1199, p. 406.
[3] *Acta S. Sedis*, t. XXX, p. 285; t. XXXI, p. 124; t. XXXII, p. 188.
[4] *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 506-507, 508, 531.
[5] *Acta S. Sedis*, t. XXXIII, p. 224.

ordinationis forma, nempe *Præfatio*, moraliter unita non erat cum materia, nempe impositione manuum.

C. *Quoad tertiam impositionem manuum :*

1. Si hæc facta fuerit *sine tactu physico*, omnino supplenda est cum tactu physico, ut constat cit. decisione S. Officii, 19 aug. 1851 [1], non vero tota iteranda est ordinatio, uti per se patet et deducitur ex sequentibus decisionibus. — In decisione 8 junii 1898, cum non esset nisi dubium *negativum* de omissione tactus physici, respondit S. Officium *acquiescendum esse* [2].

2. Cum aliquis episcopus ita verba formæ turbaverat : *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, retenta sunt, et quorum retinueris, remissa sunt*, S. Officium jussit, feria IV, 27 maii 1840, suppleri tertiam impositionem manuum cum debita forma, non vero iterari ritus antea peractos. Quam decisionem S. Rit. Congregatio transmisit, in simili prorsus casu, episcopo Vivariensi, 22 maii 1841 [3]. Decisionem suam iteravit S. Officium, 4 maii 1874 [4].

296. — De diaconatu.

A. Si facta fuerit impositio manuum *sine tactu physico seu corporali*, integra iteranda est ordinatio sub condicione, uti bis respondit S. Officium, nempe feria IV, 20 jan. 1875, et item feria IV, 26 jan. 1898 [5]. Unde non sufficeret tantum *supplere* illam impositionem manuum ; et ex his decretis explicari debet antiquius decretum 19 aug. 1851, supra cit., ex quo sufficere videretur *supplere* impositionem.

[1] *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, n. 1199, p. 406.

[2] *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 60.

[3] *Decreta auth.*, n. 2836, t. II, p. 302, ubi habes in extenso decretum S. Officii.

[4] Apud Bucceroni, *Enchiridion morale, De ordine sacro*, Romæ, 1887, p. 139.

[5] *Acta S. Sedis*, t. XXX, p. 157, 477.

B. Si omissa fuerit traditio libri Evangeliorum (vel, ejus loco, *Missalis*[1]) supplendus est iste ritus, non vero iteranda tota ordinatio; ita ex responsione S. Rit. Congr., in *Taurinen.*, 16 junii 1837[2].

297. — De episcopatu. — Nulla fere responsa sacrarum Congregationum prolata sunt de consecratione episcopali, quia nimirum ritus iste, in suis essentialibus elementis, simplicissimus est; unde sufficiat hæc dicere :

1. Si omissa fuerit impositio manuum cum *tactu corporali,* integra ordinatio iteranda est sub condicione, ut a pari deducitur ex supra dictis de hac impositione in presbyteratu et diaconatu. — Verum, si tactus corporalis omissus fuerit tantum ex parte unius vel utriusque episcopi assistentis, nil iterandum aut supplendum est, modo episcopus consecrator rite omnia peregerit.

2. Si omissa fuerit totaliter impositio libri evangeliorum super cervicem electi, licet opinio (supra, n. **271**) quæ tenet hanc esse materiam partialem episcopatus, nulla fruatur probabilitate, puto tamen hunc ritum esse supplendum, propter suam remotissimam antiquitatem, et tunc, libro rite imposito, recitandas esse orationes quæ correspondent, nempe orationem *Propitiare* et totam *Præfationem*, omissis iis quæ respiciunt unctiones. — Si vero, ut in specie quæ proposita est S. Officio die 10 julii 1901, liber quidem impositus est, sed *serius,* nil supplendum est, uti decidit hac die S. Officium, sed *Acquiescendum*[3].

3. Si omissa fuerit traditio libri evangeliorum clausi, licet opinio Durandi et Hallier, qui tenent hanc etiam esse materiam partialem, non videatur probabilis, puto tamen

[1] S. Rituum Congr., in *Erien.*, 27 sept. 1873, ad 7, *Decreta auth.*, n. 3315, t. III, p. 40.

[2] *Decreta auth.*, n. 2767, t. II, p. 273.

[3] *Acta S. Sedis*, t. XXXIV, p. 419-420

hunc ritum esse supplendum, ut aliquo modo ratio habeatur hujus opinionis.

298. — De subdiaconatu. — Sufficiat hæc dicere :

1. Si omissa fuerit traditio calicis et patenæ, integra ordinatio absolute est iteranda, ut patet. — Calix et patena debent esse vacui ; si tamen vinum in calice sit aut hostia in patena, valida est ordinatio; posita enim intentione episcopi ordinantis, remanet significatio ministerii diminuti subdiacono traditi, sicut si eidem subdiacono tradatur, non liber epistolarum, sed missale, quod continet evangelia[1].

2. Si ordinandus tetigerit calicem, non patenam, acquiescat, tum quia nullum est præceptum tangendi patenam, ut patet ipso textu *Pontificalis Romani*, tit. De ordinatione subdiaconi; tum quia calix et patena porriguntur *per modum unius*. — Unde etiam sufficit, si quis tetigerit patenam, non calicem, ut constat a fortiori ex dictis supra de presbyteratu (n. **295**).

3. Si defuerit *tactus physicus* instrumentorum, integra ordinatio iteranda est sub condicione, ut dictum est de ordinationibus superioribus.

4. De ipsa consecratione calicis et patenæ, cf. supra dicta de presbyteratu (n. **263**).

5. Si omissa fuerit traditio libri epistolarum (vel, ejus loco, *Missalis*[2]), ritus mere supplendus est, uti respondit S. Congr. Conc., in una *Ordinis Capuccinorum seu Senogallien.*, 10 jan. 1711[3].

[1] Scavini, *Theologia*, tract. xi, *De ordine*, n. 397, ed. Parisiis, 1863, t. iv, p. 465.

[2] S. Rit. Congr., in *Erien.*, 27 sept. 1873, ad 7, *Decreta auth.*, n. 3315, t. iii, p. 40.

[3] Pallottini, *Collectio Resolutionum S. C. C.*, v° *Sacramentum ordinis*, § 1, n. 6, t. xvi, p. 67.

299. — De ordinibus minoribus et prima tonsura.

1. Quoad ordines minores, recolenda sunt quæ supra (n. **286** sq.) dicta sunt de ritibus eorum essentialibus; quod si omissus fuerit unus ex iis ritibus, iteranda est ordinatio absolute; si defuerit tactus physicus, iteranda est ordinatio sub condicione.

2. Quoad primam tonsuram, solus ritus essentialis est detonsio capillorum, cum recitatione, ex parte clerici, formulæ *Dominus pars*, etc. (cf. supra, n. **292**); si alterutrum defuerit, iteranda est ordinatio.

§ 2. De reparandis defectibus accidentalibus.

300. — De episcopatu.

1. Si sacræ unctiones omissæ fuerint, supplendæ sunt cum verbis relativis. Constat cap. *Cum venisset*, 1, De sacra unctione, in quo, cum quidam episcopus Bulgarus in sua consecratione sacram unctionem non recepisset, hæc præcepit Innocentius III: « Nos, *quod illi defuerat, mandavimus in ipso suppleri*, facientes caput ejus et manus per Albanensem episcopum, assistentibus ei duobus episcopis secundum morem ecclesiasticum, sacro chrismate deliniri. »

2. Si factæ quidem sint unctiones, sed non debito modo, v. g., quia factæ sunt cum oleo catechumenorum aut infirmorum, vel mutatis (non substantialiter), aut breviatis verbis formulæ respondentis, nihil est supplendum, ut concludo ex statim dicendis de presbyteratu.

3. Si omissum fuerit juramentum, quod emitti debet initio consecrationis, puto illud suppleri debere; hoc enim supplementum exigunt jura Rom. Pontificis, erga quem, vi

hujus juramenti, electus novis obligationibus, aut saltem novo vinculo, nempe juramenti adstringitur.

4. Ceteri ritus, v. g., impositio sacrarum vestium, annuli, baculi, etc., si forsan omissi sint, non necessario supplendi sunt; hoc enim supplementum nec ulla lex, nec ullius servanda jura exigunt.

301. — De presbyteratu.

1. Si omissa fuerit unctio manuum, supplenda est. Constat cit. cap. *Cum venisset*, 1, De sacra unctione, in quo Innocentius, loquens de unctione episcopi, intelligit etiam unctionem sacerdotalem et presbyteralem [1], cujus etiam refert formulam : *Consecrare et sanctificare digneris, Domine*, etc.

2. Si unctio facta fuerit cum *sacro chrismate* (loco olei catechumenorum), nihil est supplendum, uti respondit S. Officium, feria IV, 22 julii 1874 [2]. — Unde etiam concludo, si sacra unctio facta fuerit cum *oleo infirmorum*, nihil pariter esse repetendum, eo magis quod olim Pontificalia jubebant fieri unctiones vel ex *chrismate*, vel ex *oleo catechumenorum*, vel ex *oleo sancto* [3]; unde fieri quidem debent unctiones juxta *Pontificale*, cum *oleo catechumenorum;* sed si forte factæ fuerint cum *oleo infirmorum*, acquiescendum est [4].

3. Cum quidam episcopus, ungendo manus ordinandorum, dimidiatam tantum formulam nempe usque ad verba, *et nostram benedictionem, Amen*, pronuntiasset, errorem advertit cum unxit manus ultimi, et tunc pronuntiavit

[1] Reiff., in tit. *De sacra unctione*, n. 2.

[2] *Acta S. Sedis*, t. xxx, p. 157.

[3] Martène, *De antiquis ritibus*, lib. I, c. viii, art. 9, n. 14, Bassani, 1788, t. ii, p. 23.

[4] Ita etiam doctissimus scriptor periodici *Il monitore eccl.*, t. x, part. II, p. 164.

verba sequentia, nempe *Ut quæcumque benedixerint*, etc., intentione sua ea extendendo ad omnes ordinandos. — Respondit autem S. Officium, feria IV, die 28 nov. 1900: *Acquiescat*[1].

4. Si omissa fuerit promissio obedientiæ, in fine missæ, nihil supplendum esse putaverim; licet enim primo aspectu idem dici debere videatur de hac promissione obedientiæ, quod supra de juramento episcopi, notandum tamen ea promissione nullam novam induci presbyteri obligationem, imo nec fere novum vinculum, cum ista promissio non sit juramentum nec votum, sed simplex promissio.

5. Ceteri ritus, v. g., impositio casulæ, stolæ, etc., si forsan omissi fuerint, non sunt supplendi.

302. — De ceteris ordinationibus. — In ceteris ordinationibus, non supplendi sunt ritus accidentales qui sequuntur : 1. In diaconatu, impositio stolæ et dalmaticæ; — 2. In subdiaconatu, traditio urceolorum et impositio amictus, manipuli, tunicæ; — 3. In ostiariatu, apertio januæ, pulsatio campanarum; — 4. In prima tonsura, pronuntiatio formulæ *Dominus pars*-ab episcopo, impositio superpellicei.

§ 3. De modo reparandi defectus.

303. - De tempore. Circa tempora quibus reparari possint defectus ordinationum, distinguendum est :

1° Si omissus fuerit ritus *essentialis*, v. g., impositio manuum in presbyteratu vel diaconatu, defectus reparari nequit nisi in statutis temporibus pro collatione horum ordinum. — Constat clare cap. *Presbyter*, 3, De sacra-

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXXIII, p. 374.

MENTIS NON ITERANDIS : « Presbyter et diaconus, cum ordinantur, manus impositionem recipiunt; quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed, *statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos*, caute supplendum quod per errorem extitit prætermissum. »

2° Si omissus fuerit ritus *dubie essentialis*, controvertitur utrum, ad reparandum defectum, expectari debeant statuta tempora, an reparari possit quovis die. Agitata diu fuit controversia in Congr. S. Officii, an. 1697, in supra (n. **295**) relato casu episcopi Abellinensis qui, in ordinatione presbyterorum, instrumenta per alium tradi curabat. Plures presbyteri sic ordinati reordinati sunt *extra tempora*. Porro S. Congr. cum his dispensavit *ad cautelam* super pœnis forsan incursis, et rescripsit alios reordinandos esse *extra tempora*. Vide totam actorum seriem apud Riganti [1]. Ex his S. Congr. decisionibus non videtur soluta controversia. Verum recentius eadem S. Congregatio pluries rescripsit hujusmodi defectus reparari posse *quocumque die;* sic in pluribus casibus supra relatis, in quibus defuerat vel hostia, vel vinum, vel tactus physicus, vel secunda manuum impositio [2]. Unde videtur dici posse ita ferre jurisprudentiam S. Officii, ut prædicti defectus reparari possint *quocumque die*, id est, cum locutio ista *quocumque die* sit generalis, non tantum diebus festivis aut dominicis, sed etiam aliis [3]. — Revera prædictum cap. *Presbyter* agit de omissione ritus *certo essentialis*,

[1] *In regulam 24 Cancellariæ*, § 1, n. 18-27, p. 315.

[2] *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 123; t. XXXII, p. 556; t. XXXI, p. 640; t. XXXIII, p. 128; t. XXXI, p. 124.

[3] Semel aut iterum eadem S. Congr. rescripsit reparandum defectum *extra tempora:* quæ locutio non est adeo generalis, nec complecti videtur nisi festivos aut dominicos dies; ita in cit. causis 19 aug. 1851 et 19 julii 1899 (*Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, n. 1199; *Acta S. Sedis*, t. XXXII, p. 188).

cujus proinde decisio non est extendenda ad omissionem ritus *dubie essentialis*.

3° Si omissus fuerit ritus *accidentalis*, defectus reparari potest *quovis die*; quando enim jura statuunt certa tempora pro faciendis ordinationibus, agitur de proprie dictis ordinationibus, non autem de suppletione ritus accidentalis omissi.

4° Si *dubie tantum omissus fuerit ritus*, hæc ait S. Alphonsus : « Si *ob solum dubium* iteretur ordo sub condicione, vel cæremonia aliqua, poterit iterari *quovis die*, et a quovis episcopo, eodemque die poterunt simul conferri ordines tam majores quam minores, adhibitis solis solemnitatibus probabiliter necessariis ad valorem[1]. » — Revera jura quæ statuunt certa tempora, non respiciunt hos casus insolitos, sed veras et absolutas ordinationes.

304. — De ministro seu episcopo. — Hæc dicenda videntur :

1° Si supplendus sit ritus mere accidentalis, vel etiam, ob omissionem ritus dubie essentialis, iteranda sit ordinatio sub condicione, ordinatio, vel supplementum, peragi potest a *quocumque episcopo catholico*, etiam non proprio. — Ratio est quod leges quæ jubent ordinationes peragi ab episcopo proprio, non respiciunt nisi ordinationes proprie dictas et absolutas, non vero ista facta insolita, de quibus nunc agimus; lex enim non respicit nisi quæ communiter contingere solent[2]. — Unde Congregatio S. Officii non semel respondit has ordinationes sub condicione iterandas peragi posse a quovis episcopo catholico[3]. — Quod a fortiori tenendum est, ubi agitur, non de certa, sed de

[1] S. Alph., lib. VI, n. 759.
[2] Cf. LL. 3, 4, 5, 6, ff. *De legibus*.
[3] Ita in cit. causa, 17 jan. 1900, *Acta S. Sedis*, t. XXXII, p. 557.

dubia omissione ritus, ut supra audivimus a S. Alphonso.

2° Si supplendus sit ritus *essentialis*, et ideo iteranda sit ordinatio *absolute*, major est difficultas, nec pro hoc præciso casu, ulla (quod sciam) extat S. Officii decisio. Putaverim tamen idem dicendum, tum quia ratio eadem est, tum quia jam satisfactum est legi de episcopo proprio.

305. — De aliis adjunctis. — 1. Quando omissio est occulta, aut aliter timeri possit scandalum, aut admiratio fidelium, aut aliorum clericorum turbatio, iteratio ordinationis fieri debet *secreto*, ut respondere solet in his casibus S. Officium (cf. omnes supra cit. decisiones), et ideo, ni fallor, fieri potest in sacello privato; — 2. Quidquid dixit supra (n. **303,** 4°) S. Alphonsus, si tota ordinatio sit sub condicione iteranda, non tantum adimplendi sunt ritus aut solemnitates ad valorem ordinationis probabiliter necessarii, sed etiam *omnes alii;* nihil enim ab hoc excusare potest; ceterum nova ordinatio fieri potest quam simplicissime.

CAPUT V

DE QUIBUSDAM RITIBUS GENERALIBUS ORDINATIONIS

Non ago nisi de ritibus in quibus adesse possit aliqua difficultas; de ceteris vide *Pontificale romanum*[1].

306. — De missa. — Prima tonsura et quatuor minores ordines conferri possunt extra missam, ut constat ipso textu *Pontificalis romani,* tit. De clerico faciendo, initio, et tit. De minoribus ordinibus. Non sic pro superioribus ordinibus ; de quo hæc dicenda :

1° *Majores ordines non possunt conferri nisi in missa.* — Constat *consuetudine antiquissima, perpetua et universali:* 1. Hanc testantur antiqua Pontificalia et ritualia utriusque Ecclesiæ, quæ, quotiescumque agitur de majoribus ordinibus conferendis, perpetuo supponunt eos intra missarum solemnia conferri; sic, in Ecclesia latina, veteres *Ordines romani*, VIII et IX, a Mabillonio editi[2]; *Sacramentarium Leonianum,* n. 28 (ubi habet, in consecratione

[1] Cf. etiam Hallier, qui de his ritibus egregie scripsit, *op. cit.,* part. II, sect. VIII, c. III sq., ed. Migne, col. 453 sq.

[2] Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 969 sq.

episcopi, orationem super oblata : *Hanc igitur*[1], etc.); *Sacramentarium Gregorianum* a Muratori editum (quod habet, in consecratione episcopi, orationem super oblata, præfationem[2], etc.); *Sacramentarium* item *Gregorianum* a Menardo editum[3]; Pontificale Egberti[4], etc., etc.; item, apud Græcos, vetera euchologia, quæ edidit Morinus[5]; item videris apud Orientales[6]; — 2. Hanc consuetudinem pariter testantur et omnino supponunt antiqui scriptores et documenta priorum sæculorum; sic, Theodoretus narrat Macedonium, monachum pietate insignem, admotum fuisse altari « sub mysticum sacrificium », ibique ordinatum presbyterum[7]; S. Epiphanius, Constantiensis (Salamine) episcopus, narrat se ordinasse in presbyterum, Paulinianum, fratrem S. Hieronymi, « in sanctis sacrificiis[8]; » concilium Laodicenum, can. 5, ait : « Quod non oporteat ordinationes, χειροτονίας, *sub conspectu audientium* celebrari[9], » id est, antequam illi pœnitentes aut catechumeni, qui vocabantur *audientes,* e missa arcerentur; *Constitutiones apostolorum,* lib. VIII, c. v sq., supponunt episcopos

[1] Migne, *P. L.,* t. LV, col. 113.

[2] Muratori, *Vetus Liturgia romana,* t. II, col. 358.

[3] Migne, *P. L.,* t. LXXVIII, col. 218.

[4] Martène, *De antiquis Eccl. ritibus,* lib. I, c. VIII, art. 11, n. 2, ed. Bassani, t. II, p. 32 sq.

[5] *De sacris ordinationibus,* p. 52 sq. — Quod ad Græcos spectat, notandum est diaconatum, non vero superiores ordines, conferri posse in missa *Præsanctificatorum,* quæ non est missa proprie dicta; ita expresse *Euchologium,* tit. *De ordinatione diaconi,* in fine, ed. 1873, p. 134. — Cf. Goar, p. 261, n. 30.

[6] Apud Denzinger, *Ritus Orientalium,* t. II.

[7] Theodoretus, *Historia religiosa,* c. XIII; Migne, *P. G.,* t. LXXXII, col. 1402.

[8] Epiphanii epistola *Ad Joannem Hierosolymitanum* (epist. LI, inter epistolas S. Hieronymi), n. 1; Migne, *P. L.,* t. XXII, col. 518.

[9] Bruns, *Concilia,* t. I, p. 73; relata verba sunt e versione Dionysii Exigui, n. 107; Migne, *P. L.,* t. LXVII, col. 165. — Balsamon quidem et Zonaras per χειροτονίας intelligunt *clericorum electiones; In can. 5 conc. Laod.;* Migne, *P. G.,* t. CXXXVII, col. 1347; sed Aristenus, *ibid.,* cum plerisque aliis, intelligit *ordinationes.*

ordinari intra divinam liturgiam[1]; — 3. Imo, hæc consuetudo retroascendere videtur ad usque tempora apostolorum, ut deducitur ex his verbis (Act., XIII, 2-3) : « *Ministrantibus* autem *illis Domino*, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam... Tunc jejunantes, et orantes, *imponentesque eis manus*, dimiserunt illos; » hæc enim verba : *ministrantibus illis Domino*, λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ, juxta communem interpretationem et obvium sensum, nihil aliud significare possunt, quam *divinum sacrificium*[2], intra quod apostoli, ad exemplum Christi, sacerdotes ordinabant. — Unde hæc consuetudo, quam etiam supponit *Pontificale Romanum*, vim habet legis universalis, imo gravissimæ, a qua dispensatum fuisse non est auditum a sæculo. — Quidquid tamen dixerunt aliqui[3], missa non pertinet ad *essentiam* ordinationis; nec enim natura sua, nec præcepto divino, missæ alligata est ordinatio.

2° *Hæc missa celebrari debet ab ipso episcopo ordinante*, vel, si agatur de consecratione episcopali, ab episcopo consecratore. — Nam : 1. Hoc deducitur ex eadem perpetua et universali consuetudine, juxta quam ordines majores perpetuo perhibentur non tantum intra missam collati, sed etiam *intra missam ipsius episcopi ordinantis;* nunquam enim in relatis Pontificalibus ceterisque documentis, inducitur alius sacerdos celebrans, præter episcopum ordinantem; — 2. Juxta hanc consuetudinem, pluries S. Officium, aut potius romani pontifices in S. Officio, censuerunt

[1] Migne, *P. G.*, t. I, col. 1074 sq.

[2] Cf. Grimm, *Clavis Novi Testamenti*, VIs λειτουργέω, λειτουργία, Lipsiæ, 1888, p. 261.

[3] Apud Hallier, part. II, sect. VIII, c. V, art. 2, col. 1469. Fagnanus, in cap. *Cum venisset*, 1, *De sacra unctione*, n. 8, 54, dicit dubium esse utrum missa sit de substantia ordinationis, necne, et ideo, si omissa fuerit, ordinationem esse iterandam ; verum hoc est improbabile ; cf. Benedictum XIV, *De synodo*, lib. VIII, c. XI, n. 6.

graviter deliquisse episcopos qui ordines contulerant, alimissam celebrante, licet hi episcopi ad sic agendum gravibus causis moti fuissent; ita judicavit Clemens XI, an. 1715, in casu alicujus episcopi ritus græci, ut narrat Benedictus XIV, qui hoc in negotio *votum* in eodem sensu scripserat[1]; ita pariter judicavit Innocentius XIII, in S. Officio, an. 1722, in casu alicujus episcopi Hiberni, juxta *votum* quod scripserat card. Petra[2]; — 3. Imo, hac in re, nunquam dispensationem concedere annuit S. Rit. Congregatio, licet pluries instantissime, et gravibus, imo gravissimis de causis, rogata. Ita preces bis rejicit in *Vratislavien.*, 8 junii 1658, 24 jan. 1660[3]; ita etiam in *Nemausen.*, 23 sept. 1837[4].

3° Hæc missa, *si ordinatio fiat diebus a jure statutis* (nempe sabbatis Quatuor temporum, sabbato *Sitientes*, et sabbato sancto), *dici debet de feria*, nempe de sabbato, licet occurrat festum duplex, etiam primæ classis; *si autem fiat extra tempora, missa dicitur de festo occurrente.* — Hoc deducitur ex ipso textu *Pontificalis*, tit. De ordinibus conferendis, ubi jubentur ordinari *post primam lectionem*, ostiarii; *post secundam*, lectores; *post tertiam*, etc.; hoc autem nequit observari in missa de Sancto, in qua nulla est lectio. Unde S. Rit. Congr. hanc regulam accurate servari præcepit, in *Conchen.*, 26 jan. 1658 : « In ordinationibus quæ fiunt *sabbato quatuor temporum, tametsi occurrat aliquod festum duplex, missam celebrari debere de feria*, cum oratione pro ordinandis et reliquis suffragiis sine commemoratione Sancti currentis[5]. » Quod decretum

[1] *De synodo*, lib. VIII, c. xi, n. 3, 7.

[2] Petra, *In const. VII Pii II*, in fine, n. 36 sq., Venetiis, 1741, t. v, p. 151; — Benedictus XIV, *ibid.*

[3] *Decreta auth.*, n. 1071, 1150, t. i, p. 221, 237.

[4] *Ibid.*, n. 2772, t. ii, p. 278.

[5] *Ibid.*, n. 1049, ad 3, t. i, p. 218.

S. Congregatio extendit ad omnia sabbata ordinationum, in *Bergomen.*, 21 martii 1744, ad 2[1], et hoc, licet privatim tantum episcopus ordines conferat, et non obstante contraria consuetudine, ut eadem S. Congr. declaravit in *Fesulana*, 11 febr. 1764[2]; his ergo omnibus sabbatis, semper dici debet missa de feria. Ut etiam patet ex cit. *Conchen.*, præfata missa ferialis non admittit commemorationem Sancti occurrentis, quod S. Congr. confirmavit in *Rhemen.*, 23 sept. 1885, ad 3[3]. — Si autem ordinatio fiat *extra tempora*, dicitur missa de dominica aut festo occurrente, ut omnino supponit *Pontificale*, loco cit., § *Idem servetur;* quæ missa admittit commemorationem simplicis, ut dicitur in cit. *Rhemen.*

307. — Edictum pœnale, quod promulgatur initio ordinationis. — Missa incepta, et dicto *kyrie eleison*, archidiaconus dicit : *Accedant omnes qui ordinandi sunt*, quos, in charta descriptos, nominatim vocat Notarius episcopi, unoquoque respondente : *Adsum*. Postea episcopus, juxta *Pontificale*, tit. De ordinibus conferendis, « palam interdicit per unum ex suis, sub his verbis : Reverendissimus in Christo Pater, etc. » Quod edictum duo complectitur : 1. Ne quis irregularis aut alias prohibitus audeat

[1] *Decreta auth.*, n. 2375, t. II, p. 85.

[2] *Ibid.*, n. 2473, t. II, p. 127.

[3] *Ibid.*, n. 3642, t. III, p. 175. — Illa autem *suffragia*, de quibus agit S. Congr. in cit. *Conchen.*, sunt illæ orationes (v. g., in Quatuor Temporibus septembris, oratio *A cunctis* et alia *ad libitum*), quas recitari jubet *Missale* in præfatis missis post orationem Missæ diei, et quæ ideo in his missis, in quibusvis ordinationibus, semper recitandæ sunt, ut habet etiam S. Congr. in *Cuneen.*, 2 junii 1883, ad 9, *Decreta auth.*, n. 3576, t. III, p. 144. — Oratio autem pro ordinandis, quam recitari jubet *Pontificale* (tit. *De ordinatione diaconi*, initio), jungitur sub una conclusione *orationi Missæ diei*, nempe huic orationi quæ dicitur *post quintam lectionem;* S. Congr., in *Ravennaten.*, 19 sept. 1883, *Decreta auth.*, n. 3592, t. III, p. 152.

suscipere ordines; 2. Ne quis discedat nisi missa finita. Fit autem prohibitio sub pœna excommunicationis. — De hac prohibitione hæc dicenda :

1° Primum exemplum hujusmodi edicti solemniter in ipsamet ordinatione promulgati reperitur in *Pontificali* ecclesiæ Moguntinæ, circa annum 1300 scripto[1]; continet autem tantum priorem prohibitionem, sed magis evolutam quam in nostro *Pontificali*. – Formula nostræ simillima invenitur in *Pontificali* Julii II, et in *Pontificali Romano* Lugduni edito an. 1542[2].

2° Hæc proclamatio fieri debet initio cujuslibet ordinationis, licet missa non dicatur, imo etiam licet unus tantum privatim ordinetur in sacello episcopi; lex enim non distinguit; in quo sensu respondit S. Rituum Congregatio in una *Venetiarum*, 25 sept. 1852, ad 4[3].

3° Quando ordinatio fit ab episcopo extraneo, de mandato aut consensu episcopi loci, hæc prohibitio fit, non nomine episcopi ordinantis, sed nomine episcopi loci, qui proinde proprio nomine designatur in formula inhibitionis. Hoc autem fieri debet, etiam si episcopus extraneus forsan ordinet proprios subditos; licet enim præfata prohibitio pœnalis non sit exercitium jurisdictionis *contentiosæ* et proinde fieri valide possit in territorio alieno, attamen, quia fit publice et solemniter, usu invaluit, ad vitandam confusionem turbationemque jurisdictionum[4], ut etiam in dicto casu fieret nomine episcopi loci.

4° Quando sedes vacat, proclamatio fit nomine vicarii capitularis, his verbis : *Reverendissimus Dominus N. N.*,

[1] Quod exscribit Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. I, c. VIII, art. 11, n. 16, ed. Bassani, t. II, p. 77.

[2] Cf. Catalanum, *Pontificale Romanum*, in tit. *De ordinibus conferendis*, § 24, n. 3 sq., Parisiis, 1850, t. I, p. 130.

[3] *Decreta auth.*, n. 3006, t. II, p. 376.

[4] Cf. Reiffenstuel, in tit. *De officio et potestate judicis delegati*, n. 9.

hujus diœceseos, sede vacante, vicarius capitularis deputatus, sub excommunicationis pœna, etc. — Ita S. Rit. Congr., in *Salopien.,* 19 sept. 1883, ad 1[1].

5° Præfata pœna non est nisi *ferendæ sententiæ,* ut ex ipsa formula patet.

308. — Oblatio cereorum ab ordinatis facienda. — Offertorio lecto ab episcopo, ordinati omnes « accedunt bini et bini ad pontificem, coram quo genuflexi offerunt illi *singulas candelas accensas*, et osculantur ejus manum ». Ita *Pontificale,* in tit. De ordinatione presbyteri. Quæ oblatio locum etiam habet, licet missa non dicatur, in ordinatione ad primam tonsuram et ad ordines minores, ut patet ex *Pontificali*, tit. De clerico faciendo, et tit. De minoribus ordinibus[2]. — Vi legis, cerei debent esse accensi, ut patet verbis relatis; verum toleratur usus, vi cujus unus tantum in quolibet ordine cereum accensum offerat, cereis aliorum non accensis, uti expresse respondit S. Rit. Congr., tum in una *Marsorum,* 12 nov. 1831, ad 7, tum in *Patavina,* 7 dec. 1844, ad 4[3].

309. — Communio ordinatorum in missa ordinationis[4]. — 1. Ordinati in *sacris* tenentur sacram communionem recipere in missa ordinationis; constat expresse ipso textu *Pontificalis*, quod id bis asserit, tum in tit. De sacris ordinibus in genere : « Sacri et majores ordines sunt subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus, *ad quos ordinati omnes debent communicare;* ideo parentur pro eorum numero hostiæ parvæ consecrandæ; » tum in tit. De ordi-

[1] *Decreta auth.*, n. 3593, t. III, p. 152.

[2] Hujus oblationis sensus mysticos aperit Hallier, part. II, sect. VIII, c. IV, art. 3, ed. Migne, col. 1462.

[3] *Decreta auth.*, n. 2682, 2883, t. II, p. 233, 323.

[4] Cf. Hallier, *loc. cit.*, c. XI, art. 6, col. 1569.

NATIONE PRESBYTERI, § *Interea unus ex diaconis,* ubi eadem fere repetit; — 2. Cum sileat omnino *Pontificale* de minoribus ordinibus, dicendum est ordinatos ad minores ordines non teneri ad sacram communionem; — 3. De vi autem hujus obligationis, dicendum est presbyteros teneri *sub gravi* ad communionem, quia nimirum concelebrant cum episcopo[1], et ideo complere suum sacrificium stricte tenentur per sacram communionem : quod involvit gravem obligationem; dubitatur autem de gravitate obligationis quoad subdiaconos et diaconos; imo S. Alphonsus dicit esse levem[2].

310. — Preces et missæ quas dici jubet ab ordinatis episcopus. — Cf. *Pontificale*, in tit. DE ORDINATIONE PRESBYTERI, in fine, ibi : « Singuli ad primam tonsuram, etc. » De quo hæc dicenda :

1° Juxta textum *Pontificalis,* episcopus ad subdiaconos et diaconos ait : « Dicite... *Nocturnum talis diei...* » Si ergo episcopus nullum ipse designet diem et tantum legat ut est in *Pontificali,* tunc « pro *Nocturno talis diei* intelligendus est nocturnus ferialis, vel primus festi, aut Dominicæ in Psalterio, prouti ordinatio in feria, festo aut dominica habita sit »; ita S. Rit. Congr., in una *Urbis,* 27 junii 1899, ad 1[3]. — Sed episcopus jus habet alium diem designandi, ut patet ex cit. verbis, « Nocturnum *talis* diei, » id est, hujus vel illius diei, ad libitum episcopi, et uti respondit S. Rit. Congr., *ib.,* ad 2; tunc standum est designationi episcopi. — Nocturnus autem non complectitur nisi psalmos cum suis antiphonis, non vero lectiones, nec hymnum, nec psalmum *Venite exultemus;* hic

[1] De qua concelebratione cf. Hallier, *ibid.,* art. 7, col. 576.
[2] Lib. VI, n. 801.
[3] *Decreta auth.,* n. 4042, t. III, p. 368.

enim erat sensus vocabuli *Nocturnus* quando scripta sunt citata verba in *Pontificali Romano;* quod confirmatur ex S. Rit. Congr. responso, diei 10 julii 1903, in quo, ad hoc quæsitum : « Utrum ad hunc Nocturnum etiam psalmus *Venite exultemus*, hymnus et lectiones addendæ sint, vel potius sufficiant psalmi cum respectivis antiphonis ad talem nocturnum spectantes, » rescripsit : « *Negative*, ad primam partem ; *Affirmative*, ad secundam [1]. »

2° Ad presbyteros autem ait episcopus : « ... Post primam vestram missam, tres alias missas, videlicet, unam de Spiritu Sancto, aliam de B. Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate. » Hæ missæ dici nequeunt a neo-presbyteris nisi *diebus a rubrica permissis*, quod per se patet ; nam leges cum legibus concordent necesse est, et ita expresse respondit S. Rit. Congr., in *Barcinonen.*, 11 apr. 1840, ad 4 [2]. — Ceterum non *applicatio* missæ præcipitur, sed tantum *celebratio* et *qualitas;* cum enim applicationem nec explicite nec implicite significet episcopus, non censendus est hoc onus presbyteris imposuisse, eo magis quod in obscuris minimum est tenendum.

3° Juxta communem doctorum opinionem, hæc obligatio quam episcopus imponit presbyteris, diaconis, etc., *non est gravis;* locutio enim quam adhibet, non sonat obligationem gravem, nec hoc mitissimo et quasi hortativo modo uti solent legislatores ecclesiastici, quando intendunt obligare subditos sub gravi [3].

[1] *Acta S. Sedis*, t. xxxv, p. 748-749, vel *Canoniste*, t. xxvi, an. 1903, p. 605.
[2] *Decreta auth.*, n. 2802, t. ii, p. 290.
[3] Ita etiam S. Alphonsus, lib. VI, n. 829.

CAPUT VI

DE INTENTIONE REQUISITA IN ORDINATIONE

Ritus quasi informantur tum intentione episcopi ordinantis, tum intentione subjecti recipientis; unde de utraque dicendum est.

§ 1. De intentione ministri ordinantis.

311. — Requisita intentio in ministro ordinante. 1° In episcopo ordinante, requiritur, ad validitatem ordinationis, *intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.* — Est dogma fidei catholicæ, quod multis argumentis demonstrant theologi; sufficiat hæc tria afferre : 1. Martinus V, in bulla *Inter cunctas,* 8 kal. martii 1418[1], jubet ut qui suspectus erat de erroribus Wicleti et Joannis Hus, interrogetur « Utrum credat quod malus sacerdos, cum debita materia et forma et *cum intentione faciendi quod facit Ecclesia*, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, et vere conferat alia sacramenta »; hoc enim negabat

[1] Mansi, t. xxvii, col. 1204 sq.

Wiclefus, ut constat elencho ejus errorum, n. 4, in eadem bulla Martini V ; — 2. Eugenius IV, in bulla *Exultate Deo*, seu *Decreto ad Armenos*, pluries supra citato, ait : « Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur : videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum, *cum intentione faciendi quod facit Ecclesia;* quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum [1]; » quæ desumuntur ex cit. D. Thomæ opusculo *De articulis fidei et sacramentis Ecclesiæ* [2]; — 3. Concilium Trid., can. 11, sess. VII, De sacramentis in genere, sic definit : « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, *non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia,* anathema sit. » — De quo notanda tria : 1. Non requiritur ut hæc intentio sit *explicita*, sed sufficit ut sit *implicita*, nempe contenta in alia generaliori, v. g., si paganus, requisitus a catechumeno ut sibi conferat baptismum, intendat facere *quod petit catechumenus;* hic enim petit quod facit Ecclesia in ritibus baptismi adimplendis; item, apud schismaticos, sufficit hæc intentio : Intendo facere quod facit ecclesia nostra (suppono, ut patet, hos schismaticos rite administrare sacramentum de quo agitur); — 2. Non nocet huic intentioni error in fide, vel etiam totalis infidelitas; conceptus enim intellectus nihil commune habent cum actu voluntatis; unde hæretici valide conficiunt sacramenta, et paganus baptismum; quod etiam de fide est pro baptismo collato ab hæreticis, ex conc. Trid., can. 4, sess. VII, De baptismo ; — 3. Quod dixi de intentione in ministro requisita, valet, non tantum pro ordinibus, qui sunt sacramenta, sed etiam pro illis, qui non sunt sacramenta; Ecclesia enim, in suis sacramentalibus, Christum imitata est in ejus sacramentis;

[1] Mansi, t. xxxi, col. 1047 sq.
[2] Ed. Venetiis, t. viii, p. 52.

ceterum, ut modo videbimus ex multis sacrarum Congregationum et romanorum Pontificum decisionibus, Ecclesia in eodem gradu ponit, quod ad intentionem spectat, ordines hierarchicos, et ordines inferiores.

2° Hæc intentio debet esse *interna*, id est, non sufficit ut episcopus ordinans serio et rite ponat ritum externum, sed etiam requiritur ut *interne* velit facere quod facit Ecclesia, ita ut, si externe serio et rite agat, interne autem dicat : *Nolo ordinare*, non valeat hæc ordinatio. — Hæc est communissima et probabilissima opinio contra Catharinum aliosque paucos, Juenin, Serry, Contenson [1], etc. Revera : 1. Qui externe quidem serio et rite materiam et formam adhibet, interne autem non vult conficere sacramentum, nihil aliud intendit et facit quam *fingere* et *simulare*, et eo astutius fingit et simulat, quo magis serio et accurate ritus externos perficit; porro, procul dubio, non hoc facit aut intendit facere Ecclesia; — 2. Alexander VIII, feria V, 7 dec. 1690, in S. Officio, damnavit, sub n. 28, propositionem quæ sequitur : « Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, *intus vero in corde suo apud se resolvit : Non intendo quod facit Ecclesia* [2]; » quæ propositio ipsissimam Catharini opinionem continere videtur. Unde juxta institutionem Christi, sacerdos qui conficit sacramentum non est tantum machina quæ admoveat formam materiæ (ut vult Catharinus), sed vere *minister* qui Christo Domino cooperetur, non tantum ore et manibus, sed *mente* et

[1] De quibus vide Franzelin, *De sacramentis in genere*, thes. XVII, Romæ, 1868, p. 215-254, et Billuart qui hanc controversiam accuratissime exponit, *Summa, De sacramentis in communi*, diss. V, art. 7, § 2, t. XVI, p. 224-292. — Catharino adhæret etiam Drouin, *De sacramentis in genere*, quæst. VII, c. III, sect. II, ed. Migne, *Cursus theologiæ*, t. XX, col. 1479-1528.

[2] *Bull. Rom.*, t. IX, p. 97; vel apud Denzinger, *Enchiridion*, n. 1185, ed. 1865, Wirceburgi, p. 345.

corde, et ita sit vere, ut ait S. Paulus (I Cor., IV, 1), *minister Christi, et dispensator mysteriorum Dei.* — Ceterum, licet episcopus putet huic Catharini opinioni non deesse certum probabilitatis gradum, non potest ea uti, quia, ut supra dictum est (n. **294,** 1), illicitum est in sacramentis uti opinione probabili, relicta tutiore.

3° Hanc intentionem episcopus debet extendere *ad omnes circa quos ritus ordinationis perficit,* ita ut illi nefas sit dicere : *Nolo ordinare irregulares, censuratos, aliosve impeditos.* — Tenetur quidem episcopus, *ante ordinationem,* omnem diligentiam adhibere, per se vel per alios, ut omnino excludantur ab ordinatione irregulares, censurati, impediti, aliive indigni, quod clarum est; sed, semel ac candidati admissi sunt ad ordinationem, eamque præsentes petunt et expectant, aut potius, semel ac episcopus circa eos ritus ordinationis perficit, non potest ullum a sua intentione excludere, licet irregularem, censuratum, indignum, etc. — Ratio desumitur ex gravissimis incommodis et malis ex tali exclusione orturis. Si enim episcopus ordinans vel publice vel interne dicat : *Nolo ordinare irregulares, censuratos,* etc., profecto, si qui sint inter ordinandos irregulares, censurati, etc., ordinem non recipient. Quot autem mala inde sequi nata sint, nemo non videt. Qui sunt irregulares *bona fide,* in ordine nulliter suscepto ministrabunt, nulliter pleraque sacramenta conferentes; qui sunt irregulares aut censurati *mala fide,* sicut non deterrentur ab ordinatione suscipienda, sic non deterrebuntur ab ordinibus exercendis, in magnum detrimentum animarum : qui autem sunt *dubie* irregulares, censurati, indigni, quid? Sic, ex tali intentione episcopi ordinantis, nullus erit finis, sive pro presbyteris, sive pro fidelibus, timoribus, anxietatibus, scrupulis, et tota subvertetur œconomia institutionis Christi, qui ideo jussit ordinem (sicut alia

sacramenta signis exterioribus conferri, ut facile possint ordinati a non ordinatis discerni. — Unde merito communiter doctores reprobant illicitamque affirmant in episcopo ordinante *hanc intentionem non ordinandi indignos*[1], ipsaque S. Congregatio Conc. non semel prohibuit, ut statim dicetur.

312. — Quæritur : *Quid dicendum de illa protestatione qua declaret episcopus ordinaturus se nolle ordinare irregulares,* etc. — *Resp. :*

1° In *Pontificali Romano,* ut supra (n. **307**) dictum est, extat, initio ordinationis, Edictum pœnale, quo episcopus promulgat pœnam excommunicationis ferendæ sententiæ contra irregulares, excommunicatos, etc., qui audeant accedere ad suscipiendos ordines. Non obstante hoc edicto, episcopus, ut patet, retinet intentionem ordinandi irregulares, excommunicatos, etc., si qui forte sint inter ordinandos. — Sed aliquando episcopi ulterius progressi sunt; imo, tempore Benedicti XIV[2], sat frequens mos erat ut episcopi, ante ordinationem, per archidiaconum aut alium, publice denuntiarent se intentionem non habere ordinandi irregulares, censuris innodatos, carentes dimissoriis, etc. Quid ergo dicendum, tum de hac protestatione, tum de irregularibus aliisve indignis, qui nihilominus ordines recipiebant ?

2° Quoad ipsam protestationem, illicita est, tum quia ritum prorsus inauditum addit *Pontificali Romano*, tum

[1] Ita, v. g., Navarrus, *Consilia,* in cap. *De eo qui furtive ordinem suscepit,* cons. I, n. 12, Coloniæ Agrippinæ, 1616, t. II, p. 208; — Gobat, *Theol. experim.,* tract. VIII, n. 316 (*Opera Moralia,* Venetiis, 1749, t. I, p. 562); — De Lugo, *De sacramentis in genere,* disp. VIII, sect. VII, n. 119 (*Opera,* Venetiis, 1751, t. V, p. 89); — Benedictus XIV, *De synodo,* lib. VIII, c. XI, n. 1-2.

[2] Ut ipse ait, *loc. cit.,* n. 1. — Ita etiam in Germania, tempore Reiffenstuel, in tit. *De eo qui furtive ordinem suscepit,* n. 4.

quia hæc intentio non ordinandi indignos trahit secum gravissima mala, ut supra dictum est. Unde, cum episcopus Charchiensis, in America Meridionali, ante ordinationem protestatus fuisset se non habere intentionem ordinandi eos qui originem traherent ab *Indis*, S. Congr. Conc., die 13 febr. 1682, hanc protestationem vituperavit, rogavitque Rom. Pontificem ut juberet ne deinceps Indiarum episcopi hujusmodi intentionem habere præsumerent[1].

3° Posita autem illa protestatione, controvertitur utrum ordinatio irregularium aliorumve indignorum sit valida, an invalida. — Alii nempe dicunt ordinationem esse validam, sive quia, ut quidam dicunt, hæc protestatio non fit nisi ad terrorem incutiendum; non enim præsumendum est episcopum peccati gravis reum se constituere, seriam protestationem emittendo; sive quia, ut alii asserunt, illi intentioni generali non ordinandi indignos prævalet in episcopo intentio ordinandi hos omnes circa quos perficit ritus ordinationis[2]. — Alii vero dicunt ordinationem esse invalidam, quia tandem aliquando deficit intentio[3]. — In hoc doctorum conflictu probabilior et tutior videtur sententia eorum qui dicunt consulendum esse, si fieri possit, episcopum qui ordinavit; remanente autem dubio, iterandam esse sub condicione ordinationem[4]. Quæ est aliunde praxis S. Congr. Concilii, ut statim dicitur.

[1] Quod narrat Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, sect. II, n. 73, Lovanii, 1762, t. II, p. 122.

[2] Validam in casu ordinationem asserunt Layman, *Theologia moralis*, lib. V, tract. I, c. IV, n. 6, Moguntiæ, 1709, part. II, p. 206; — Cabassutius, *Juris canonici theoria et praxis*, lib. III, c. XVI, n. 15, ed. Gibert, Augustoriti Pictonum, 1738, p. 244. — Plures alii notantur apud Pallottini, *Collectio*, etc., v° *Sacramentum ordinis*, § 1, n. 11, t. XVI, p. 69.

[3] Ita Reiffenstuel, in tit. *De eo qui ordinem furtive suscepit*, n. 4, 6, 7; — hunc exscribit Schmalzg., propriam silens sententiam, in eumd. tit., n. 4.

[4] Ita Thesaurus, *De pœnis*, v° *Ordines*, c. VII, n. 2, ed. Giraldi, p. 309; — Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, sect. II, n. 74, p. 125, et *De*

4° Hac in re, praxis hæc est S. Congr. Concilii : 1. Si episcopus supersit, jubet eum audiri et interrogari de propria intentione in prædicta protestatione emittenda; uti fecit, v. g., in *Oveten.*, 14 martii 1699[1], et in causis quæ statim allegantur; — 2. Si interrogatus episcopus respondeat se, non obstante hac protestatione, habuisse veram et internam intentionem ordinandi eos omnes circa quos perfecit ritus ordinationis, S. Congregatio ordinationem habet ut validam, nec proinde iterandam; uti declaravit in *Portalegren.*, 5 apr. 1704[2]; in *Perusina*, 21 junii et 19 julii 1732[3]; in *Verulana*, 24 julii et 28 aug. 1830[4]; — 3. Si respondeat episcopus nullam internam intentionem habuisse ordinandi eos, quos in protestatione exclusit, S. Congr. habet ordinationem in praxi ut invalidam, jubetque eam iterari sub condicione; uti censuit in *Charchien.*, 13 febr. 1682[5]; in *Aprutina*, 11 jan. 1710[6]; in *Ugentina*, 3 aug. 1743[7]; — 4. Si episcopus non supersit, aut si, eo audito, aliquod dubium remaneat, S. Congregatio, severiorem doctorum opinionem amplexa, habet ordinationem in praxi uti invalidam, uti declaravit in *Resolutione* diei 23 jan. 1586[8], quam approbavit Rom. Pontifex in consistorio[9], et quæ transiit in jurisprudentiam.

synodo, lib. VIII, c. xi, n. 2; — Petra, *In const. VII Pii II,* sect. unica, n. 2-6, ed. Venetiis, t. v, p. 147-148.

[1] Quam refert Pallottini, *loc. cit.*, n. 23, p. 72.

[2] Quam refert Pallottini, *loc. cit.*, n. 10, p. 69.

[3] *Thesaurus S. C. C.*, t. v, p. 283, 285.

[4] *Ibid.*, t. xc, p. 217, 245.

[5] Quam refert Benedictus XIV, *De sacrificio missæ,* loc. cit., n. 73, p. 123.

[6] *Thesaurus,* t. xii, p. 146-147.

[7] *Ibid.*, t. xii, p. 141.

[8] Quam refert Benedictus XIV, *De sacrificio missæ,* loc. cit., n. 73, p. 123.

[9] Benedictus XIV, *ibid.*, n. 74, p. 125.

§ 2. De intentione subjecti.

313. — Requisita intentio in subjecto ordinando.

1° In subjecto ordinando, requiritur, ad validitatem ordinationis, *consensus*, seu *voluntas*, seu *intentio recipiendi ordinem*. — Constat doctrina generali de sacramentis, juxta quam, *in adulto, ut valide sacramenta recipiat, requiritur intentio,* seu *consensus voluntatis in ritum Ecclesiæ*. Quæ doctrina generalis multis argumentis demonstratur; sufficiat hic præcipua notare :

A. Perpetuus fuit Ecclesiæ sensus et usus, quo prædicta voluntas et intentio in adultis requirebatur; qui usus passim innotescit per *concilia*, *statuta*, etc. Sic : 1. Concilium Carthaginense III (an. 397), can. 34, ait : « Ut ægrotantes, si per se respondere non possunt, cum *voluntatis eorum testimonium*, hi, qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur[1]; » — 2. Concilium Arausicanum I (an. 441), can. 12 : « Subito obmutescens, prout statutum est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si *voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet*, *aut præsentis in suo nutu*[2]; » — 3. *Statuta Ecclesiæ antiqua*, can. 76, idem fere præscribunt[3]; cf. etiam conc. Tolet. IV (an. 633), can. 57[4]; — 4. Unde S. Augustinus, *De baptismo contra Donatistas*, lib. IV, c. XXIV, hoc ponit inter infantem et adultum discrimen quoad baptismum, quod pro illo alius respondeat, non item pro isto : « At si, pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet; » cf. etiam *ib.*, lib. VII, c. LIII[5].

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 128.
[2] *Ibid.*, t. II, p. 124.
[3] *Ibid.*, t. I, p. 148.
[4] *Ibid.*, t. I, p. 237.
[5] Migne, *P. L.*, t. XLIII, col. 175, 242.

B. Prædictam intentionem in adultis requiri definivit Innocentius III, cap. *Majores*, 3, De baptismo ; nam : 1. Rejicit opinionem eorum, « qui dicunt, quod sacramenta, quæ per se sortiuntur effectum, ut baptismus et ordo, ceteraque similia, non solum dormientibus et amentibus, sed *invitis et contradicentibus*, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem, conferuntur... Sed opponitur talibus, etc...; » — 2. Aperte requirit intentionem : « Ille vero, qui *nunquam consentit,* sed *penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti.* » — 3. Quoad *dormientes* et *amentes* addit : « Dormientes autem et amentes si, priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, *in contradictione persisterent,* quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, *characterem non suscipiunt sacramenti ;* secus autem, si prius catechumeni extitissent, et *habuissent propositum baptizandi ;* unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem. »

C. *Rituale Romanum,* tit. II, c. III, n. 11-13, hæc statuit : « Amentes et furiosi non baptizentur, nisi tales a nativitate fuerint... Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, *si velint*. Si vero, antequam insanirent, *suscipiendi baptismi desiderium ostenderint*, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. Idemque dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat... » — Idem fere statuitur, tit. V, c. I, n. 6, quoad extremam unctionem.

Hæc autem omnia quæ statuuntur de intentione quoad baptismum, pœnitentiam, etc., a fortiori valent quoad ordinem, quippe quod sacramentum non sit necessarium ad salutem, gravioresque secum ferat obligationes.

D. His opponi solent exempla eorum qui ordinati fuerunt inviti[1]; sic : 1. Paulinianus, frater S. Hieronymi, ordinatus est invitus a S. Epiphanio, qui de illo ait : « Ignorantem eum... per multos diaconos apprehendi jussimus, et teneri os ejus, ne forte liberari se cupiens adjuraret nos per nomen Christi, et primum diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei[2], etc.; » — 2. Bassianus de sua ordinatione episcopali ait : « Ego autem non acquiescebam, sed ab hora tertia usque ad sextam coram altari me plagis afflixit (episcopus consecrator), et sanctum evangelium et altare sanguine est impletum[3]; » — 3. S. Paulinus Nolanus narrat etiam quomodo *vi multitudinis strangulantis correptus sit*, et ad presbyteratum subeundum coactus[4]. Vide alia exempla apud Hallier, *loc. cit.* — Ad hæc exempla respondeo : 1. Hæc vis nullum alium finem habebat nisi tandem vincendi repugnantem ordinandi voluntatem, eumque adducendi ad consensum : quod sic exponit Augustinus : « Multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, *donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni*[5]; » unde hic usus potius demonstrat opinionem, quæ omnium animis insita erat, de necessitate consensus ad ordinationem; — 2. Revera ordinandi, his molestiis vexati, tandem acquiescere solebant, ut de se narrat Paulinus, et de Pauliniano Epiphanius, *loc. cit.*; — 3. Si, in aliquo rarissimo casu, omnino

[1] De ordinationibus coactis, cf. Hallier, part. I, sect. v, c. I, ed. Migne, col. 408-437.

[2] Epiphanii epistola *Ad Joannem Hierosolymitanum* (epist. LI inter epistolas S. Hieronymi), n. 1; Migne, *P. L.*, t. XXII, col. 518.

[3] *Oratio* Bassiani, episcopi Evazorum, habita in concilio Chalcedonensi, act. XI; Mansi, t. VII, col. 278.

[4] S. Paulini epist. I, n. 10; epist. II, n. 2; epist. III, n. 4; Migne, *P. L.*, t. LXI, col. 158, 160, 163. Cf. etiam *S. Paulini Vita*, c. XV, n. 1, *ibid.*, col. 46.

[5] Epist. CLXXIII, *Ad Donatum*, n. 2; Migne, *P. L.*, t. XXXIII, col. 754.

et constanter coactus et invitus quis ordinatus fuerit, hoc præter communem rerum ordinem exemplum nihil demonstrat contra legem et consuetudinem Ecclesiæ.

2° Hæc intentio seu voluntas debet esse *positiva*, ita ut si quis se habeat passive, seu, ut dicunt, *neutraliter*, neque volens, neque nolens, non suscipiat valide sacramentum. — Hoc constat ex omnibus hucusque dictis, in quibus videmus requiri in subjecto voluntatem seu *intentionem*, seu *consensum* in ritum Ecclesiæ; porro hæc voluntas *neutra* non est intentio nec consensus in ritum Ecclesiæ. — Nec obstant verba Innocentii III, cap. *Majores*, 3, De baptismo : « Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, *cum obicem voluntatis contrariæ non invenit.* » Cum enim Innocentius definiat, uti vidimus, *consensum* requiri, per *voluntatem contrariam* hic intelligit, non tantum voluntatem *repugnantem*, sed etiam voluntatem *neutram*, quæ revera est contraria consensui[1].

3° Hæc intentio debet esse *interna*, id est, non sufficit ut ordinandus consentiat in ritum externum, sed etiam requiritur ut *interne consentiat*, ita ut, si acceptet quidem ritum externum sicut alii ordinandi, intra se autem dicat : *Nolo recipere ordinem*, irrita sit prorsus ordinatio. — Hæc est communissima et probabilissima opinio, contra paucissimos, v. g., Drouin, Gasparri[2]. De qua re hæc dicenda :

A. Omnes textus supra relati requirunt in subjecto *voluntatem*, seu *intentionem*, seu *propositum* recipiendi sacramentum, ut eos legenti patet. Atqui ille qui serio quidem se subjicit ritui externo, sed apud se in corde suo plane resistit et dicit : *Nolo recipere sacramentum*, ille,

[1] Cf. Billuart, *Summa, De sacramentis in communi*, diss. VI, art. 1, obj. 3, ed. Trajecti ad Mosam, 1770, t. xvi, p. 358.

[2] Drouin, *De sacramentis in genere*, quæst. vii, *appendix* (ed. Migne, *Cursus theologiæ*, t. xx, col. 1528 sq.); — Gasparri, *De ordinatione*, n. 641 sq., Parisiis, 1893, t. i, p. 428.

inquam, non dicitur habere propositum seu voluntatem recipiendi sacramentum, sed *fingere* et *simulare;* sicut ergo ille qui *per jocum* sinit in se perfici ritum externum, non recipit sacramentum, defectu voluntatis internæ, ita pariter qui serio se subjicit ritui externo, interne repugnans, non recipit sacramentum, defectu voluntatis internæ, nec ullum discrimen est inter illum et istum, nisi quod iste fingat astutius.

B. Unicum argumentum adversariorum situm est in quibusdam verbis Innocentii III, cit. cap. *Majores*, 3, De baptismo, § *Item quæritur:* postquam enim Innocentius definivit *fictos,* illos « qui, quamvis non ore, corde tamen dissentiunt », paulo infra addit : « Is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et, ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis, *sicut et is qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum.* » — Verum dicendum est hinc non demonstrari opinionem adversariorum; nam : 1. Hæc verba Innocentius non ex se refert, sed tanquam ab aliis dicta : « Alii, inquit, non absurde distinguunt, » etc.; et licet dicat : « Alii *non absurde,* » etc., unde videatur hæc verba sua facere, attamen non censetur approbare suumque facere nisi quod illi principalius et ad rem dicunt, nempe distinctionem inter *invitum absolute* et *invitum condicionaliter*, non autem quod obiter et per modum exempli asserunt, *sicut et is qui ficte*, etc., de quo non consulitur nec respondet Innocentius; — 2. Imo, statim ab initio, relata verba Innocentii intellecta sunt, non in sensu adversariorum, sed in sensu prorsus diverso, quem omnes recipiunt; intellecta sunt nimirum, non de *fictione intentionis*, sed de *fictione dispositionum*, quasi dixerit Innocentius : Sicut et is qui *ficte*, nempe *sine fide et contritione* requisitis, ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis. Sic Innocentii

verba interpretata est Glossa in præfatum cap. *Majores,* v° *Perdurare :* « Illi (licti) ore exprimunt, licet corde dissentiant, et ideo sacramentum recipiunt, quia Ecclesia dare intendit ; sed tale sacramentum *non prodest ad remissionem peccatorum, nisi cum fictio illa recessit* [1] ; » ubi manifeste agitur de *fictione dispositionum*, qua durante, sacramentum receptum nihil prodest ad remissionem peccatorum, qua recedente (per fidem et contritionem), sacramentum prodesse incipit : quod nullo modo dici potest de *fictione intentionis;* - 3. Sic etiam Innocentii III verba intellexit Innocentius IV, in præfatum cap. *Majores,* n. 3, ubi ait : « Ficti, id est, adulti *non vere credentes* [2] ; » ceterum aperte docet idem Innocentius IV illum qui ficte (*fictione intentionis*) recipit baptismum, non baptizari; sic enim ait, in cap. *Si quis puerum,* 1, De baptismo, n. 10 : « Sed quid si baptizatus petiit baptismum, sed baptizari non intendebat, nec aliquid per baptismum conferri? Et videtur quod non sit baptizatus, quia *nunquam consensit baptizari,* sicut non est matrimonium, ubi non consentit, licet verba consensus exprimat [3] ; » — 4. Nec dicas Innocentium III intellexisse *fictionem intentionis,* ubi definivit fictos, illos « qui, quamvis non ore, corde tamen dissentiunt ». Nam, ut recte ait Fagnanus [4], non dixit, dissentiunt *baptismo,* sed mere: *dissentiunt;* dissentiunt nempe, in corde suo, *fidei,* quam ore prædicant [5].

[1] *Corpus juris, ... cum Glossis,* Lugduni, 1671, t. II, col. 1388.

[2] *Commentaria in quinque libros decretalium,* Venetiis, 1610, p. 544.

[3] *Ibid.,* p. 544.

[4] In cap. *Majores, De baptismo,* n. 74, Vesuntione, 1740, t. II, p. 564.

[5] Fatendum tamen est, ne quid urgeatur, aliquam remanere difficultatem circa mentem Innocentii III; cum enim verbum *consentiunt* (quod paulo ante scribit) intelligatur de consensu *ad ipsum baptismum,* congruum videtur ut etiam verbum *dissentiunt* intelligatur de dissensu relative *ad ipsum baptismum.* Sed quidquid est, non directe et de se ipso declaravit *fictos recipere characterem baptismi;* unde, ad summum, non

C. Non semel in S. Congr. Concilii propositus est casus clericorum qui ritum externum ordinationis acceptaverant, licet interne dissentirent; porro semper respondit *iterandam esse ordinationem;* sic in una *Nullius*, 26 dec. 1665, et in *Brixien.*, 31 martii 1685 : quas duas causas refert Benedictus XIV, in suo opere *De sacrificio missæ;* unde concludit : « *Certissimum* illud remanet, ei, qui re ipsa contradixerit, nullum characterem fuisse impressum, actumque totum invalidum esse[1]. » — Recentius, in similibus prorsus casibus, idem responderunt, tum S. Congr. Concilii, in *Milevitana,* 26 nov. 1791, et 16 junii 1792[2]; tum Congr. S. Officii, 28 nov. 1900[3]. — Quod si, in his casibus, utraque Congregatio respondere soleat iterandam esse ordinationem *sub condicione,* id fit propter difficultatem plene assequendi veritatem in his rebus maxime internis, uti notavit Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*[4].

4° Demum non requiritur ut intentio illa sit *actualis*, neque etiam proprie *virtualis*, sed sufficit ut sit *habitualis*, nempe *actu habita et non retractata*, ut deducitur ex his omnibus quæ concilia, Innocentius III et rituale romanum, supra relata, dicunt de *amentibus* et *dormientibus*.

habemus nisi opinionem privatam Innocentii III, quam etiam coætanei rejecerunt.

[1] *De sacrificio missæ,* sect. II, n. 79, Lovanii, 1762, p. 131-132. — Fatetur tamen Benedictus XIV opinionem adversariorum de *ficto* valide recipiente sacramentum *minus difficultatis* habere quam opinionem Catharini de *ministro* fingente aut simulante confectionem sacramenti (epistola *Postremo mense,* 28 feb. 1747, § 47, *Bull. Bened.*, t. II, n. 28). Revera opinio Catharini damnata videtur in supra (n. **311,** 2°) relata propositione ab Alexandro VIII damnata; non sic opinio quam nunc impugnamus.

[2] *Thesaurus,* t. LX, p. 234; t. LXI, p. 96.

[3] *Acta S. Sedis,* t. XXXIII, p. 373-374. — In duobus aliis casibus, Congr. S. Officii respondit *acquiescendum,* nempe 26 jan. 1898 (*Acta S. Sedis,* t. XXX, p. 477), quia sufficienter constabat de interna intentione, et 30 nov. 1898 (*ibid.,* t. XXXI, p. 509), quia agebatur de mero scrupulo.

[4] *Loc. cit.,* n. 79, p. 132.

CAPUT VII

DE CAUSIS NULLITATIS ORDINATIONIS

314. — Prævia. — Ut ex dictis in superioribus capitibus patet, ex omissis aut perversis ritibus vel ex defectu intentionis sequi potest nullitas ordinationis; revera non semel contigit ut clericus ordinationem suam uti nullam coram judice ecclesiastico impugnaret, præsertim ex defectu intentionis. Hæc autem causa dupliciter proponi potest. Juxta enim communem doctrinam receptamque jurisprudentiam, si quis clericus susceperit ordinem *vi absoluta* coactus, ejus ordinatio ut nulla prorsus irritaque habetur, quia nempe prorsus defuit intentio seu voluntas ad ordinationem requisita; si vero receperit ordinem vi *non absoluta*, sed, ut dicitur, *condicionali*, seu *metu gravi* coactus, ejus quidem ordinatio uti valida habetur, quia tandem aliquando, licet coacte, voluit tamen ordinationem, sed non censetur adstrictus oneribus ordinis, præsertim lege continentiæ, quia hæc onera supponunt perfectam libertatem et spontaneitatem. De quo consulendi sunt gravissimi doctores, Fagnanus, Barbosa, Pitonius[1], etc.:

[1] Fagnanus, in cap. *Majores*, 3, *De baptismo*, n. 90-118, Vesuntione,

in quo sensu etiam respondit S. Congregatio Concilii, v. g., in *Namurcen.*, 16 dec. 1724, 19 nov. 1729, 10 mart. 1731, in qua, post primam repulsam et dilationem, tandem resolvit clericum non teneri onere continentiæ, quia gravis metus juridice probatus est[1]. Unde clericus ordinationem suam impugnare potest, vel ut nullam absolute et omnino, vel ut nullam saltem quoad onera; sed nihil impedit quin simul ordinationem suam duplici modo impugnet; hæc enim cumulatio actionum jure canonico prohibita non est.

315. — Processus in his causis servandus. — Si quis ergo clericus ex quocumque capite ordinationem suam uti nullam impugnare sibi proponat, hæc sunt servanda :

1° *De judice competente.* — Hæc causa, sicut quælibet alia causa judiciaria, proponenda est coram episcopo competente; competentia autem statuitur juxta regulas jure communi sancitas; unde, in casu, judex competens est episcopus in cujus diœcesi clericus hic et nunc fovet domicilium, licet alibi ordinationem receperit. Potest quidem clericus directe adire Sedem apostolicam, nimirum Congregationem Concilii vel S. Officii; sed hæ Congregationes causam juridice instruendam remittent episcopo; unde satius est ut clericus statim adeat episcopum.

2° *De defensore ordinationis.* — Quando causa agitur de nullitate matrimonii, requiritur, juxta statutam a Benedicto XIV legem in bulla *Dei miseratione*, 3 nov. 1741[2], ut

1740, t. II, p. 565-566; — Barbosa, *Vota decisiva*, vot. 37, Lugduni, 1643, p. 238; — Pitonius, *Disceptationes ecclesiast.*, discept. 107, n. 1, Venetiis, 1733, t. IV, p. 64-65.

[1] *Thesaurus S. C. C.*, t. III, p. 109; t. IV, p. 363-365; t. V, p. 83.

[2] *Bull. Bened.*, t. I, n. 33; edit. Mechlin., vol. I, p. 166.

constituatur sic dictus *defensor vinculi*, qui, juramento emisso, onus suscipiat propugnandi ex officio validitatem matrimonii impugnati; item, si Regularis impugnet professionem suam uti nullam, constituendus est, juxta præscriptum ejusdem Benedicti XIV in bulla *Si datam*, 4 martii 1748[1], *defensor professionis*, qui pro viribus impugnatam professionem tueatur. Porro hæ duæ bullæ Benedictinæ non agunt nisi de matrimonio et professione regulari, nec ullum verbum, vel minimum, habent de sacra ordinatione, nec ulla posterior constitutio pontificia *defensorem* in causis nullitatis ordinationum constitui jussit; unde, in rigore juris, nulla lex est constituendi defensorem in his causis. — Verum nemo non videt, quantopere expediat ut episcopus, si contigerit agitari coram se causam de nullitate ordinationis, *defensorem ordinationis* constituat; nam : 1. Causa nullitatis ordinationis, quoad gravitatem, prorsus assimilanda est causæ nullitatis matrimonii vel professionis regularis; etenim, in hac causa, agitur de dignitate sacramenti (saltem si controversia vertatur de ordinatione diaconali aut presbyterali), de honore cleri, de bono publico Ecclesiæ, de maxima fidelium ædificatione; — 2. Si clericus impugnet suam ordinationem, vix erit, aut ne vix quidem, qui pro sua privata utilitate ipsi judicialiter contradicat; unde in re maxime difficili et salebrosa partem tantum unam audiet episcopus; nemo autem nescit quantum utile, imo necesse sit, ad detegendam veritatem in re controversa, utramque partem audire; — 3. Unde, in S. Congregatione Concilii, mos est, quoties coram ipsa hujusmodi causæ agitantur, ut constituatur *defensor ordinationis*, qui stet pro validitate ordinationis impugnatæ. — In curia autem episcopali, occurrente causa

[1] *Bull. Bened.*, t. II, n. 47; edit. Mechlin., vol. VI, p. 26.

nullitatis ordinationis, hæ sunt defensoris partes, juxta utramque citatam Benedicti XIV bullam : 1. Munus habet, emisso juramento, voce et scriptis ordinationis validitatem tuendi, eaque omnia deducendi quæ ad ordinationem sustinendam necessaria censebit ; — 2. Citari debet ad omnem actum judicialis processus ; — 3. Adesse debet examini testium ; — 4. Ei communicari debent omnia prorsus documenta et acta judicii, ut inde concinnare valeat suas sic dictas *animadversiones ;* — 5. Demum, si lata fuerit sententia contra validitatem ordinationis, appellationem interponere debet ad superiorem judicem competentem[1].

3° *De sententia et appellatione.* — 1. Si sententia lata sit pro validitate ordinationis, et clericus actor non appellet, causa finita est ; — 2. Si sententia lata sit contra validitatem ordinationis, defensor, uti dictum est, appellare debet ; si causa in prima instantia agitetur in curia episcopali, appellationem interponit ad metropolitanum ; si vero causa agitetur in curia metropolitana, appellat ad Sedem apostolicam, nimirum ad Congregationem Concilii, vel ad Congregationem S. Officii ; — 3. Prolatis duabus sententiis conformibus contra validitatem ordinationis, liber est clericus actor, nisi tamen tempore debito appellet defensor ad superius tribunal ; — 4. In gradu appellationis, juxta utramque bullam Benedictinam, constitui etiam debet defensor ordinationis, qui eadem munia peragat, quæ in prima instantia.

316. — Usus S. Congregationis Concilii.

1° Ut jam dictum est, S. Congregatio semper adhibet in his causis *defensorem* ex officio ; imo hic habet sedem stabi-

[1] Bulla *Dei miseratione*, § 6-8, *loc. cit.*, p. 170 ; — bulla *Si datam*, § *Sub eadem pœna*, *loc. cit.*, p. 33.

lem in hac Congregatione ; unde legimus in *Regulis* die 10 dec. 1884 statutis *quoad jura et emolumenta defensorum :* « Ut amoveantur querelæ quæ non raro moventur a partibus quoad jura defensorum, qui agunt coram S. Congregatione Concilii in agitandis causis matrimonii, *sacrarum ordinationum* et professionum regularium, etc... ; » sequuntur normæ statutæ[1].

2° In causis nullitatis ordinationis, *ex capite vis et metus*, nunquam, quoad scire potui, S. Congregatio declaravit ipsam ordinationem esse nullam, quia nimirum, cum intentio sit res interna, fere impossibile est juridice probare omnino defuisse intentionem ad ordinationem requisitam, vel adfuisse intentionem constanter contrariam. Unde potius consuevit S. Congregatio declarare ordinatum non teneri oneribus ordinationis, præsertim lege continentiæ ; quod fecit in cit. *Namurcensi*, 10 martii 1731 ; ad hoc autem requiritur ut concludenter probatus sit metus gravis ordinando injuste incussus, ad hoc ut patiatur se ordinari.

3° Imo, recentioribus temporibus, valde difficilem se præbet S. Congregatio ad declarandum non fuisse contracta onera sacræ ordinationis ; solet potius, quoties tantisper deficiat juridica probatio gravis metus, consulere Rom. Pontifici ut concedat dispensationem a contractis oneribus ordinationis juxta hanc notam formulam : *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab oneribus contractis ;* sic dispensationem consulendam censuit in *Brigantien.*, 13 aug. 1870[2]. Hanc autem dispensationem renuit in *Pinnen.*, 28 julii 1866[3] ;

[1] Vide textum italicum apud Parayre, *La Congrégation du Concile*, Paris, 1897, p. 413.

[2] *Thesaurus S. C. C.*, t. CXXIX, p. 380-403 ; hanc causam breviter exhibent *Acta S. Sedis*, t. VI, p. 85-94.

[3] *Thesaurus*, t. CXXV, p. 270-279 ; — *Acta S. Sedis*, t. II, p. 443-451.

in *Marsicen.*, 7 dec. 1861[1]; et in pluribus causis antiquioribus[2].

4° Quando agitur de *presbytero* contra suam ordinationem ex capite vis et metus reclamante, oportet ut omnino et peremptorie probet gravem extitisse metum; nil enim expectandum habet per viam *gratiæ* seu dispensationis proprie dictæ, sed tantum per viam *justitiæ*. Facilius dispensatur cum subdiacono aut etiam cum diacono, quoties occurrant gravissimæ causæ.

[1] *Thesaurus*, t. cxx, p. 351-357; — *Acta S. Sedis*, t. I, p. 328-335. — In *Gratianopolitana*, 3 julii 1762, non fuit datum responsum, licet quidam auctores responsum afferant; *Thesaurus*, t. xxxi, p. 139-141.

[2] Vide plures hujusmodi causas apud Pallottini, *Collectio Resolutionum S. C. C.*, v° *Dispensatio*, § 14, *Dispensatio a voto continentiæ*; Romæ, 1880, t. vii, p. 637 sq.

DOCUMENTA

DOCUMENTUM I

Constitutio Innocentii XII de Episcopo proprio ratione ordinationis [1].

Innocentius episcopus servus servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Speculatores domus Israel, quæ est sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis pontificatus Nostri primordiis pastoralis vigilantiæ Nostræ studia convertenda esse duximus, ut qui in sortem Domini vocantur sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut præesse valeant corrigendis, ac in quos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitantur, tales sint, qui digne possint dominica sacramenta tractare, ac ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.

§ 1. Sane hoc inito consilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate et justitia per ordinatissimos ecclesiasticæ militiæ gradus, statis intervallis, ambulaverint, ac pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes juxta priscum Ecclesiæ morem, præscriptis a jure temporibus, orationi et jejunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis indultis suscipiendi sacros ordines extra tempora hujusmodi, et interstitiis ad

[1] *Bull. Rom.*, ed. Cocquelines, t. IX, p. 374.

id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, nec unquam heri sacrilegi, hodie sacerdotes, heri profani, hodie sacrorum antistites, veteres vitio, virtute rudes et recentes, discipuli simul, ac magistri pietatis creentur; sed ii tantum, juxta constitutas a majoribus leges, ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur.

Ceterum per ea ipsa indulta, quæ super præmissis parcius quidem, ac ex certis tantum et magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam sacri generalis Tridentini concilii decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos episcopi pro necessitate vel commoditate suarum ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt disciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimo nec unquam ad indulta hujusmodi exsequenda episcopos ipsos arctare, sed illorum exsecutionem arbitrio semper eorumdem episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus; sperantes in Domino eos, qui, juxta apostoli monitum, nemini cito manus imponendas esse probe norunt, sibi et universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, reverenda ipsis spiritibus angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temere præripi passuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promeretur.

Omnes insuper et singulos, cujuscumque tandem gradus, ordinis et dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctæ Sedis gratia sacros ordines præfatos extra eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos ordines largiri districti semper esse judicii oporteat, serio monitos voluimus, ut præscriptos sibi desuper in suis quisque facultatibus terminos religiose custodiant, nec eas, cujusvis consuetudinis aut exempli prætextu, ullatenus transgrediantur.

§ 2. Verum quo impensius apostolicæ gubernationis curam, et cogitationes in hæc intendimus, eo majori cum animi Nostri dolore ex quamplurium venerabilium fratrum Nostrorum archiepiscoporum et episcoporum in diversis regionibus existentium delatis ad Nos querelis accepimus, graviora quotidie maliguari inimicum in Sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriæ salutis immemores, clericales ordines sibi forsan a propriis præsulibus denegatos, seu quos, aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis episcopis, non quæ Jesu Christi, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent, oves in animarum suarum perniciem quærentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienæ plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum prælatorum commeatu, hoc est, dimissoriis commendatitiisve eorum litteris destituti, quin imo eis insciis, et sæpe etiam invitis, sub minus legitimis beneficii ecclesiastici, originis, domicilii, seu etiam familiaritatis ac continuæ ordinantium episcoporum commensalitatis, quæsitis titulis, in sacrarum legum fraudem et contemptum, illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, et nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, judicium absque misericordia sibi consciscunt, Deoque minime placentes et tamen placere velle præsumentes, non modo eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere : Non requiret.

§ 3. Hinc est, quod Nos, ex commissæ Nobis divinitus apostolicæ servitutis munere, abusus, fraudes ac scandala hujusmodi penitus et omnino e medio tollere, ac irreligiosam contra facientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere et reprimere volentes, nec non fel. rec. Urbani VIII contra male ordinantes et male ordinatos quæ incipit : *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum, ac etiam conciliaribus hac in re editis constitutionibus et ordinationibus inhærentes, illasque quoad ea quæ præsentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium ejusdem concilii Tridentini interpretum, qui quacumque antehac super præmissis ab ipsorum cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes seu responsa ad earumdem præsentium limites reducenda esse

censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio et ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem totiusque christiani populi ædificationem, hac generali Nostra et perpetuo valitura constitutione, decernimus et declaramus :

Nulli episcopo seu cujusvis loci Ordinario, tametsi cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam ac sibi ratione originis seu domicilii juxta modum inferius declarandum legitime contracti non subditum, ad clericalem tonsuram promovere, cujusvis beneficii ecclesiastici ei statim ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit conferendi, seu ad quod is a patronis jam præsentatus seu nominatus fuerit, prætextu, etiamsi beneficium prædictum de novo ea expressa adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur.

Præterea clericum, qui legitime jam a proprio episcopo ad eamdem clericalem tonsuram seu etiam ad minores ordines, promotus fuerit, non posse ab alio episcopo, ratione ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad altiores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii episcopi, tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit, easque episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit.

Licet vero clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius episcopi in cujus diœcesi beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis diœcesi obtineret ; ac episcopus sic ordinans tam de prædictis testimonialibus litteris, quam de reditu beneficii hujusmodi,

expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit.

§ 4. Ceterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ vel cujusvis alterius temporalis moræ seu supermanentiæ ejus patris in illo loco; quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco in quo ex accidenti, sicuti præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere, illasque episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio similiter recensendas præsentare teneatur.

§ 5. At si pater in alieno loco ubi ejus filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat.

Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.

Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit.

§ 6. Ad hæc, nullus episcopus alienæ diœcesis subditum, familiarem suum, ad aliquos sacros seu minores ordines, vel etiam primam tonsuram promovere seu ordinare præsumat absque ejus propriæ originis scilicet seu domicilii prælati testimonialibus litteris ut supra, et nisi, ad præscriptum concilii Tridentini præ-

fati, sess. XXIII, cap. IX, De REF., familiarem prædictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit ac suis sumptibus aluerit, beneficium insuper quod ei ad vitam sustentandam juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

§ 7. Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus et apostolica auctoritate statuimus atque decernimus, ut episcopus quilibet suos ratione originis sive domicilii subditos clericos quoscumque, ab alienis episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam concilii Tridentini supradicti, sess. XIV, cap. III, De REF., quoad scientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis constitutionis forma et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapso id minime præstitisse comperit, a susceptorum ordinum exercitio, si ita et quamdiu ei expedire videbit, suspendere, illisque, ne in altari aut in aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

§ 8. Ita vero præmissa omnia et singula perpetuo ac inviolabiliter observari atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat.

§ 9. Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari. Sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eosdem S. R. E. cardinales, etiam

de latere legatos et Sedis nuntios, et aliosve quoslibet quacumque præeminentia et potestate fungentes, et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 10. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciobribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, eisdem præsentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Volumus autem ut præsentes litteræ in valvis ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ principis apostolorum, necnon cancellariæ apostolicæ, ac in acie campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatæ et affixæ omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatæ fuissent; quodque earumdem præsentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, declarationis, voluntatis, statuti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, pridie nonas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

DOCUMENTUM II

Constitutio Benedicti XIV de ordinatione Regularium [1].

Benedictus episcopus servus servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Impositi Nobis, licet immerentibus, apostolici ministerii ratio postulat, ut ad tuendum ecclesiasticæ disciplinæ vigorem non modo novas interdum leges provide constituamus, verum etiam veteres a prædecessoribus Nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum præsidio debitis fraudentur effectibus, novis et inviolabilibus sanctionibus communiamus; si vero earum claritas pravis et captiosis interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus.

Sane quæ olim de ordinationibus Regularium controversia viguit, an scilicet Regulares a quocumque catholico antistite indistincte ordinari possent, an vero id juris privative pertineret ad episcopum illius diœcesis intra quam sita est religiosa domus quam Regularis ad ordines promovendus inhabitat, providis romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum constitutionibus et declarationibus jamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia, episcopi locorum Ordinarii jura sua fundantes in generalibus canonum statutis et in ipsis exemptionum privilegiis quæ Regularibus indulta sunt, aiebant ipsorum ordinationes, utpote diœcesanis episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad Ordinarios eorum originis quam Regulares a se abdicant dum sæculo nuntium remittunt, neque porro ad Ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur, proinde-

[1] *Bull. Benedict.*, t. II, n. 27; ed. Mechlinien., vol. IV, p. 376.

que unice spectare ad episcopos Ordinarios eorum domicilii, nimirum illius diœcesis ac loci in quo ipsi ordinandi commorantur. Contra vero Regulares apostolicis privilegiis innixi quæ certis Ordinibus recentius elargita ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant sacros ordines a quocumque catholico antistite, juxta eorum privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

Verum cum fel. rec. prædecessor Noster Gregorius Papa XIII, per suam apostolicam constitutionem, quæ incipit: *In tanta rerum*, datam apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ MDLXXIII Kalendis martii, justis gravibusque de causis, alteram constitutionem sui Nostrique pariter prædecessoris S. Pii papæ V, cujus initium est: *Etsi mendicantium*, ad juris communis et sacri concilii Tridentini terminos reduxisset, eodem quoque anno in causa monachorum Ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab episcopis diœcesium in quibus eorum monasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia ab aliis quibusque episcopis ordinandos esse declaravit, quemadmodum legitur lib. I decretorum Congregationis Concilii, pag. 75 a terg.: *Dub., an nostri ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii, in cujus diœcesi sunt, pro ordinibus conferendis ab episcopo alterius diœcesis, Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententia Sac. Congregationis concilii, declaravit obligari.*

Contigit autem sub illius successore Sixto papa V eamdem quæstionem retractari, instante universo Ordine fratrum Prædicatorum. Qua de re idem prædecessor, post maturum causæ totius examen in præfata Congregatione Concilii habitum, constituit, licere superioribus regularibus litteras dimissoriales concedere suis respective subditis ad ordines suscipiendos, sed eas tamen diœcesano dumtaxat episcopo directas, nec alteri unquam nisi cum forte is a diœcesi abfuerit, aut, quatenus in diœcesi extiterit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur lib. IV prædictorum decretorum, pag. 108: *Sanctissimus Dominus Noster, Sixtus V, ex sententia Congregationis respondit, Regulares posse concedere dimissorias ad episcopum diœcesanum, eoque absente, vel etiam præsente, et ordinationem non tenente, ad quemcumque; dummodo ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

Demum a sanctæ memoriæ prædecessore quoque Nostro Clemente papa VIII, ad hujusmodi controversias perpetuo extinguendas, sequens decretum editum fuit : *De mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis divina Providentia papæ VIII, tenore præsentium, mandatur omnibus et singulis quorumcumque Regularium superioribus, ut de cetero observent et observari faciant ea quæ in decreto Sacræ Congregationis Concilii continentur, cujus tenor est talis : Congregatio Concilii censuit superiores regulares posse suo subdito itidem regulari qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad episcopum tamen diœcesanum, nempe illius monasterii in cujus familia ab iis ad quos pertinet, Regularis positus fuerit, et si diœcesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium episcopum, dum tamen ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum, in id tempus, quo episcopus diœcesanus vel abfuturus, vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus, episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, literæ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ diœcesani episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis, seu administrationis ac vocis activæ et passivæ privationis ac alias arbitrio sanctissimi Domini nostri papæ reservatas pœnas incurrant. In quorum fidem, etc. Datum Romæ die* 15 *mensis martii* 1596.

Hoc emanato pontificio decreto, atque tam claris verbis concepto, jure sperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri; sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli episcopi ultra montes constituti contendere cœperunt, necessarias esse Regularibus dimissorias etiam Ordinariorum eorum originis, quo possent ab episcopis aliorum locorum ad sacros ordines promoveri; ex altera vero Regulares, obtendentes in præfato Clementis VIII decreto derogatum non fuisse apostolicis privilegiis quæ eorum Ordinibus sive directe, sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocumque catholico antistite ordinari possent, hujusmodi decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

Verum quod attinet ad episcopos, ipsa Congregatio Concilii,

die 28 februarii anni MDCLIV, ut notatum reperitur libro XIX ipsius decretorum, pag. 316, ita rescripsit : *Regulares volentes se promovere ad ordines, non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propriæ originis, sed sufficere ut observent formam præscriptam in decreto san. mem. Clementis VIII.* Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17 martii anni MDCLXXIV, decretorum libro XXVIII, pag. 261 et sequentibus.

Quod vero spectat ad Regulares, cum eorum præsumptum jus, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis, in quadam Congregatione particulari nonnullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium a felicis recordationis prædecessore Nostro Innocentio papæ XIII deputata, cui Nos in minoribus tunc existentes Nostram qualemcumque operam, pro demandato Nobis secretarii munere, contulimus, diligenter expensum et examinatum fuisset, cumque ad hujusmodi quæstionem definiendam, id potissimum visum esset in jure statuendum, an ad effectum eximendi Regulares a præfati decreti Clementini observantia, sufficeret, quod privilegia suscipiendi ordines a quocumque ipsis concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat ; an vero oporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis prædecessoris decretum ; ac præterea an hujusmodi privilegia æque suffragarentur iis ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis, quibus directe et expresse indulta fuerunt ; idem Innocentius prædecessor, audito præfatæ Congregationis particularis consilio, decrevit, satis esse, ad supradictum effectum, quod hujusmodi privilegia post concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis præfato Clementino decreto posteriora non sint ; dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicationem privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata asserantur ; quemadmodum ipse Innocentius in suis apostolicis litteris incipientibus : *Apostolici ministerii*, die 30 maii anni MDCXXIII datis ac deinde confirmatis a sanctæ memoriæ prædecessore pariter Nostro Benedicto papa XIII, per alias similes litteras datas die 23 septembris anni MDCCXXIV, quarum initium est : *In supremo*, aperte declaravit his verbis : *Quoties ergo Regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum Congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum a piæ*

memoriæ Clemente VIII, prædecessore etiam Nostro, confirmatum die 15 *martii* 1596, *quo sancitur ad episcopum diœcesanum litteras dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis superioribus esse dirigendas, præterquam in casu, quo diœcesanus a diœcesi abesset, vel ordinationes non esset habiturus; quo etiam casu in literis dimissoriis ad alium episcopum dirigendis expressa fieri deheat mentio, vel de prædicta episcopi diœcesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet quod ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen, quoad prædicta, Regularibus illis quibus per speciale privilegium a Sede apostolica post concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per præsentes innovare intendimus.*

Porro si aliqui vigilias laboresque suos non tam in extricandis inutilibus quæstionibus vel forte in rebus profanis et ab ecclesiastica professione alienis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum legum quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent, ac nisi aliquibus, arbitrium pro lege, præjudicata opinio pro ratione, atque in legum etiam clarissimarum interpretatione suus cuique sensus pro auctoritate esset; nec olim Nobis in Nostro Bononiensi archiepiscopatu residentibus contigisset, ut Regularis quidam ex ea urbe repente digressus suique superioris dimissorias ad episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, Nos clericorum ordinationem non habituros, sacrum presbyteratus ordinem susciperet, nullaque interjecta mora Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur; quam tamen intolerandam audaciam Nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere atque etiam, servata pastorali mansuetudine, vindicare non prætermisimus, ut videre est in monito pastorali a Nobis tunc edito, inter impress. *Monit.*, 3, lib. II. Neque rursus ex quo ad universalis Ecclesiæ regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurimorum episcoporum fratrum Nostrorum querelæ ad apostolatum Nostrum delatæ fuissent, qui nimirum, non sine magno animi Nostri dolore, apud Nos expostulare non desinunt, a pluribus sæpe Regularibus in eorum diœcesibus respective commorantibus similia perpetrari, in spretum ecclesiasticarum legum atque pœnalium sanctionum quibus ipso facto adstringuntur (siquidem in autographo supra relati Clementis decreti distincte legitur :

Incurrant, non autem quod falso nonnemo asseruit : *Incurrent*), dum scilicet superiores regulares qui subditis suis non ad præscriptum ejusdem decreti dimissorias litteras concedunt, suorum officiorum ac dignitatum, et vocis activæ atque passivæ amissione mulctantur, ordinati vero suspensionis pœnam atque etiam si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt, ac denique antistites qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas pœnas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare præsumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, cum ex usu rerum intelligere possint complures Regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere quam ut se subducant examini episcopi diœcesani, cujus hac in re jurisdictionem, aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant, qui vel nullo vel admodum levi præmisso examine, ordines ipsis impertiatur ; quoties hujusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinæ synodi decreta delinquunt ; ea siquidem, sess. XXIII, cap. XII, De ref., sic statuit : *Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.*

Nos autem, consueta Sedis apostolicæ clementia uti volentes, abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco Regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves episcoporum querimoniæ ad Nos delatæ fuerunt. Quæcumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris judicii inquisitione liberamus ; quinimo omnes et singulos in hoc delinquentes, sive superiores regulares, sive Regulares ad ordines promotos, sive antistites qui eos ordinaverint, a quibuscumque sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibusque innodati forsan existant, auctoritatis Nostræ plenitudine, ac de apostolica benignitate, tenore præsentium, absolvimus et absolutos esse censeri decernimus, et cum iisdem super quacumque irregularitate per eos forsan, causa et occasione præmissis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines eorumque exercitium atque ad omnia et singula eorum respective religionum munera, pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De cetero tamen infrascriptas leges in posterum omnino observandas, motu proprio et ex

certa scientia Nostra, ac matura deliberatione præmissa, edicimus atque statuimus.

Quæcumque nimirum hac in re a præfatis prædecessoribus Nostris Gregorio XIII, Sixto V, Clemente VIII, et Innocentio XIII, in supra citatis ipsorum litteris seu decretis statuta, mandata, definita atque sancita fuerunt, ea omnia et singula, motu, scientia et potestatis plenitudine præfatis, earumdem præsentium serie confirmamus, roboramus et innovamus ; atque ab omnibus ad quos spectat seu quandocumque in futurum spectabit, inviolabiliter observari præcipimus et jubemus; transgressores quoque omnibus pœnis in præmissis contentis aliisque per apostolicas constitutiones et per sacros canones latis atque statutis cum effectu subjacere easque ipso facto et absque aliqua declaratione incurrere decernimus : superiores nimirum regulares eas omnes, quas, ut præfertur, supradictus Clemens VIII prædecessor constituit et sanxit; Regulares autem, qui contra illius decreti præscriptum promoti fuerint et antistites eos promoventes, canonicas pœnas atque censuras, quæ adversus sacram ordinationem suscipientes ab episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, nec non adversus episcopos alienos subditos indebite ordinantes, in jure canonico et in constitutionibus apostolicis statutæ habentur.

Præterea volumus atque decernimus, ut superiorum regularium dimissoriæ, quæ ideo ad alium antistitem directæ fuerint, propterea quod episcopus diœcesanus extra diœcesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii ejusdem episcopi diœcesani, ex qua constet, vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto ; hoc enim expresse declarari opus est ad excludendam nonnullorum arrogantiam qui, cum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, quandocumque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, jam dici posset, ordinationem ab episcopo non haberi, proindeque alius episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis antistes regularem virum, in sua diœcesi proprium

domicilium non habentem, solis ipsius superioris dimissorialibus literis contentus, sine adjuncta præfata attestatione in forma probanti, ad ordines promovere præsumpserit, decernimus et declaramus hunc ipso facto incurrere in pœnas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.

Quemadmodum vero eorum Ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico antistite ipsius Sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant, dummodo hujusmodi privilegia post Tridentinum concilium, et ipsis Ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem, concessa fuerint; ita porro omnia similia privilegia, quæ aliis Ordinibus ante præfatum concilium Tridentinum ab ipsa etiam apostolica Sede et sub quibuscumque tenoribus et formis, indulta sint, vel etiam post ipsum concilium non ipsis directe concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate et tenore, nulla et irrita omnique vigore ac robore ad effectum, de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus. Decernentes hujusmodi privilegia nequaquam post concilium Tridentinum indulta censeri, nisi, vel post ipsius concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel, quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes in *forma specifica* cum literali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione factæ dignoscantur; ac declarantes alterius generis confirmationes, quæ in forma communi nuncupantur, nemini ad præmissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorumdem privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem, juxta præmissa, pleno jure competere dignoscuntur, ut non sine justa causa nec extra debitas circumstantias pro libito ipsis utantur, minime vero ad ostentandam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem; quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus qui pridie illius diei quo ab episcopo diœcesano clericorum ordinationes publice habendæ sunt, ad alterius episcopi diœcesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt; idque se facere aiunt, ut jurium suorum indemnitati consulant; quasi vero apostolica privilegia nonnisi cum

aperto episcopi diœcesani contemptu suam vim et robur habitura forent.

Denique tam venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos et episcopos, quam dilectos filios omnium regularium Ordinum professores, quam maximo possumus apostolicæ voluntatis studio per misericordiam Dei nostri et per charitatem Sancti Spiritus, hortamur in Domino et obtestamur, ut tam in hoc negotio, quam in ceteris omnibus solliciti sint unitatem spiritus et sinceræ dilectionis concordiam servare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus Sanctus posuerit episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a sacrosancta œcumenica Lateranensi synodo sub Leone X habita, inculcatum fuit, per hæc verba : *Eosdem insuper fratres in virtute sanctæ obedientiæ, ut eosdem episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita et nostra ac apostolicæ Sedis reverentia, congruo honore et congruenti observantia venerentur.* Neque obliviscantur episcopi, regulares viros ipsis datos esse adjutores in dominicæ vineæ cultum; subdit enim eadem sancta synodus : *Ipsos quoque episcopos hortamur ac per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent, ac benigne foveant,* etc., *et tanquam in agro dominico cooperatores, eorum laborum participes, prompta benignitate recipiant.* Demum et episcopi et Regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem subjicitur : *Una est Regularium et sæcularium, prælatorum et subditorum exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia; extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, et propterea decet eos qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.*

Hæ profecto christianæ veritatis et charitatis documenta cum utrinque servata fuerint omnibus in rebus, adeoque in hac etiam ordinationum materia, importunæ partium querelæ penitus conticescent. Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod recusantibus episcopis sacram ordinationem administrare, præterquam in temporibus ab Ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis Regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelæ, quod superiores regulares, ad eludendam decreti Clementini observantiam, advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos

domicilio moveant eosdemque statim post susceptos ordines falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubeant; siquidem Regulares hujusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse et in posterum districte coercendam fore noverint) tum a probi viri honestate et fide alienam, tum etiam debitæ erga sacros Ecclesiarum antistites observantiæ contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.

Præsentes vero Nostras litteras et in eis statuta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo jus vel interesse habentes seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam Motu pari et de apostolicæ potestatis plenitudine sibi concesso vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

Sicque et non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos et apostolicæ Sedis prædictæ nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis etiam in corpore juris clausis, aut literis apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, Ordinibus etiam militaribus, congregationibus, societatibus et institutis, aliisve quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam clausulis et decretis etiam derogatoriarum derogatoriis et irritantibus in genere vel specie, etiam motu simili, et de apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, et occasiones præsentibus pro plene et sufficienter expressis et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum, plenissime et amplissime, motu pari derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper et eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, et in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas ecclesiæ sancti Joannis in Laterano, et basilicæ principis apostolorum de Urbe, nec non cancellariæ apostolicæ, curiæ generalis Innocentianæ in monte Citatorio et in acie Campi Floræ, per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari et affigi, sicque publicatas et affixas omnes et singulos ad quos spectat, seu spectabit in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ et notificatæ fuissent.

Utque earumdem præsentium transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis ac sigillo

personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVII, III kalen. martii, pontificatus Nostri anno VII.

DOCUMENTUM III

Instructio S. Congregationis de Propaganda Fide, de titulo ordinationis, 27 apr. 1871 [1].

1. Cum indecorum omnino sit, atque a clericorum, qui in sacris ordinibus constituuntur, dignitate prorsus alienum, ut ipsi, aut emendicatis subsidiis, aut ex sordido quæstu, ea quæ ad victum necessaria sunt sibi comparare cogantur, nemo ignorat ab antiquissimis inde temporibus cautum fuisse ut, quicumque in Ecclesia Dei ad sacros ordines essent promovendi, eisdem de congrua perpetuaque sustentatione provideretur. Olim quidem nemo ordinabatur, nisi certæ adscriberetur ecclesiæ, cui perpetuo esset addictus, ut ex ea haberet unde vitam honeste posset sustentare (*conc. Chalced.,* can. 6); posterioribus vero temporibus titulus ordinationis invectus, quo videlicet victui clericorum satis consuleretur. Cujus necessitas primitus pro ordinatione diaconorum et presbyterorum sancita, dein ab Innocentio III ad subdiaconos quoque extensa fuit (*conc. Lateranen. III,* can. 5). Explorata autem omnibus sunt quæ synodus Tridentina (sess. XXI, De ref., cap. II) hac super re constituit; cujus saluberrimas præscriptiones progressu temporis alicubi neglectas s. m. Innocentius XI, litteris encyclicis ad omnes episcopos per S. C. C., die 18 maii 1679 datis, gravissime observari mandavit.

2. Porro geminus distinguitur titulus, *ecclesiasticus* scilicet ac *patrimonialis*. Hic postremus, cui occasionem dedisse videtur Alexander III (in cap. IV, *De præbend.*) [2], quique circa finem

[1] *Collectanea S. Cong. de Prop. Fide,* n. 1179, Romæ, 1893, p. 400.

[2] Thomassinus, *De vet. et nov. Eccl. discipl.,* part. II, lib. I, cap. IX, n. 2.

sæculi XIII usu venire cœpit, obtinet, cum ordinandus talibus bonis certis stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quæ ad congruam ejus sustentationem sufficere episcopi judicio censeantur. Ad præfatum accedit titulus *pensionis,* quæ non modo ad congruam clerici alimoniam sufficere, sed et perpetua esse debet. Atque hi duo tituli extraordinarii censendi sunt, ac veluti ex dispensatione admittuntur, si nimirum episcopus pro ecclesiæ necessitate aut commodo aliquem ita ordinandum esse judicaverit (conc. Trid., *loc. cit.,* et Ben. XIV, *Inst. Eccl.* XXVI, n. 1 et 3).

3. Ecclesiasticus vero titulus in *beneficialem* subdividitur ac *paupertatis,* quibus aliæ quædam veluti subsidiariæ atque extraordinariæ species adjiciendæ sunt, tituli nempe *mensæ communis,* atque *servitii ecclesiæ, missionis, sufficientiæ* et *collegii.* Est autem titulus beneficii jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium aliquod spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum; atque hic ordinarius ac præcipuus titulus sacræ ordinationis dici debet[1].

4. Paupertatis vero titulus in religiosa professione est positus, vi cujus qui solemnia vota in probata religione emiserunt, vel ex reditibus bonorum, si qua ipsamet religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus, omnia communia habent quorum ad vitam alendam indigent. Quem vero vocant *communis mensæ* titulus, eos clericos attingit qui, religiosorum more in communi vitæ disciplina degentes, aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum, proindeque e domo religiosa exire aut dimitti, atque ad sæculum redire permittuntur. Neque enim ad eos pertinet titulus paupertatis ut ex const. *Romanus Pontifex* (prid. id. octobr. 1568) S. Pii V deducitur. Verum ex hisce clericis ii dumtaxat communis mensæ titulo promoveri ad sacros ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab apostolica Sede aucta fuerint.

5. Titulus *servitii ecclesiæ,* qui olim ordinarius erat, prout supra adnotatum fuit, et postea evasit extraordinarius, iis quandoque conceditur, qui, cum beneficio ecclesiastico vel pensione careant, aut patrimonialia aliaque bona non possideant, ea lege ordinantur, ut alicui ecclesiæ sint mancipati, ex cujus servitio

[1] Fagnan, in cap. IV, *De præbend.,* n. 24.

et eleemosynis a piis Christi fidelibus elargiendis sustentari possint, et ab eadem ecclesia nullo unquam tempore amoveri vel ipsi recedere nequeant, nisi aliter eis provisum fuerit; quo titulo, ut suis clericis sacros ordines conferret s. m. Sixtum V patriarchæ Venetiarum indulsisse constat [1].

6. Denique titulus *missionis,* de quo potissimum hic sermo est, prætermissis titulis *sufficientiæ* et *collegii* (quos utpote raro occurrentes tantum commemorasse sat erit) adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus haud suppetit, pro iis qui majoribus ordinibus initiari cupiunt, ut apostolicarum missionum servitio sese devoveant. Id autem sæpe contingit in locis missionum, in quibus ea est rerum condicio, ut commune Ecclesiæ jus, circa ea quæ ad prærequisitum pro sacra ordinatione titulum spectant, servari adamussim nequeat. Qui vero hujusmodi titulo ordinati sunt, ii ex apostolico ministerio in missione cui fuerunt addicti, ad victum necessaria consequuntur.

7. Sed exploratum est Ordinarios clericis titulo missionis non posse sacrarum ordinationum munera impertiri, nisi speciali S. Sedis indulto muniti sint; agitur enim de titulo extraordinario qui præter jus commune adhibitus fuit. Quod quidem indultum superioribus missionum aut collegiorum seu congregationum quæ missionibus inserviunt, vel ad certum tempus, vel ad præfixum casuum numerum concedi valet. Meminerint autem superiores eo parce utendum sibi esse; neque enim titulo missionis omnes absque delectu sacris erunt ordinibus initiandi clerici, qui ad missionum curriculum ineundum utcumque dispositi videantur. Si enim, juxta S. Pauli monitum, manus nemini cito imponendæ, id potissimum valet cum sermo est de iis qui in arduum apostolici ministerii opus assumuntur. Quare hic titulus adhibendus erit in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate, ac rerum mundanarum contemptu, spem faciant sese strenuos futuros fore evangelii præcones; super quo eorumdem superiorum conscientia districte oneratur.

8. Non secus ac alummi collegiorum pontificiorum, ii omnes qui titulo missionis inter sacros ministros cooptari cupiunt,

[1] Campanil., *Diversor jur. canon.,* rubr. VIII, cap. IV, n. 14. et Garcias, *De benef.,* part. II, cap. XVI, n. 96.

tenentur prius juramentum emittere, quo spondeant missioni, cui destinati sunt vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos; quod quidem ab iis qui hoc titulo frui volunt, S. Sedes, ut missionum, quarum sumptibus illi aluntur, servitio consuleret, exigere constanter consuevit. Huic instructioni subnectitur forma istius juramenti jampridem approbata usuque recepta, eamque ab omnibus usurpandam esse, ut uniformitas hac super re servetur, omnino præcipit S. Congregatio.

9. Necesse non est ut qui ad sacros ordines hoc titulo evehendus est, actualiter in missione versetur, sed sufficit ut paratus sit ad missiones obeundas, quando et quomodo superiores eum mittendum censuerint ac ire jubeant.

10. Eis qui hoc titulo sunt ordinati, vi præstiti juramenti, interdicitur in religionem ingredi absque venia S. Sedis; ejus namque judicio reservatum est, prævia Ordinarii cui intererit, relatione, judicare utrum missionum, quarum servitio ii sunt addicti, necessitas id patiatur. Scilicet publicum bonum privato antecellat oportet, ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis ad arctiorem, sine suorum superiorum licentia, transire fas sit.

11. Quemadmodum alii tituli, ita etiam hic de quo agitur, juxta canonicas sanctiones, amitti potest atque ab Ordinariis auferri, de consensu tamen S. Congregationis, cujus est sic ordinatos præstiti juramenti vinculo exsolvere. Quod si, amisso titulo generatim aut etiam titulo missionis, alter ei non substituatur, sacerdos haud propterea remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris canonibus consultum est. Id sacra hæc Congregatio in generalibus comitiis die 1 septembris 1856 declaravit.

12. Pariter sacerdotes regulares, qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex apostolica indulgentia in sæculo vivere permittuntur, vel qui ediderunt vota simplicia, et e suis congregationibus seu institutis egressi sunt, ne cum proprii gradus dedecore emendicare cogantur, ad sibi de canonico titulo providendum obligentur; in locis verum missionum, ipsi probare saltem tenentur sibi suppetere media quibus propriæ sustentationi, ut par est, consulant.

13. Qui titulo certæ alicujus missionis ad ecclesiasticos ordines ascenderunt, ubi missionarii officium dimiserint, procul dubio

suum amittunt titulum, ac de alio sibi providere debent; si vero alterius missionis servitio deputantur, ut hujus missionis titulum assumant, nova opus erit S. Sedis concessione; neque enim eis suffragatur facultas, si quam obtinuerit ejus missionis Ordinarius, memorato titulo clericos ordinandi.

14. Ordinarii in missionibus utantur opera illorum etiam sacerdotum, qui aliis titulis ad sacros ordines admissi fuerunt, servatis de jure servandis; neque enim ipsi possunt eos adstringere ad titulum missionis subrogandum. Quin immo hortatur S. Congregatio Ordinarios ut, quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra ordinatione inducantur.

15. Tandem Sacra Congregatio, animadvertens incremento missionum plurimum posse conducere, si qui in collegiis sive seminariis utriusque cleri evangelii præcones mox futuri educati sunt, vel qui titulo missionis ad ordines fuere promoti, animo identidem recolant jusjurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum, eos hortatur ut in annos singulos, anniversaria die præstiti juramenti, illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem, quæ eos constituit verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis ac potentiæ suæ; quam immarcescibilis gloriæ corona eis in cœlis parata sit, si officium suum sancte impleverint, quamque e contra districtum maneat judicium, si negligentia, vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit. Id autem quo promptius et alacrius præstent, noverint s. m. Pium VI, in audientia diei 7 maii 1775, unicuique illorum plenariam indulgentiam, animabus quoque in purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus impertitum fuisse, non solum cum prædictum juramentum primo emiserint, verum etiam cum illud stato jam die renovaverint, dummodo in utroque casu conscientiam suam pœnitentiæ sacramento expiare non omittant, atque eucharisticam communionem suscipiant, vel missæ celebrent sacrificium.

Formula juramenti ab iis præstandi qui titulo missionis ordinantur.

Ego *N.*, filius *N.*, diœcesis vel vicariatus *N.*, spondeo et juro, quod, postquam ad sacros ordines promotus fuero, nullam religionem, societatem, aut congregationem regularem, sine speciali

Sedis Apostolicæ licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et juro quod in hac diœcesi, aut vicariatu, *vel*[1] in missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit, perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam; quod etiam præstabo si, cum prædictæ Sedis apostolicæ licentia, religionem, societatem, aut congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Item voveo et juro me prædictum juramentum et ejus obligationem intelligere et obervaturum. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei evangelia.

[1] Juxta hunc alterum modum jurare debent, qui nondum alicui missioni addicti fuerint.

DOCUMENTUM IV

Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium, 4 nov. 1892[1].

Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum hujusmodi societatum egressus, et consequens, ex jure constituto, regressus in diœcesim originis. Hæc autem graviora efficit temporalium bonorum inopia qua nunc Ecclesia premitur, unde episcopi sæpe providere nequeunt ut illi vitam honeste traducant. Hæc, aliaque id genus, etiam de alumnis ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli sacri locorum antistites, pro ecclesiastici ordinis decore et fidelium ædificatione, ab apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium SS^mus^ D. N. Leo PP. XIII detulisset Sacræ huic Congregationi Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus præpositæ, Em. Patres in conventu plenario habito in Vaticanis ædibus die 29 mens. augusti anni 1892, prævio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas. Quas cum SS. D. N. in audientia d. 23 sept. hujus anni 1892 infrascripto secretario benigne impertita probare et confirmare dignatus fuerit, ea quæ sequuntur per præsens decretum apostolica auctoritate statuuntur et decernuntur.

I. Firmis remanentibus constitutione S. Pii V diei 14 oct. anni 1568, incipient. *Romanus Pontifex*, et declaratione sa. me.

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXV, p. 312; — *Canoniste*, t. XVI, p. 83.

Pii PP. IX edita die 12 mens. junii anni 1858, quibus superioribus ordinum regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo paupertatis ad SS. ordines promoveri valeant, eædem dispositiones extenduntur etiam ad instituta votorum simplicium, ita ut horum institutorum superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. ordinibus, vel quomodocumque ad sacros ordines alumnos promovere titulo mensæ communis, vel missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua, jam emiserint, et proprio instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea instituta quæ ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis jam obtentis a S. Sede, dispositionibus contrariis in respectivis constitutionibus contentis, etsi tales constitutiones fuerint a S. Sede apostolica approbatæ.

II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad majores ordines alumnus congregationis votorum solemnium promoveatur quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus instituto votorum simplicium sit addictus. — Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam sacros ordines suscipiat triennio nondum expleto, peti poterit ab apostolica Sede dispensatio, ut clericus vota solemnia nuncupare possit quamvis non expleverit triennium, quoad instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi instituti constitutionibus præscripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

III. Dispositiones contentæ in decreto S. C. Concilii jussu sa. me. Urbani VIII edito die 21 septembris 1624 incipien. *Sacra Congregatio,* ac in decreto ejusdem S. C. jussu sa. me. Innocentii XII edito die 24 mens. julii anni 1694, incipien. *Instantibus*, ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a superioribus ordinum regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in sua robore manent, sed servandæ imponuntur etiam superioribus institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed per-

petua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper ordinibus constituto dimittendo; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorregibilis. Ut autem quis incorregibilis revera habeatur, superiores præmittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; qua nihil proficiente, superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium ejusdem instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non præsentaverit, superior, seu tribunal, defensorem, ut supra, alumnum respectivi instituti ex officio constituere debebit. Post hæc superior cum suo consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit; quæ tamen nullum effectum habebit, si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum judicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus præscriptis, et facultatem procedendi summario modo juxta praxim vigentem apud hanc S. C.

IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac præterea episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. Qui in sacris ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo jam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

VI. Professi tum votorum solemnium, tum simplicium, ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur, nisi,

præter alia a jure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacræ theologiæ operam dederint si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem per triennium, præmisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Hæc de expresso Sanctitatis Suæ mandato præfata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romæ, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 4 novembris 1892.

I. Card. Verga, *Præf.*
† Ios. M. Arch. Cæsarien., *Secret.*

DOCUMENTUM V

Decretum S. Congregationis Concilii, de clericorum excardinatione et ordinatione, 20 julii 1898 [1].

A primis Ecclesiæ sæculis plura sacra concilia decreverunt, quod recentius confirmavit Tridentinum cap. VIII, sess. XXII, De REF., neminem nisi a proprio episcopo posse ordinari.

Proprius autem alicujus episcopus, juxta ea quæ præfinivit in primis Bonifacius VIII in Sexto decret., cap. *Cum nullus*, De TEMPOR. ORDIN., « intelligitur in hoc casu episcopus de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem. » Deinde cum consuetudo invaluerit, ut episcopi familiares suos etsi alienæ diœcesis, sacris initiarent, et sancta Tridentina synodus cap. IX, sess. XXIII, De REF., id certis sub condicionibus probaverit, obtinuit, ut tribus prioribus titulis, originis, domicilii et beneficii, quibus jus fiebat episcopis aliquem ad ordines promovendi, quartus quoque accenseretur, scilicet familiaritatis. Cum autem de hujusmodi titulis disceptaretur, Innocentius XII, app. litt. incipientibus *Speculatores*, datis die 4 nov. 1694, determinavit ac constituit quo sensu et extensione iidem essent accipiendi ad eum effectum, ut quis proprius fieret alicujus episcopi subditus, a quo legitime ordinari valeret. Quæ constitutio ut suprema lex deinde habita est, eaque duce omnes quæstiones diremptæ.

Verum nostris temporibus novæ contentioni frequens se præbuit occasio. Pluribus enim in locis usu receptum est ut clerici,

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 49; — *Canoniste*, t. XXI, 1898, p. 678.

qui e sua diœcesi digredi et in alia sibi sedem constituere desiderarent, excardinationem, quam vocant, id est plenam et perpetuam dimissionem a suo Ordinario peterent, eaque innixi in alia diœcesi incardinationem seu adscriptionem implorarent; qua obtenta, eo ipso ut proprii novi episcopi subditi ad ulteriores ordines suscipiendos admitterentur. Quæ agendi ratio, ubi caute prudenterque adhibita fuit, absque querelis processit; sed nonnullis in locis, ubi necessaria cautio defuit, controversiis et abusibus viam sæpenumero patefecit.

Quapropter Emi S. C. Concilii Patres, rebus omnibus mature perpensis, præsenti generali decreto hæc statuenda censuerunt :

1° Excardinationem fieri non licet nisi justis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia diœcesi exsecutioni demandata;

2° Incardinationem faciendam esse ab episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novæ diœcesi prorsus mancipetur, præstito ad hoc juramento ad instar illius quod constitutio *Speculatores* pro domicilio acquirendo præscribit;

3° Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua diœcesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de ejus natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia;

4° Hac ratione adscriptos posse quidem ad ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendæ, officii sui noverint esse episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut « nullus debet ordinari qui judicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis », ut in cap. XVI, sess. XXIII, De ref., Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate diœcesis.

5° Quo vero ad clericos diversæ linguæ et nationis, oportere ut episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac nunquam eos recipiant nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint, secretam ac favorabilem de ipsorum

vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter episcoporum conscientia.

6° Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus const. *Speculatores*, quæ, nihil obstante præsenti decreto, ratæ ac firmæ semper manere debent.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo Domino Nostro per infrascriptum cardinalem S. C. Concilii Præfectum, Sanctitas Sua resolutionem Em. Patrum benigne approbare et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus S. C. Concilii, die 20 julii 1898.

A. Card. Di Pietro, *Præf.*

† Benjaminus, Arch. Nazianzenus, *Pro-Secr.*

DOCUMENTUM VI

Sanctissimi Domini Nostri Leonis divina Providentia Papæ XIII litteræ apostolicæ, de ordinationibus anglicanis, 13 sept. 1896[1].

Leo episcopus servus servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicæ curæ et caritatis, qua pastorem magnum ovium Dominum Nostrum Jesum Christum[2] referre pro munere et imitari, aspirante ejus gratia, studemus, non exiguam partem pernobili Anglorum nationi tribuimus. Voluntatis in ipsam nostræ ea præcipue testis est epistola quam superiore anno dedimus propriam ad Anglos, regnum Christi in fidei unitate quærentes : ejusdem quippe gentis et veterem cum Ecclesia matre conjunctionem commemorando revocavimus, et felicem reconciliationem, excitata in animis orandi Dei sollertia, contendimus maturare. Rursusque haud ita pridem, cum communibus universe litteris de unitate Ecclesiæ fusius agere visum est, non ultimo loco respeximus Angliam, spe prælucente, posse documenta Nostra tum catholicis firmitatem tum dissidentibus salutare lumen afferre. Atque illud fateri libet, quod æque gentis humanitatem ac multorum sollicitudinem salutis æternæ commendat, id est quam benevole Anglis probata sit instantia Nostra et dicendi libertas, nullo quidem acta humanæ rationis impulsu. Nunc autem eadem Nos mente, eodemque animo deliberatum habemus studia convertere ad quamdam non minoris momenti causam, quæ cum

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXIX, p. 193; — *Canoniste*, t. XIX, 1896, p. 559.
[2] Hebr., XIII, 20.

ea ipsa re votisque Nostris cohæret. Quod enim apud Anglos, aliquanto postquam ab unitatis christianæ centro abcessum est, novus plane ritus ordinibus sacris conferendis, sub rege Eduardo VI, fuit publice inductus; defecisse idcirco verum ordinis sacramentum, quale Christus instituit, simulque hierarchicam successionem, jam tenuit communis sententia, quam non semel Ecclesiæ acta et constans disciplina firmarunt. Attamen recentiore memoria hisque maxime annis invaluit controversia, sacræne ordinationes ritu eduardiano peractæ, natura sacramenti effectuque polleant; faventibus affirmate vel dubitanter, non modo scriptoribus anglicanis nonnullis, sed paucis etiam catholicis præsertim non Anglis. Alteros quippe movebat præstantia sacerdotii christiani, exoptantes ut duplici ejus in corpus Christi potestate ne carerent sui; movebat alteros consilium expediendi quodammodo illis reditum ad unitatem; utrisque vero hoc persuasum esse videbatur, jam studiis in eo genere cum ætate provectis novisque litterarum monumentis ex oblivione erutis, retractari auctoritate Nostra causam non inopportunum fore. Nos autem ea consilia atque optata minime negligentes, maximeque voci obsequentes apostolicæ caritatis, censuimus nihil non experiri quod videretur quoquo modo conducere ad animarum vel avertenda damna vel utilitates fovendas.

Placuit igitur de retractanda causa benignissime indulgere; ita sane, ut per summam novæ disquisitionis sollertiam, omnis in posterum vel species quidem dubitandi esset remota. Quapropter certo numero viris doctrina et eruditione præstantibus, quorum compertæ erant dissimiles in ipsa causa opiniones, negotium dedimus ut momenta sententiæ suæ scriptis mandarent; eos deinde ad Nos accitos jussimus communicare inter se scripta, et quidquid eo amplius ad rem cognitu esset dignum indagare atque expendere. Consultumque a Nobis est, ut ipsi diplomata opportuna omni possent copia in tabulariis vaticanis, sive nota recognoscere, sive inexplorata educere; itemque ut prompta haberent quæcumque ejusdem generis acta apud Sacrum Consilium, quod Suprema vocatur, asservarentur, neque minus quæcumque ad hoc tempus doctiores viri in utramque partem evulgassent. Hujusmodi adjumentis instructos, voluimus eos in singulares congressiones convenire, quæ ad duodecim sunt habitæ, præside uno ex S. R. E. cardinalibus a Nobismetipsis designato, data singulis facultate

disputandi libera. Denique earumdem congressionum acta, una cum ceteris documentis, venerabilibus fratribus nostris cardinalibus ex eodem Consilio jussimus exhibere omnia, qui meditata causa, eaque coram Nobis deinde agitata, suam quisque sententiam dicerent.

Hoc ducendæ rei ordine præstituto, ad intimam tamen æstimationem causæ æquum erat non ante aggredi, quam id perstudiose quæsitum apparuisset, quo loco ea jam esset secundum apostolicæ Sedis præscriptiones institutamque consuetudinem; cujus consuetudinis et initia et vim magni profecto intererat reputare. Quocirca in primis perpensa sunt documenta præcipua quibus decessores Nostri, rogatu reginæ Mariæ, singulares curas ad reconciliationem ecclesiæ anglicæ contulerunt. Nam Julius III cardinalem Reginaldum Polo, natione Anglum, multiplici laude eximium, Legatum de latere ad id opus destinavit *tanquam pacis et dilectionis angelum suum*, eique mandata seu facultates extra ordinem normasque agendi tradidit[1]; quas deinde Paulus IV confirmavit et declaravit. In quo ut recte colligatur quidnam in se commemorata documenta habeant ponderis, sic oportet fundamenti instar statuere eorum propositum nequaquam a re abstractum fuisse, sed rei omnino inhærens ac peculiare. Cum enim facultates Legato apostolico ab iis pontificibus tributæ, Angliam dumtaxat religionisque in ea statum respicerent, normæ item agendi ab eisdem eidem Legato quærenti impertitæ, minime quidem esse poterant ad illa generatim decernenda sine quibus sacræ ordinationes non valeant, sed debebant attinere proprie ad providendum de ordinibus sacris in eo regno, prout temporum monebant rerumque condiciones expositæ. Hoc ipsum, præterquam quod ex natura et modo eorumdem documentorum perspicuum est, inde pariter liquet, quod alienum prorsus fuisset, ita velle de iis quæ sacramento ordinis conficiendo necesse sunt, propemodum commonefieri Legatum, eumque virum cujus doctrina etiam in concilio Tridentino eluxerat.

Ista probe tenentibus non difficulter patebit quare in litteris Julii III ad Legatum apostolicum perscriptis die VIII martii MDLIV, distincta sit mentio de iis primum qui *rite et legitime promoti*,

[1] Id factum augusto mense MDLIII per litteras sub plumbo : *Si ullo unquam tempore*, et *Post nuntium Nobis*, atque alias.

in suis ordinibus essent retinendi, tum de iis qui non *promoti ad sacros ordines,* possent, si *digni* et *idonei reperti fuissent, promoveri.* Nam certe definiteque notatur, ut reapse erat, duplex hominum classis : hinc eorum qui sacram ordinationem vere suscepissent, quippe id vel ante Henrici secessionem, vel si post eam et per ministros errore dissidiove implicitos, ritu tamen catholico consueto; inde aliorum qui initiati essent secundum Ordinale eduardianum, qui propterea possent *promoveri,* quia ordinationem accepissent irritam. Neque aliud sane pontificis consilium fuisse, præclare confirmat epistola ejusdem Legati, die XXIX januarii MDLV, facultates suas episcopo Norwicensi demandantis. Id amplius est potissime considerandum, quod eæ ipsæ Julii III litteræ afferunt, de facultatibus pontificiis libere utendis, etiam in eorum bonum quibus munus consecrationis, *minus rite* et *non servata forma Ecclesiæ consueta,* impensum fuit : qua quidem locutione ii certe designabantur qui consecrati eduardiano ritu; præter eam namque et catholicam formam, alia nulla erat eo tempore in Anglia.

Hæc autem apertiora fient, commemorando legationem quam Philippus et Mariæ reges, suadente cardinali Polo, Romam ad pontificem februario mense MDLV miserunt. Regii oratores, viri tres *admodum insignes et omni virtute præditi*, in quibus Thomas Thirlby episcopus Eliensis, sic habebant propositum, pontificem de condicione rei religiosæ in eo regno notitia ampliore edocere, ab ipsoque in primis petere ut ea quæ Legatus ad ejusdem regni cum Ecclesia reconciliationem curaverat atque effecerat, haberet rata et confirmaret; ejus rei causa omnia ad pontificem allata sunt testimonia scripta quæ oportebat, partesque Ordinalis novi proxime ad rem facientes. Jamvero Paulus IV legatione magnifice admissa, eisdemque testimoniis per certos aliquot cardinales *diligenter discussis* et *habita deliberatione matura,* litteras *Præclara carissimi* sub plumbo dedit die XX junii eodem anno. In his cum comprobatio plena et robur additum sit rebus a Polo gestis, de ordinationibus sic est præscriptum :... *qui ad ordines ecclesiasticos... ab alio quam ab episcopo rite et recte ordinato promoti fuissent, eosdem ordines... de novo suscipere teneantur.* Quinam autem essent episcopi tales, *non rite recteque ordinati*, satis jam indicaverant superiora documenta, facultatesque in eam rem a Legato adhibitæ : ii nimirum qui

ad episcopatum, sicut alii ad alios ordines, promoti essent, non *servata forma Ecclesiæ consueta*, vel *non servata Ecclesiæ forma* et *intentione*, prout Legatus ipse ad episcopum Norwicensem scribebat. Hi autem non alii profecto erant nisi qui promoti secundum novam ritualem formam, cui quoque examinandæ delecti cardinales attentam operam dederant. Neque prætermittendus est locus ex eisdem pontificis litteris, omnino rei congruens; ubi cum aliis beneficio dispensationis egentibus numerantur qui *tam ordines quam beneficia ecclesiastica nulliter et de facto obtinuerant.* Nulliter enim obtinuisse ordines idem est atque irrito actu nulloque effectu, videlicet *invalide*, ut ipsa monet ejus vocis notatio et consuetudo sermonis; præsertim cum idem pari modo affirmetur de ordinibus quod de *beneficiis ecclesiasticis*, quæ ex certis sacrorum canonum institutis manifesto erant nulla, eo quia cum vitio infirmante collata.

Huc accedit quod, ambigentibus nonnullis quinam revera episcopi *rite et recte ordinati* dici et haberi possent ad mentem pontificis, hic non multo post, die xxx octobris, alias subjecit litteras in modum brevis, atque, *Nos*, inquit, *hæsitationem hujusmodi tollere, et serenitati conscientiæ eorum qui schismate durante ad ordines promoti fuerant, mentem et intentionem quam in eisdem litteris Nostris habuimus clarius exprimendo, opportune consulere volentes, declaramus eos tantum episcopos et archiepiscopos qui non in forma Ecclesiæ ordinati et consecrati fuerunt, rite et recte ordinatos dici non posse.* Quæ declaratio, nisi apposite ad rem Angliæ præsentem, id est ad Ordinale eduardianum, spectare debuisset, nihil certe confecerat pontifex novis litteris, quo vel *hæsitationem tolleret*, vel *serenitati conscientiæ consuleret.* Ceterum apostolicæ Sedis documenta et mandata non aliter quidem Legatus intellexit, atque ita eis rite religioseque obtemperavit; idque pariter factum a regina Maria et a ceteris qui cum ea dederunt operam ut religio et instituta catholica in pristinum locum restituerentur.

Auctoritates quas excitavimus Julii III et Pauli IV aperte ostendunt initia ejus disciplinæ quæ tenore constanti, jam tribus amplius sæculis, custodita est, ut ordinationes ritu eduardiano, haberentur infectæ et nullæ; cui disciplinæ amplissime suffragantur testimonia multa earumdem ordinationum quæ in hac etiam Urbe sæpius absoluteque iteratæ sunt ritu catholico. In

hujus igitur disciplinæ observantia vis inest opportuna proposito. Nam si cui forte quidquam dubitationis resideat in quamnam vere sententiam ea pontificum diplomata sint accipienda, recte illud valet : *Consuetudo optima legum interpres.* Quoniam vero firmum semper ratumque in Ecclesia mansit, ordinis sacramentum nefas esse iterari, fieri nullo pacto poterat ut talem consuetudinem apostolica Sedes pateretur tacita ac toleraret. Atqui eam non toleravit solum, sed probavit etiam et sanxit ipsa, quotiescumque in eadem re peculiare aliquod factum incidit judicandum. Duo ejusmodi facta in medium proferimus, ex multis quæ ad *Supremam* sunt subinde delata : alterum, anno MDCLXXXIV, cujusdam Calvinistæ Galli, alterum, anno MDCCIV, Joannis Clementis Gordon, utriusque secundum rituale eduardianum suos adepti ordines. In primo, post accuratam rei investigationem, consultores non pauci responsa sua, quæ appellant vota, de scripto ediderunt, ceterique cum eis in unam conspirarunt sententiam, pro *invaliditate ordinationis;* tantum quidem ratione habita opportunitatis, placuit cardinalibus respondere, *Dilata.* Eadem vero acta repetita et ponderata sunt in facto altero; quæsita sunt præterea nova consultorum vota, rogatique doctores egregii e Sorbonicis ac Duacenis, neque præsidium ullum perspicacioris prudentiæ prætermissum est ad rem penitus pernoscendam. Atque hoc animadvertisse oportet quod, tametsi tum ipse Gordon, cujus negotium erat, tum aliqui consultores inter causas *nullitatis* vindicandæ etiam adduxissent illam prout putabatur ordinationem Parkerii, in sententia tamen ferenda omnino seposita est ea causa, ut documenta produnt integræ fidei, neque alia ratio est reputata nisi : *defectus formæ et intentionis.* Qua de forma quo plenius esset certiusque judicium, cautum fuerat ut exemplar Ordinalis anglicani suppeteret; atque etiam cum eo singulæ collatæ sunt formæ ordinandi, ex variis Orientalium et Occidentalium ritibus conquisitæ. Tum Clemens XI, feria V, die XVII aprilis MDCCIV, *decrevit :* « Joannes Clemens Gordon, *ex integro et absolute* ordinetur ad omnes ordines etiam sacros et præcipue presbyteratus, et quatenus non fuerit confirmatus, prius sacramentum confirmationis suscipiat. » Quæ sententia, id sane considerare refert, ne a defectu quidem *traditionis instrumentorum* quidquam momenti duxit; tunc enim præscriptum de more esset ut ordinatio *sub condicione* instauraretur. Eo autem

pluris refert considerare, eamdem pontificis sententiam spectare universe ad omnes Anglicanorum ordinationes. Licet enim factum attigerit peculiare, non tamen ex peculiari quapiam ratione profecta est, verum *ex vitio formæ;* quo quidem vitio ordinationes illæ æque afficiuntur omnes; adeo ut, quoties deinceps in re simili decernendum fuit, toties idem Clementis XI communicatum sit decretum.

Quæ cum ita sint, non videt nemo controversiam temporibus nostris exsuscitatam, apostolicæ Sedis judicio definitam multo antea fuisse; documentisque illis haud satis quam oportuerat cognitis, fortasse factum ut scriptor aliquis catholicus disputationem de ea libere habere non dubitarit. Quoniam vero, ut principio monuimus, nihil Nobis antiquius optatiusque est quam ut hominibus recte animatis maxima possimus indulgentia et caritate prodesse, ideo jussimus in Ordinale anglicanum, quod caput est totius causæ, rursus quam studiosissime inquiri.

In ritu cujuslibet sacramenti conficiendi et administrandi, jure discernunt inter partem *cæremonialem* et partem *essentialem,* quæ *materia et forma* appellari consuevit. Omnesque norunt, sacramenta novæ legis, utpote signa sensibilia atque gratiæ invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant. Quæ significatio, etsi in toto ritu essentiali, in materia scilicet et forma, haberi debet, præcipue tamen ad formam pertinet; cum materia sit pars per se non determinata, quæ per illam determinetur. Idque in sacramento ordinis manifestius apparet, cujus conferendi materia, quatenus hoc loco se dat considerandam, est manuum impositio; quæ quidem nihil definitum per se significat, et æque ad quosdam ordines, æque ad confirmationem usurpatur.

Jamvero verba quæ ad proximam usque ætatem habentur passim ab Anglicanis tamquam forma propria ordinationis presbyteralis, videlicet, *Accipe Spiritum Sanctum,* minime sane significant definite ordinem sacerdotii vel ejus gratiam, et potestatem, quæ præcipue est potestas *consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini*[1], eo sacrificio, quod non est *nuda commemoratio sacrificii in cruce peracti*[2]. Forma hujusmodi

[1] Trid. sess. XXIII, *De sacram. Ord.,* can. 1.
[2] Trid. sess. XXII, *De sacrif. Missæ,* can. 3.

aucta quidem est postea iis verbis, *ad officium et opus presbyteri;* sed hoc potius convincit Anglicanos vidisse ipsos primam eam formam fuisse mancam neque idoneam rei. Eadem vero adjectio, si forte quidem legitimam significationem apponere formæ posset, serius est inducta, elapso jam sæculo post receptum Ordinale eduardianum; cum propterea, hierarchia extincta, potestas ordinandi jam nulla esset. Nequidquam porro auxilium causæ novissime arcessitum est ab aliis ejusdem Ordinalis precibus. Nam, ut cetera prætereantur quæ eas demonstrent in ritu anglicano minus sufficientes proposito, unum hoc argumentum sit instar omnium, de ipsis consulto detractum esse quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designat. Non ea igitur forma esse apta et sufficiens sacramento potest, quæ id nempe reticet quod deberet proprium significare.

De consecratione episcopali similiter est. Nam formulæ: *Accipe Spiritum Sanctum*, non modo serius adnexa sunt verba *ad officium et opus episcopi*, sed etiam de iisdem, ut mox dicemus, judicandum aliter est quam in ritu catholico. Neque rei proficit quidquam advocasse præfationis precem : *Omnipotens Deus;* cum ea pariter deminuta sit verbis quæ *summum sacerdotium* declarent. Sane nihil huc attinet explorare utrum episcopatus complementum sit sacerdotii, an ordo ab illo distinctus, aut collatus, ut aiunt, *per saltum*, scilicet homini non sacerdoti, utrum effectum habeat necne. At ipse procul dubio, ex institutione Christi, ad sacramentum ordinis verissime pertinet, atque est præcellenti gradu sacerdotium; quod nimirum et voce sanctorum Patrum, et rituali nostra consuetudine summum sacerdotium, sacri ministerii summa, nuncupatur. Inde fit ut, quoniam sacramentum ordinis verumque Christi sacerdotium a ritu anglicano penitus extrusum est, atque adeo in consecratione episcopali ejusdem ritus nullo modo sacerdotium confertur, nullo item modo episcopatus vere ac jure possit conferri; eoque id magis quia in primis episcopatus muniis illud scilicet est, ministros ordinandi in sanctam eucharistiam et sacrificium.

Ad rectam vero plenamque Ordinalis anglicani æstimationem, præter ista per aliquas ejus partes notata, nihil profecto tam valet quam si probe æstimetur, quibus adjunctis rerum conditum sit et publice constitutum. Longum est singula persequi, neque est necessarium; ejus namque ætatis memoria satis diserte

loquitur, cujus animi essent in Ecclesiam catholicam auctores Ordinalis, quos adsciverint fautores de heterodoxis sectis, quo demum consilia sua referrent. Nimis enimvero scientes quæ necessitudo inter fidem et cultum, inter *legem credendi* et *legem supplicandi* intercedat, liturgiæ ordinem, specie quidem redintegrandæ ejus formæ primævæ, ad errores novatorum multis modis deformarunt. Quamobrem toto Ordinali non modo nulla est aperta mentio sacrificii offerendi; sed immo omnia hujusmodi rerum vestigia, quæ superessent in precationibus ritus catholici non plane rejectis, sublata et deleta sunt de industria, quod supra attigimus. Ita per se apparet nativa Ordinalis indoles ac spiritus, uti loquuntur. Hinc vero ab origine ducto vitio, si valere ad usum ordinationum minime potuit, nequaquam decursu ætatum, cum tale ipsum permanserit, futurum fuit ut valeret. Atque illi egerunt frustra qui inde a temporibus Caroli I conati sunt admittere aliquid sacrificii et sacerdotii, nonnulla dein ad Ordinale facta accessione; frustraque similiter contendit pars ea Anglicanorum non ita magna, recentiore tempore coalita, quæ arbitratur posse idem Ordinale ad sanam rectamque sententiam intelligi et deduci. Vana, inquimus, fuere et sunt hujusmodi conata; idque hac etiam de causa, quod, si qua quidem verba, in Ordinali anglicano ut nunc est, porrigant se in ambiguum, ea tamen sumere sensum eumdem nequeunt quem habent in ritu catholico. Nam semel novato ritu, ut vidimus, quo nempe negetur vel adulteretur sacramentum ordinis, et a quo quævis notio repudiata sit consecrationis et sacrificii, jam minime constat formula: *Accipe Spiritum Sanctum,* qui Spiritus, cum gratia nimirum sacramenti, in animam infunditur; minimeque constant verba illa *ad officium et opus presbyteri,* vel *episcopi* ac similia, quæ restant nomina sine re quam instituit Christus. Hujus vim argumenti perspectam ipsi habent plerique Anglicani, observantiores Ordinalis interpretes; quam non dissimulanter eis objiciunt qui nove ipsum interpretantes, ordinibus inde collatis pretium virtutemque non suam spe vana affingunt. Eodem porro argumento vel uno illud etiam corruit, opinantium posse in legitimam ordinis formam sufficere precationem, *Omnipotens Deus, bonorum omnium largitor,* quæ sub initium est ritualis actionis, etiamsi forte haberi ea posset tanquam sufficiens in ritu aliquo catholico quem Ecclesia probasset. Cum hoc igitur intimo *formæ*

defectu conjunctus est *defectus intentionis,* quam æque necessario postulat, ut sit, sacramentum. De mente vel intentione, utpote quæ per se quiddam est interius, Ecclesia non judicat; at quatenus extra proditur, judicare de eo debet. Jam vero cum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia. Quo sane principio innititur doctrina quæ tenet esse vere sacramentum vel illud, quod ministerio hominis hæretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico, conferatur. Contra, si ritus immutetur, eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia et quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti, tunc palam est, non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem.

Isthæc omnia diu multumque reputavimus apud Nos et cum venerabilibus fratribus nostris in *Suprema* judicibus; quorum etiam cœtum singulariter coram Nobis advocare placuit feria V, die XVI julii proximi, in commemoratione Mariæ D. N. Carmelitidis. Iique ad unum consensere propositam causam jam pridem ab apostolica Sede plene fuisse et cognitam et judicatam; ejus autem denuo instituta actaque quæstione, emersisse illustrius quanto illa justitiæ sapientiæque pondere totam rem absolvisset. Verumtamen optimum factu duximus supersedere sententiæ, quo et melius perpenderemus conveniretne expediretque eamdem rem auctoritate Nostra rursus declarari, et uberiorem divini luminis copiam supplices imploraremus. Tum considerantibus Nobis, ut idem caput disciplinæ, etsi jure jam definitum, a quibusdam revocatum sit in controversiam, quacumque demum causa sit revocatum; ex eoque pronum fore ut perniciosus error gignatur non paucis qui putant se ibi ordinis sacramentum et fructus reperire ubi minime sunt, visum est in Domino sententiam Nostram edicere.

Itaque omnibus pontificum decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes, eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostra, motu proprio, certa scientia, pronuntiamus et declaramus ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas.

Hoc restat ut quo ingressi sumus *Pastoris magni* nomine et

animo veritatem tam gravis rei certissimam commonstrare, eodem adhortemur eos qui ordinum atque hierarchiæ beneficia sincera voluntate optent ac requirant. Usque adhuc fortasse, virtutis christianæ intendentes ardorem, religiosius consulentes divinas litteras, pias duplicantes preces, incerti tamen hæserunt et anxii ad vocem Christi jamdiu intime admonentis. Probe jam vident quo se bonus ille invitet ac velit. Ad unicum ejus ovile si redeant, tum vero et quæsita beneficia assecuturi sunt et consequentia salutis præsidia, quorum administram fecit ipse Ecclesiam quasi redemptionis suæ custodem perpetuam et procuratricem in gentibus. Tum vero *haurient aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, sacramentis ejus mirificis; unde fideles animæ in amicitiam Dei, remissis vere peccatis, restituuntur, cælesti pane aluntur et roborantur, adjumentisque maximis affluunt ad vitæ adeptionem æternæ. Quorum bonorum revera sitientes, utinam *Deus pacis, Deus totius consolationis* faciat compotes atque expleat perbenignus. Hortationem vero Nostram et vota eos majorem in modum spectare volumus, qui religionis ministri in communitatibus suis habentur. Homines ex ipso officio præcedentes doctrina et auctoritate, quibus profecto cordi est divina gloria et animarum salus, velint alacres vocanti Deo parere in primis et obsequi, præclarumque de se edere exemplum. Singulari certe lætitia eos Ecclesia mater excipiet omnique complectetur bonitate et providentia, quippe quos per arduas rerum difficultates virtus animi generosior ad sinum suum reduxerit. Ex hac vero virtute dici vix potest, quæ ipsos laus maneat in cœtibus fratrum per catholicum orbem, quæ aliquando spes et fiducia ante Christum judicem, quæ ab illo præmia in regno cælesti! Nos quidem, quantum omni ope licuerit, eorum cum Ecclesia reconciliationem fovere non desistemus; ex qua et singuli et ordines, id quod vehementer cupimus, multum possunt ad imitandum. Interea veritatis gratiæque divinæ patentem cursum ut secundare contendant fideliter, per viscera misericordiæ Dei nostri rogamus omnes et obsecramus.

Præsentes vero litteras et quæcumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostræ vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cujusvis gradus et præeminentiæ inviolabiliter in judicio et

extra observari debere decernimus; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel prætextu, scienter vel ignoranter, contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manu tamen notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quæ Nostræ voluntatis significationi his præsentibus ostensis haberetur.

Datum Romæ, apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, idibus septembribus, pontificatus Nostri anno decimo nono.

A. Card. Bianchi, *Pro-Datarius.* C. Card. De Ruggiero.

Visa

De Curia I. De Aquila e vicecomitibus.

Loco ✝ plumbi. J. Cugnoni.

Reg. in secret. brevium.

INDEX RERUM

ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS

Numerus indicat paginam.

A

Abbas commendatarius : ejus potestas quoad ordinationem, 142-143.

Abbas regularis : ejus potestas quoad ordinationem, 127-129; — requisita ut hac potestate fruatur, 129-131; — subditi hujus potestatis, 131-134; — num abbas *Nullius* possit ordinare suos subditos sæculares, 134-135; — num ordinatio, ab abbate illegitime facta, sit etiam invalida, 135-140; — de abbatibus non perpetuis, quoad potestatem ordinandi, 140-141.

Abbas sæcularis : ejus potestas quoad ordinationem, 141-142.

Acolytha, acolythatus : origo in utraque Ecclesia, 33-36; — ejus officia, 47-48.

Acolythatus ritus : in veteri Ecclesia Romana, 439-440; — in Ecclesiis ritus Gallicani, 452-453; — in hodierno Pontificali romano, 462; — apud Armenos, 481.

Acolythatus ritus essentialis : materia et forma, 556.

Ætas olim requisita pro variis ordinibus, 221-224; — ætas nunc præscripta pro variis ordinibus, 224-227; — modus computandi ætatem, 227; — pœnæ contra violantes legem de ætate requisita, 227-229; — potestas dispensandi in ætate requisita, 229-230; — de ætate ordinandorum in Ecclesia Orientali, 230-231.

Æthiopes : eorum ritus ordinationis, 478-479.

Anglicanæ ordinationes : earum initia, 530; — ritus, 531-534; — earum nullitas demonstratur variis argumentis; 534 sq.; — defectus formæ, 535-537; — defectus intentionis, 537-541; — acta Julii III, 542-544; — acta Pauli IV, 544-545; — praxis curiæ Romanæ reordinandi ministros anglicanos, 546-547; — acta S. Officii an. 1685 et 1704, 547-551; — bulla Leonis XIII, 551-552; textus hujus bullæ, 638-649.

Arctati : qui dicuntur arctati, 154.
Arcudius : ejus opinio de materia et forma ordinationum majorum in Ecclesia Græca, 500-503, 512, 521.
Armeni : eorum ritus ordinationis, 479-482.

B

Bannorum proclamatio, seu publicatio futuræ ordinationis : decretum concilii Tridentini, 301-302; — hujus publicationis locus, 302-303; — tempus, 304-305; — modus, 304-305; — vis juridica, 305; — de consuetudine hac in re, 306; — de episcopi potestate dispensandi, 306-307; — banna quoad Regulares, 402; — quoad religiosos votorum simplicium, 426-427.
Baptismus, quoad ordinationem : facta historica ad rem pertinentia, 194-197; — qui non sunt baptizati, jure divino sunt incapaces ordinationis, 197-199.
Benedictus XIV : ejus Bulla *Impositi nobis,* de ordinatione Regularium, 613-624; — commentarium hujus bullæ, 381-387.
Beneficium, tanquam ratio sortiendi episcopum proprium pro ordinatione, vide *Episcopus proprius.*
Beneficium, tanquam titulus ordinationis sacræ : debet esse actu possessum; 337-338; — pacifice possessum, 338; — sufficiens ad honestam clerici sustentationem, 338-340; — perpetuum, 340-341.

C

Canones Hippolyti : 434-435.
Cantor : cantoratus ordo, 35-36; — cantoratus ritus apud Græcos, 469-471; — apud Maronitas, 474; — apud Jacobitas, 476; — cantoratus ritus essentialis, 558-559.
Capitulum : quoad litteras dimissoriales concedendas, 154.
Cardinales : eorum potestas quoad ordinationem, in suis titulis, 143-145.
Cardinalis archipresbyter basilicæ Vaticanæ : ejus privilegia quoad ordinationem, 122.
Cardinalis Vicarius Urbis : ejus potestas ordinationis quoad subditos exteros, 116-119; — quoad subditos suburbicarios, 119-122.
Causa nullitatis ordinationis : vide *Nullitas ordinationis.*
Cerei ab ordinatis offerendi : ritus hujus oblationis, 582.
Collyridiani hæretici, 184-185.
Communio ordinatorum in missa ordinationis : quinam ordinati teneantur ad hanc communionem, 582-583.
Congregatio Concilii : ejus decretum *A primis* de excorporatione clericorum, 635-637; — commentarium hujus decreti, 170-175; — ejus decretum de ordinatione Regularium seu decretum Clementinum, 380-381; — hujus decreti expositio, 381-386; — usus S. Congregationis Concilii in causis nullitatis ordinationum, 602-604.
Congregatio Episcoporum et Regularium : ejus decretum *Auctis,* 631-634; — commentarium ejusdem decreti, 384, 395, 411, 415-416, 419, 428; — ejus decretum de alumnis religiosis in seminario degentibus, 416-419.
Congregatio Propagandæ Fidei : ejus instructio de titulo sacræ ordinationis, 625-630; — commentarium hujus instructionis quoad titulum missionis, 350-357.
Consecratio episcopalis : vide *Episcopatus.*
Cophti : eorum ritus ordinationis, 477-478.

D

Defectus ordinationum reparandi : duæ species defectuum, essentialium et accidentalium, 561-562; — defectus essentiales

in ordinatione presbyteratus, 562-567; — in ordinatione diaconatus, 567-568; — in consecratione episcopali, 568-569; — in ordinationibus inferioribus et prima tonsura, 569-570; — defectus accidentales in consecratione episcopali, 570-571; — in ordinatione presbyteri, 571-572; — in ceteris ordinationibus, 572; — reparatio defectuum quoad tempus, 572-574; — quoad ministrum, 574-575; — quoad alia adjuncta, 575.

Derelicti quoad episcopum proprium originis pro ordinatione, 91-92.

Diaconatus, diaconus : diaconatus jure divino institutus, 9-12; — est sacramentum, 14-16; — diaconi officia, ministrare ad altare, baptizare, prædicare, funus defuncti ducere, 49-54; — num possit benedicere, 54.

Diaconatus ritus : in veteri Ecclesia Romana, 439; — in Ecclesiis ritus Gallicani, 448-450; — in hodierno Pontificali romano, 460-461; — apud Græcos, 468-469; — apud Maronitas, 473; — apud Nestorianos, 475; — apud Jacobitas, 476; — apud Cophtos et Æthiopes, 478; — apud Armenos, 480.

Diaconatus ritus essentialis, seu materia et forma : exponuntur tres opiniones, 508 sq.; — statuitur hunc ritum essentialem constare sola impositione manus episcopi et oratione consecratoria, 509-511; — solvuntur difficultates contra hanc opinionem, 511; — forma diaconatus in Ecclesia Latina, 511-512; — forma diaconatus in Ecclesia Orientali, 512.

Diaconissa : diaconissarum origo historica, 176-178; — ordinatio, 178-179; — requisita in ordinandis, 179-180; — earum varia officia, 180-182; — quo tempore desierint, 182-183.

Dimissoriæ : vide *Litteræ dimissoriales.*

Diœcesis ad quam quis pertinet ratione ordinationis : vide *Episcopus proprius quoad ordinationem.*

Dispensatio : potestas dispensandi in ætate requisita ad ordinationem, 229-230; — in interstitiis, 284-286; — in interstitiis quoad Regulares et religiosos votorum simplicium, 398-400; 423-424; — in publicatione bannorum, 306-307.

Documenta requisita pro ordinatione, vide *Testimonia.*

Domicilium tanquam ratio sortiendi episcopum proprium pro ordinatione, vide *Episcopus proprius.*

E

Ecclesia, tanquam locus ordinationis; vide *Locus ordinationis.*

Ecclesia Orientalis : vide *Orientalis Ecclesia.*

Ecclesia Romana : vide *Romana Ecclesia.*

Edictum pœnale initio ordinationis promulgandum : origo hujus edicti, 580-581; — ejus necessitas in qualibet ordinatione, 584; — quomodo promulgari debeat et cujus nomine, 581-582.

Episcopatus ritus : in veteri Ecclesia Romana, 435-437; — in Ecclesiis ritus Gallicani, 442-445; — in hodierno Pontificali romano, 455-459; — apud Græcos, 464-466; — apud Maronitas, 472; — apud Nestorianos, 474-475; — apud Jacobitas, 476; — apud Cophtos, 477; — apud Æthiopes, 478; — apud Armenos, 479-480.

Episcopatus ritus essentialis, seu materia et forma : exponuntur variæ opiniones, 513 sq.; — statuitur hunc ritum essentialem constare sola impositione manuum et oratione consecratoria, 514-515; — numerus episcoporum ad consecrationem episcopalem requisitus, 515-520; — forma episcopatus in Ecclesia Latina, 520-521;

— forma episcopatus in Ecclesia Orientali, 521-522.

Episcopatus, episcopus : episcopi jure divino presbyteris superiores, 6-9; — episcopatus diacono collatus, 16-24; — ordo episcopatus distinctus ab ordine presbyteratus, 24-29; — episcopi officia, 57; — episcopus minister ordinarius ordinationis, 82 sq.; vide *Episcopus proprius*.

Episcopus proprius quoad ordinationem : 1° ratione originis, 83 sq.; — quoad filios illegitimos, expositos, natos in locis hæreticorum, 90-92; — quoad conversos ex Judæis aliisque infidelibus, 92-94; — de usu Galliarum quoad episcopum originis, 122-126; — 2° ratione domicilii, 94 sq.; — de duplici domicilio, 97-98; — de filiis minoribus quoad domicilium, 99; — de juramento requisito quoad domicilium, 99-100; — 3° ratione beneficii, 100 sq.; — quale debet esse beneficium, 102-105; — 4° ratione familiaritatis, 105 sq.; — requisita ut episcopus familiarem suum ordinare possit, 107-110; — variatio ab uno episcopo ad alium, 110-112; — episcopus proprius quoad ordinationem Regularium, 377-391; vide etiam *Regulares;* — episcopus proprius quoad ordinationem Religiosorum votorum simplicium, 409-422; vide etiam *Religiosi votorum simplicium*.

Euchologia : euchologia græca, 464; — euchologium Serapionis, vide *Serapio*.

Examen ordinandorum, seu scrutinium pro ordinibus : decretum concilii Tridentini, 293-294; — necessitas examinis, 294-295; — de examinatoribus, 295; — de materia examinis, 295-298; — de tempore et loco examinis, 298; — examen de scientia ordinandorum, 298-300; — ratio instituendi examen ordinandorum in seminariis, 300-301; — examen Regularium ordinandorum, 392-395; — examen Religiosorum votorum simplicium, 422-423.

Excardinatio : vide *Excorporatio*.

Excorporatio : varia requisita ad excorporationem et subsequentem incorporationem, 171-172; — effectus excorporationis et incorporationis, 172-173; — juramentum emittendum a subdito incorporando, 173-174; — num laicus excorporari possit, 174-175; — de excorporatione alumnorum religiosorum, 419-421.

Exercitia spiritualia ante ordinationem : hæc exercitia jure particulari præcepta sunt in multis regionibus, 374-376.

Exorcista, exorcistatus : origo in utraque Ecclesia, 33-36; — ejus officia, 46-47.

Exorcistatus ritus : in Ecclesiis ritus Gallicani, 453; — in hodierno Pontificali romano, 462; — apud Armenos, 481.

Exorcistatus ritus essentialis : materia et forma, 556.

Expositi quoad episcopum proprium originis pro ordinatione, 91.

F

Facultas promovendi a quocumque : vide *Regularium privilegia*.

Familiaritas, quatenus ratio sortiendi episcopum qui conferre possit ordines, 105-110.

Femina : num sit capax sacerdotii, 184-188; — num sit capax diaconatus, 188-193; vide *Diaconissa;* — num sit capax ordinum inferiorum, 194.

Festivi dies : quinam intelligantur pro collatione ordinum minorum, 250-253; — in indultis extra tempora, 257-259.

Forma ordinis : vide *Episcopatus ritus essentialis, Presbyteratus ritus essentialis,* et sic pro singulis ordinibus; — quid continere debeat forma sacramentalis ordinationum majorum, 522-527; — — forma deprecativa vel imperativa, 527-530.

G

Gallia : de usu Galliarum quoad episcopum originis, 122-126; — quoad titulum sacræ ordinationis, 357-364.

Gallicana Ecclesia : ritus ordinationis antiqui, 441-455.

Græca Ecclesia : ritus ordinationis, 463-471.

H

Hierarchici ordines : qui sint, 45.

Hippolyti canones : 434-435.

I

Idoneitas ad munia sacrorum ordinum : est signum divinæ vocationis, 210-211.

Illegitimi quoad episcopum proprium originis pro ordinatione, 90-91.

Impositio manuum : vide *Presbyteratus, diaconatus, episcopatus ritus essentialis;* — num impositio manuum fieri debeat tactu corporali, 504-505.

Incapacitas recipiendorum ordinum : num ea laborent feminæ, 184-194; — non baptizati, 194-199; — infantes, 200-203.

Inclinatio ad munia sacrorum ordinum : est signum divinæ vocationis, 211-215.

Indultum extra tempora : decretum Innocentii XII de his indultis, 255-256; — de solita horum indultorum clausula de diebus festivis, 257-259; — de alia clausula de diebus festivis non continuis, 259; — de extensione horum indultorum, 259-261; — de eorum lectione, 261.

Infantes quoad ordinationem : jure divino capaces sunt ordinationis, 200-203.

Infideles conversi : quoad episcopum proprium originis pro ordinatione, 92-94.

Innocentius XII : ejus bulla *Speculatores* de episcopo proprio quoad ordinationem, 605-612; — commentarium hujus bullæ, 84-112.

Instrumenta : num instrumenta tangenda in ordinatione presbyterali, nempe calix et patena, debeant esse consecrata, 505; — num debeant tangi physice, 505-508.

Intentio requisita in ordinatione : intentio ministri seu episcopi ordinantis debet esse intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia, 585-587; — debet esse interna, 587-588; — episcopus nullum debet excludere a sua intentione, 588-589; — quid de protestatione qua declaret episcopus se nolle ordinare hos vel illos, 589-591; — in subjecto ordinando requiritur intentio recipiendi ordinem, 592-595; — hæc intentio debet esse positiva, 595; — interna, 595; — quid de eo qui acceptet quidem serio ritum externum, sed interne nolit recipere ordinem, 595-598.

Interstitia inter ordines : notitia historica, 275-276; — interstitia præscripta inter varios ordines, 276-280; — quomodo hac in re annus computandus sit, 280-281; — num requiratur exercitium ordinis inferioris, antequam recipiatur superior, 281-282; — de interstitiis in Ecclesia Orientali, 282-284; — quis dispensare possit in interstitiis, 284-286; — interstitia quoad Regulares, 398-400; — interstitia quoad religiosos votorum simplicium, 423-424; — prohibitio recipiendi duos ordines sacros eodem die, 286-288; — etiam quoad regulares, 401-402; — num liceat eodem die recipere subdiaconatum cum ordinibus minoribus, 288-292.

J

Jacobitæ : eorum ritus ordinationis, 476.

Jejunium quoad ordinationem : disciplina antiqua, 372-373; — jus hodiernum, 373-374.

Judæi conversi : quoad episcopum proprium originis pro ordinatione, 92-94.

Juramentum : requisitum ad probandum domicilium ad ordines, 96, 99-100; — emittendum a clerico incorporando, 173-174; — emittendum ab iis qui in sacris ordinantur ad titulum missionis, 351-355; — formula hujus ultimi juramenti, 351, 629-630.

L

Laicus : quoad excorporationem, 174-175.

Lector, lectoratus : origo in utraque Ecclesia, 33-36; — ejus officia, 46.

Lectoratus ritus : in veteri Ecclesia Romana, 440; — in Ecclesiis ritus Gallicani, 453-454; — in hodierno Pontificali romano, 462; — apud Græcos, 469-471; — apud Maronitas, 473-474; — apud Nestorianos, 476; — apud Jacobitas, 476; — apud Cophtos et Æthiopes, 478; — apud Armenos, 481.

Lectoratus ritus essentialis : in Ecclesia Latina, 558; — in Ecclesia Græca, 558; — in aliis Ecclesiis Orientalibus, 558-559.

Leo XIII : ejus bulla *Apostolicæ curæ* de ordinationibus anglicanis, 638 sq.; cf. 534-552.

Litteræ dimissoriales : earum notio, 150-151; — earum concedendi potestas : Romanus Pontifex, 151-153; — Legati, Patriarchæ et Metropolitani, 153; — Episcopus proprius, 153-154; — Capitulum sede vacante, 154; — Vicarius capitularis, 154-155; — Vicarius aut administrator apostolicus sede vacante, 155; — Vicarius generalis, 155-156; — Prælati Episcopo inferiores, 156-158; — necessitas litterarum dimissoriarum quando agitur de ordinatione subditi alieni, 158-162; — harum litterarum forma, 162-165; — num episcopus latini ritus possit dimittere subditum ad episcopum diversi ritus, 164; — examen subditi dimittendi, 165-167; — harum litterarum valor et cessatio, 167-168; — jus speciale quoad dimissorias ultramontanorum in Italia ordinandorum, 168-170.

Litteræ excorporationis : vide *Excorporatio.*

Litteræ testimoniales ; earum notio, 308; — varii casus in quibus requiruntur, 308-310; — quodnam tempus commorationis in aliena diœcesi requiratur, ut necessariæ sint litteræ testimoniales, 310-313; — in quanam ætate constitui debeat ordinandus, ut necessariæ sint hæ litteræ, 313-316; — quales debeant esse hæ litteræ, 316-319; — earum concedendi potestas : episcopus, 319; — Vicarius capitularis, 319; — Vicarius generalis, 319-320; — prælati episcopo inferiores, 320; — prælati regulares, 321; — superiores congregationum votorum simplicium, 321-322; — num requirantur litteræ testimoniales pro tempore quo ordinandus commoratus est in seminario alienæ diœcesis, 322-323; — quis debeat postulare litteras testimoniales, 323; — quis jus habeat de eis judicandi, 324-324; — quid faciendum sit, quando sunt insufficientes, 324-326; — pœnæ contra violantes legem de testimonialibus, 326-328; — litteræ testimoniales quoad ordinationem Regularium, 403-404; — quoad ordinationem Religiosorum votorum simplicium, 424-426.

Locus ordinationis : pro prima tonsura et ordinibus minoribus, 262-263; — pro ordinibus majoribus, 263-264.

M

Marcosiani hæretici, 184
Maronitæ : eorum ritus ordinationis, 471-474.
Materia ordinis : vide *Episcopalus ritus essentialis, Presbyteratus ritus essentialis,* et sic pro singulis ordinibus.
Minister ordinationis : minister ordinarius, vide *Episcopus proprius;* — minister extraordinarius, vide *Abbas, Cardinales, Presbyter.*
Missa in ordinatione : semper celebrari debet in majoribus ordinationibus, 576-578; — celebrari debet ab ipso episcopo, 578-579; — quæ missa celebranda, 579-580.
Missæ neopresbyteris ab episcopo in ordinatione præscriptæ : quænam sint, quando dici debeant, et quomodo intelligenda sit hæc præscriptio, 584.
Missale Francorum : 441.
Monasterium : monasterii episcopus quoad ordinationem Regularium, vide *Regulares quoad ordinationem.*
Mores : morum gravitas requisita pro variis ordinibus, 234-237.
Mulier : num sit capax ordinationis, 184-194; vide *Femina.*

N

Nestoriani : eorum ritus ordinationis, 474-476.
Nocturnus ordinatis ab episcopo præscriptus : quomodo intelligi debeat, 583-584.
Novitius : novitii Regularium quoad ordinationem, 407-408; — novitii religiosorum votorum simplicium quoad ordinationem, 431.
Nullitas ordinationis : causa nullitatis ordinationis duplici modo proponi potest, prout propònitur hæc nullitas vel quoad ipsam ordinationem, vel quoad onera annexa, 599-600; — judex competens in his causis, 600; — defensor ordinationis constituendus, 600-601; — hujus defensoris partes, 602; — sententia et appellatio, 602; — usus S. Congregationis Concilii in his causis resolvendis, 602-604.

O

Ordinandus : vide *Subjectum ordinationis.*
Ordinarius : vide *Episcopus, Vicarius generalis, capitularis, Prælati inferiores.*
Ordinatio : ejus minister ordinarius, vide *Episcopus proprius;* — ejus minister extraordinarius, vide *Abbas, Cardinales, Presbyter;* — ejus tempora, vide *Tempora Ordinationum;* — ejus locus, vide *Locus Ordinationum;* — ejus subjectum quoad validitatem, vide *Femina, Baptizatus, Infans;* — ejus subjectum quoad liceitatem, vide *Vocatio, Ætas, Scientia, Morum probitas.*
Ordinatio per saltum : notitiæ historicæ de his ordinationibus, 265-269; — ordinationes per saltum prohibitæ, 269-271; — ordinationes per saltum validæ, 271-272; — pœnæ contra ordinatos per saltum, 272-275.
Ordinationes anglicanæ : vide *Anglicanæ ordinationes.*
Ordinationes iteratæ : per quinque priora sæcula, 57-65; — sæc. VI, sub Joanne Scholastico, 65-66; — sæc. VIII, de ordinationibus Constantini, 66-68; — sæc. IX, de Photio, 68-70; — sæc. X, de Formoso papa, 70-72; — sæc. XI, de ordinationibus simoniacorum, 72-75; — sæc. XII, de ordinationibus hæreticorum, 75-76; — certum est ordinationes, a quocumque episcopo factas, esse validas, 76-81.
Ordinationum defectus : vide *Defectus ordinationum.*
Ordinationum ritus generales : vide *Ritus ordinationum generales.*

Ordines minores : eorum origo in Ecclesia Latina, 33-34; — in Ecclesia Orientali, 36-37; — eorum sacramentalitas, 40-44.

Ordines Romani : editi a Mabillon, 434; — Ordo S. Amandi, 434.

Ordo : ordinis notio, 44; — ordinum numerus, 45; — ordines hierarchici, sacri, majores, 45-46; — ordo sacramentum, vide *Sacramentum ordinis;* — ordinum singulorum munia, 46-57.

Ordo S. Amandi : 434.

Orientalis Ecclesia : ætas ordinandorum, 230-231; — tempora ordinationum, 262; — interstitia, 282-284; — titulus sacræ ordinationis, 364-365; — exercitia spiritualia ante ordinationem, 376.

Origo : tanquam ratio sortiendi episcopum proprium pro ordinatione, 83-94; — de usu Galliarum hac in re, 122-126.

Ostiariatus ritus : in Ecclesiis ritus gallicani, 454; — in hodierno Pontificali romano, 462; — apud Armenos, 481.

Ostiariatus ritus essentialis : materia et forma, 556-557.

Ostiarius, ostiariatus : origo in utraque Ecclesia, 33-35; — ejus officia, 46.

P

Parochus : quoad publicationem futuræ ordinationis, vide *Bannorum proclamatio.*

Patrimonium, tanquam titulus sacræ ordinationis; est titulus subsidiarius et dispensativus, 341-342; — debet esse vere possessum et sufficiens, 342; — in quibus bonis constitui debeat, 342-343; — de patrimoniis condicionatis, 344-345; — quomodo constitui debeat patrimonium, 345-346; — num alienari possit, 346-347.

Pensio, tanquam titulus sacræ ordinationis, 347-348.

Pepuziani hæretici, 184.

Pœnæ : contra ordinantes aut ordinatos sine dimissoriis, 160-161; — contra ordinatos ante ætatem requisitam, eorumque ordinatores, 227-229; — contra delinquentes in materia temporum ordinationum, 254-255; — contra ordinatos per saltum, 272-275; — contra violantes legem de litteris testimonialibus, 326-328; — contra episcopos ordinantes clericos sine titulo, 365-371; — contra clericos ordinatos sine titulo, 371-372.

Pontifex Romanus, vide *Romanus Pontifex.*

Pontificalia : pontificale Egberti, 442; — Gemmetence, 442.

Prælati episcopo inferiores : quoad concessionem litterarum dimissoriarum, 156-158; — quoad concessionem litterarum testimonialium, 320-322.

Preces ordinatis ab episcopo præscriptæ : nocturnus ab ordinatis recitandus quomodo intelligi debeat, 582-583; — missæ neopresbyteris ab episcopo præscriptæ, 584.

Presbyter, presbyteratus : presbyteri episcopis jure divino inferiores, 6-9; — ordo presbyteratus distinctus ab ordine episcopatus, 24-29; — presbyteri officia, 54-56; — presbyter minister extraordinarius ordinationis, 145-149; vide etiam *Abbas, Cardinales.*

Presbyteratus ritus : in veteri Ecclesia Romana, 437-438; — in Ecclesiis ritus Gallicani, 445-448; — in hodierno Pontificali romano, 459-460; — apud Græcos, 466-468; — apud Maronitas, 472-473; — apud Nestorianos, 475; — apud Jacobitas, 476; — apud Cophtos, 478; — apud Æthiopes, 478; — apud Armenos, 480.

Presbyteratus ritus essentialis, seu materia et forma : exponuntur tres opiniones, 483 sq.; — statuitur hunc ritum essentialem constare sola impositione manuum episcopi et oratione consecratoria,

487-493; — solvuntur difficultates contra hanc opinionem, 493-498; — quænam impositio manuum sit materia in Ecclesia Latina, 498-499; — forma presbyteratus in Ecclesia Latina, 499-500; — quænam impositio manuum sit materia in Ecclesia Græca, 500-503; — forma presbyteratus in Ecclesia Græca, 500-503; — ritus essentialis presbyteratus in ritibus orientalibus, 504; — num impositio manuum fieri debeat tactu corporali, 504-505; — num instrumenta, nempe calix et patena, debeant esse consecrata, 505; — num debeant tangi physice, 505-508.

Privilegium : privilegium cardinalis archipresbyteri basilicæ Vaticanæ, quoad potestatem ordinandi, 122; — de privilegiis presbyteris concessis quoad potestatem conferendi ordines minores aut majores, 145-149; — privilegia Regularium et Religiosorum, vide *Regularium privilegia, Religiosi votorum simplicium.*

Protestatio episcopi declarantis se nolle ordinare hos vel illos, 589-591.

Publicatio futuræ ordinationis : vide *Bannorum proclamatio.*

Q

Quintilliani hæretici, 184.

R

Regulares quoad ordinationem : eorum, jure communi, episcopus proprius, 377 sq.; — expositio decreti Clementini, 380-386; — episcopus proprius quoad monasterium *Nullius,* 387-388; — ad quem episcopum superior regularis debeat dirigere dimissorias, quando sedes diœcesana vacat, 388; — quid, si superior regularis sit episcopus vel abbas, 388-389, 391; — quid, si episcopus diœcesanus subditum regularem ordinare recuset, 389; — de consuetudine contra decretum Clementinum, 390-391; — de examine Regularis ordinandi, 392-395; — litteræ testimoniales de studio theologiæ, 395; — privilegia Regularium quoad tempora ordinationum, 395-398; — lex et dispensatio interstitiorum quoad Regulares, 398-401; — prohibitio recipiendi eodem die duos sacros ordines, 401-402; — publicatio bannorum, 402-403; — litteræ testimoniales, 403-404; — de titulo paupertatis, 404-406; — documenta a Regulari exhibenda episcopo ordinaturo, 406-407; — de ordinatione novitiorum, 407-408.

Regularium privilegia : quoad recipiendos ordines a quocumque, 386-387; — quoad examen, 392, 395; — quoad tempora ordinationum, 395-398; — quoad interstitia, 401; — quoad titulum paupertatis, 406.

Religiosi votorum simplicium quoad ordinationem : de eorum episcopo proprio jus commune asseritur, 409-412; — solitum indultum hac in re concessum, 412-415; — requisita ut superior dimittat subditum ad ordines sacros, 415-416; — de alumnis in seminario degentibus, 416-419; — num alumni excorporari debeant a propria diœcesi, 419-421; — speciale indultum recipiendi ordines a quocumque, 421-422; — examen alumni ordinandi, 422-423; — tempora ordinationum, 423; — insterstitia, 423-424; — litteræ testimoniales, 424-426; — publicatio bannorum, 426-427; — titulus mensæ communis, 427-429; — documenta a religioso exhibenda episcopo ordinaturo, 429-430; — ordinatio novitiorum, 431.

Ritus ordinationis : in veteri Ecclesia Romana, 433-441; — in Ecclesiis ritus gallicani, 441-455; —

in hodierno Pontificali romano, 455-462; — apud Græcos, 463-471; — apud Maronitas, 471-474; — apud Nestorianos, 474-476; — apud Jacobitas, 476; — apud Cophtos, 477-478; — apud Æthiopes, 478-479; — apud Armenos, 479-482.

Ritus ordinationum generales : missa, 576-580; — edictum pœnale initio ordinationis promulgandum, 580-582; — oblatio cereorum, 582; — communio ordinatorum, 582-583; — preces et missæ ordinatis ab episcopo præscriptæ, 583-584.

Romana ecclesia : ritus ordinationis antiqui, 434-441; — ritus hodierni, 455-462.

Romanus Pontifex : num ordinati ab ipso possint, sine ipsius licentia, recipere superiorem ordinem ab alio episcopo, 112-115; — num possit delegare simplices presbyteros ad conferendos quoslibet ordines, 145-149; — potest quibusvis concedere dimissorias, 151-153; — ritus antiquus ejus consecrationis episcopalis, 436-437.

S

Sacerdotium novæ legis : ejus institutio, 3-6; — sacerdotium majus, vide *Episcopatus;* — sacerdotium minus, vide *Presbyteratus;* — sacerdotium est sacramentum, 12-14.

Sacramentaria : Leonianum, 433; — Gregorianum, 434, 442; — Gelasianum, 441; — Sacramentarium Serapionis, vide *Serapio.*

Sacramentum ordinis : quoad episcopatum et presbyteratum, 12-14; — quoad diaconatum, 14-16; — quoad ordines inferiores, 40-44; — quoad primam tonsuram, 44.

Saltus : ordinatio per saltum vitanda; vide *Ordinatio per saltum.*

Sancti Amandi Ordo : 434.

Sanctitas seu morum gravitas requisita pro variis ordinibus, 234-237.

Scientia : requisita pro variis ordinibus, 231-234.

Scrutinium : scrutinium commune pro omnibus ordinibus, vide *Examen ordinandorum;* — scrutinium speciale pro ordinibus sacris, vide *Bannorum proclamatio;* — scrutinium cæremoniale in ordinatione diaconi et presbyteri, 307-308.

Seminaria : ratio instituendi examen ordinandorum in seminariis, 300-301; — num requirantur litteræ testimoniales pro tempore quo ordinandus commoratus est in seminario alienæ diœcesis, 322-323; — seminarii episcopus quoad ordinationem Religiosorum, 416-419.

Serapio : ejus Sacramentarium seu Euchologium, 463; — formæ sacramentales ordinationum majorum in hoc sacramentario descriptæ, 522-524.

Statuta Ecclesiæ antiqua : 441.

Subdiaconatus, subdiaconus : ejus origo in Ecclesia Latina, 29-30; — in Ecclesia Orientali, 30-31; — ordo major in Ecclesia Latina, 31-32; — ordo minor in Ecclesia Orientali, 32-33; — subdiaconatus sacramentalitas, 40-44; — subdiaconi officia, 48-49.

Subdiaconatus ritus : in veteri Ecclesia Romana, 439-440; — in Ecclesiis ritus Gallicani, 450-452; — in hodierno Pontificali romano, 461-462; — apud Græcos, 469; — apud Maronitas, 473; — apud Nestorianos, 475; — apud Jacobitas, 476; — apud Cophtos et Æthiopes, 478; — apud Armenos, 481.

Subdiaconatus ritus essentialis : materia certa, 553-554; — materia dubia, 554-555; — forma, 555; — ritus essentialis in Ecclesia Orientali, 555-556.

Subjectum ordinationis : quoad

validitatem, 176-203; — quoad liceitatem ordinationis, 203-237.

T

Tactus : tactus instrumentorum in ordinatione num debeat esse physicus, 505-508; — num impositio manuum in ordinatione fieri debeat tactu corporali, 504-505.

Taxa synodalis pro æstimanda sufficientia beneficii, ad habendum episcopum proprium pro ordinatione, 103; — pro æstimanda sufficientia titulorum beneficii, patrimonii vel pensionis, 338, 342, 348.

Tempora ordinationum : præcepta S. Leonis hac de re, 238-240; — decretum S. Gelasii, 240-242; — tempora ordinationum quoad presbyteratum, diaconatum et subdiaconatum, 244-247; — quoad episcopatum, 248-249; — quoad ordines minores, 249-254; — quoad primam tonsuram, 254; — pœnæ contra delinquentes in hac materia, 254-255; — de indultis *extra tempora*, cf. *Indultum extra tempora;* — tempora ordinationum in Ecclesia Orientali, 262; — tempora ordinationum quoad Regulares, 395-398; — quoad Religiosos votorum simplicium, 423.

Testimonia seu documenta requisita pro ordinatione sæcularium, 295-301; — pro ordinatione Regularium, 406-407; — pro ordinatione Religiosorum votorum simplicium, 429-430.

Testimoniales litteræ, vide *Litteræ testimoniales.*

Titulus ad sacrum ordinem requisitus : decretum concilii Nicæni, 328-329; — decretum concilii Chalcedonensis, 329-330; — legis Chalcedonensis motiva, 331-332; — hujus legis evolutio, 332-335; — necessitas tituli pro ordine sacro, 336-337; — titulus beneficii, 337-341; — titulus patrimonii, 341-347; — titulus pensionis, 347-348; — titulus paupertatis, 335, 348, 404-406; vide *Titulus paupertatis;* — tituli requirentes indultum pontificium, 349 sq.; — titulus administrationis, seu servitii ecclesiæ, 349; — titulus missionis, vide *Titulus missionis;* — de usu Ecclesiæ Galliarum quoad titulum sacræ ordinationis, 357-364; — de disciplina Ecclesiæ Orientalis quoad titulum ordinationis, 364-365; — pœnæ contra episcopos ordinantes clericos sine titulo, 365-371; — contra clericos ordinatos sine titulo, 371-372.

Titulus mensæ communis, quoad sacram ordinationem : ejus notio, 427-428; — requirit indultum speciale, 428-429.

Titulus missionis, quoad sacram ordinationem : ejus notio et origo, 350-351; — juramentum ab ordinando præstandum, 351-355, 629; — indoles hujus tituli, 355-357.

Titulus paupertatis : ejus origo, 335, 348; — quinam religiosi promoveri possint hoc titulo, 404-406.

Tonsura clericalis : ejus origo, quatenus est ritus quo fideles initiantur statui clericali, 37-40.

Tonsuræ ritus : in veteri Ecclesia Romana, 441; — in Ecclesiis ritus gallicani, 454-455; — in hodierno Pontificali romano, 462-463; — apud Armenos, 482.

Tonsuræ ritus essentialis : in Ecclesia Latina, 559; — in Ecclesiis Orientalibus, 559-560.

Traditio instrumentorum in ordinatione, vide *Instrumenta,* et insuper nomina singulorum ordinum.

U

Ultramontani in Italia ordinandi : jus speciale quoad dimissorias, 168-170.

Unctio : unctio in pluribus ordinationibus adhibita, 444, 445-446,

449-450, 458-459, 460, 472, 480; — non est ritus essentialis in consecratione episcopali nec in ordinatione presbyteri, 498, 514; — unctio omissa suppleri debet, 570-571.

V

Variatio : ab uno episcopo ad alium quoad ordinationem, 110-112.

Vicarius apostolicus : quoad litteras dimissoriales concedendas, 155.

Vicarius capitularis : quoad litteras dimissoriales concedendas, 154-155; — quoad litteras testimoniales, 319.

Vicarius generalis : quoad litteras dimissoriales concedendas, 155-156; — quoad litteras testimoniales, 319-320.

Vicarius Urbis Cardinalis, vide *Cardinalis Vicarius*.

Vocatio ad statum clericalem : ejus notio, 203-206; — ejus necessitas ad statum clericalem, 206-210; — ejus signa, 210-217; — num adsit obligatio obsequendi divinæ vocationi, 217-221.

INDEX

TITULUS I

DE LEGIBUS SACRÆ ORDINATIONIS

CAPUT I. — Summa doctrinæ catholicæ de ordinibus et ordinatione

§ 1. De sacerdotio et diaconatu 3
§ 2. De Ordinibus inferioribus 29
§ 3. De numero et divisione Ordinum, singulorumque muniis 44
§ 4. De iteratis ordinationibus 57
I. Facta historica. 57
II. Doctrina tenenda 76

CAPUT II. — De ordinario et legitimo ordinationis ministro

§ 1. De episcopo proprio ratione originis. 83
§ 2. De episcopo proprio ratione domicilii 94
§ 3. De episcopo proprio ratione beneficii 101
§ 4. De episcopo ratione familiaritatis 105
§ 5. De variatione ab uno episcopo ad alium. 110
§ 6. De quibusdam specialibus dispositionibus 112
I. De ordinatis a Romano Pontifice 112
II. De potestate cardinalis Urbis vicarii. 116
III. De privilegiis. 122
§ 7. De usu Galliarum quoad episcopum originis 122

CAPUT III. — De extraordinario ordinationis ministro

§ 1. De abbatibus regularibus 127
§ 2. De abbatibus sæcularibus et commendatariis. 141
§ 3. De S. R. E. Cardinalibus 143
§ 4. De specialiter privilegiatis. 145

CAPUT IV. — De litteris dimissorialibus et excorporatione

§ 1. De litteris dimissorialibus 150
§ 2. De excorporatione et incorporatione 170

CAPUT V. — De subjecto ordinationis

§ 1. De subjecto quoad validam ordinationem 176
I. De feminis 176
II. De non baptizatis 194
III. De infantibus 200
§ 2. De subjecto quoad licitam ordinationem 203
I. De vocatione 203
II. De ætate legitima 221
III. De scientia requisita 231
IV. De requisita probitate et gravitate morum 234

CAPUT VI. — De temporibus et loco ordinationum

§ 1. De temporibus ordinationum 238
I. Notitia historica 238
II. Leges hodie vigentes de temporibus ordinationum 244
§ 2. De loco ordinationum 262

CAPUT VII. — De debita successione recipiendorum ordinum

§ 1. De vitandis ordinationibus per saltum 265
I. Notitiæ historicæ 265
II. Leges hac de re vigentes 269
§ 2. De interstitiis 275
§ 3. De duobus ordinibus sacris, vel uno sacro et minoribus, eodem die non recipiendis 286

CAPUT VIII. — De prærequisitis ad ordinationem

§ 1. De scrutinio seu inquisitione circa ordinandos 293
I. De scrutinio communi omnibus ordinibus 293
II. De scrutinio speciali pro ordinibus sacris 301
III. De scrutinio cæremoniali in ordinatione diaconi et presbyteri 307
§ 2. De litteris testimonialibus 308
§ 3. De titulo ad ordinem sacrum requisito 328
I. Notitia historica 328
II. Necessitas tituli pro ordinibus sacris 336
III. Tituli qui sunt hodie juris communis 337
IV. Tituli qui requirunt indultum pontificium 349
V. De usu ecclesiæ Galliarum 357

VI. De disciplina Ecclesiæ orientalis. 364
VII. Pœnæ contra violatores legum canonicarum de titulo ordinationis. 365
§ 4. De jejunio et exercitiis spiritualibus 372
I. De jejunio 372
II. De exercitiis spiritualibus. 374

CAPUT IX. — De ordinatione Regularium

§ 1. De episcopo proprio quoad ordinationem Regularium 377
I. Notitia historica 377
II. Jus commune hac in re vigens. 380
III. Privilegia recipiendi ordines a quocumque. 386
IV. Varia quæsita ad hanc rem pertinentia 387
§ 2. De variis adjunctis ordinationis Regularium 392
I. Examen Regularis ordinandi 392
II. Tempora ordinationum. 395
III. Interstitia. 398
IV. Publicatio bannorum et litteræ testimoniales 402
V. Titulus paupertatis 404
VI. Summa dictorum 406
§ 3. De ordinatione novitiorum. 407

CAPUT X. — De ordinatione Religiosorum votorum simplicium

§ 1. De episcopo proprio quoad ordinationem horum Religiosorum . 409
I. Jus commune 409
II. Indultum multarum Congregationum hac in re. 412
III. Indulta specialia 421
§ 2. De variis adjunctis ordinationis Religiosorum votorum simplicium 422

TITULUS II

DE RITIBUS ORDINATIONIS

CAPUT I. — Notitiæ historicæ circa ritus ordinationis

§ 1. Ritus ordinationis in Ecclesia Romana. 433
§ 2. Ritus ordinationis in Ecclesiis ritus gallicani. 441
§ 3. Ritus ordinationis in hodierno Pontificali romano 455
§ 4. Ritus ordinationis apud Græcos 463
§ 5. Ritus ordinationis apud Maronitas. 471

§ 6. Ritus ordinationis apud Syros Nestorianos 474
§ 7. Ritus ordinationis apud Syros Jacobitas 476
§ 8. Ritus ordinationis apud Cophtos 477
§ 9. Ritus ordinationis apud Æthiopes 478
§ 10. Ritus ordinationis apud Armenos 479

CAPUT II. — De ritibus essentialibus ordinationum majorum

§ 1. De ritibus essentialibus presbyteratus 483
§ 2. De ritibus essentialibus diaconatus 508
§ 3. De ritibus essentialibus episcopatus 513
§ 4. De indole formæ sacramentalis ordinationum majorum 522
§ 5. Corollarium de ordinationibus anglicanis 530

CAPUT III. — De ritibus essentialibus ordinationum inferiorum

§ 1. De ritu essentiali subdiaconatus 553
§ 2. De ritu essentiali acolythatus, exorcistatus et ostiariatus . . . 556
§ 3. De ritu essentiali lectoratus aut cantoratus 558
§ 4. De ritu essentiali primæ tonsuræ 559

CAPUT IV. — De reparandis ordinationum defectibus

§ 1. De reparandis defectibus essentialibus 562
§ 2. De reparandis defectibus accidentalibus 570
§ 3. De modo reparandi defectus 572

CAPUT V. — De quibusdam ritibus generalibus ordinationis

Missa; edictum pœnale; oblatio cereorum; sacra communio; preces ab episcopo injunctæ 576

CAPUT VI. — De intentione requisita in ordinatione

§ 1. De intentione ministri ordinantis 585
§ 2. De intentione subjecti 592

CAPUT VII. — De causis nullitatis ordinationis

Processus in his causis servandus; usus S. Congregationis Concilii. 599

DOCUMENTA

I. Constitutio *Speculatores,* Innocentii XII, de Episcopo proprio ratione ordinationis 605
II. Constitutio *Impositi Nobis,* Benedicti XIV, de ordinatione Regularium. 613
III. Instructio S. Congregationis de Propaganda Fide, de titulo ordinationis 625
IV. Decretum *Auctis admodum,* S. Congregationis Episcoporum et Regularium 631
V. Decretum *A primis,* S. Congregationis Concilii, de Clericorum excardinatione et ordinatione. 635
VI. Litteræ apostolicæ Leonis XIII, de ordinationibus anglicanis. . 638

INDEX RERUM ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS 651

31 328. — Turonibus, typis Mame.

PRINTED IN FRANCE

13152